

6

DE ORTV MONSTRO-RVM COMMENTA-RIVS.

[illegible]
affectiones mirab.lium an.malium
explicantur,

Autore

[illegible]
richio, Vratisl.



LIPSIÆ

Sumptibus Heinrici Osthusii.

M. D. XCV.



NOBILI, MAGNIFICO ET AMPLISSIMO VIro, Dno. Iohanni Matthæo VVackero à VVackenfels I. V. D. Sacræ Cæſ. Majeſtatis Conſiliario, & Illuſtriſs. Principis ac Domini, Domini Andreæ Epiſcopi Vratisl. Cancellario, Domino & Patrono ſuo obſ.

S. P.



RISTOTELIS NOmen ita magnum inter literatos ſemper fuit, & eſt hodie paſſim, ut non ſolum heroici animi ſui ſapientia viciſſe ſcriptores cæteros, ſed quod feliciſſimi tantum hominis eſt, ultimam iudiciorum metam attigiſſe credatur: Is de animalium etiam ortu, cauſis, differentiis, & affectionibus ita multa tradidit, ut quemadmodum Plinius ait, percunctando quinquaginta nobis volumina condiderit, quo in argumento tantum aliàs brevitatis autorem copioſiſſimum fuiſſe, ob id exiſtimare licet, quod harum in mundo rerum natura nullius propè partis contemplatione minor eſſet. Qui libri ſi adeo ple-

ni doctrinæ, pleniq; certitudinis ſunt, ut pauca nobis amplius ad animalium cognitionem deeſſe videantur, ecquid ambitioſæ arrogantis ingenii operæ videbitur, iiſdem in rebus, ita præſertim ſolidè pertractatis, quaſi certando cum diligentiæ gloria, quicquam tentare audere, & quaſi operi tāı̄m ab ipſo incoato faſtigium extremum velle imponere? Nam quæ ille præter naturæ excellentiam foris adiumenta habuit, quis hodie ſperare auſit? Alexandro enim inflammato, uti Plinius narrat, animalium naturas cognoſcendi cupiditate, delegata ea commentatio Ariſtoteli fuit, ſummo in omni ſcientia viro, eiq; parêre iuſſa aliquot hominum millia, in totius Aſiæ, Græciæq; tractu, omnium quos in venatus aucupia, piſcatusq; alebat, quibusve vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria in cura erant, ne quid uſquam gentium ab eo ignoraretur. Verum Plinius, nec maieſtate, nec numero territus voluminum, poſterius de iiſdem in Pandectis ſuis egit, magna eum ex parte ſecutus: Nec in arctum tantum pleraq; collegit, ſed alia de ſuis obſervationibus addidit. Ergo in ſeptimo operis ſui, cum in prioribꝰ, quemadmodum mundus ipſe, terræ, maria, inſulæ,

ſulæ, gentes, inſignesq; urbes ſe haberent, oſtendiſſet, de animalibus locutus eſt, primas homini tribuens, quod illius cauſa cætera genuiſſe natura crederetur. Octavus terreſtrium eſt; nonus aquatilium. In decimo avium naturas deſignavit. De inſectis verò, quæ ille immenſæ ſubtilitatis, & inextricabilis perſectionis animalia vocat, undecimus eſt, quem communi hiſtoria per ſingulas eorum partes membratim concludit, prolixitatem etiam ſuam excuſaturus, lectorem de faſtidio vitando monet, cum in naturæ contemplatione nihil poſſit eſſe ſupervacuum, neq; modo viventium, ſed & quæſtionum numeroſa ſeries de iiſdem ſcribenti offeratur. Albertus Magnus utrumq; ſecutus, viginti ſex de animalibus volumina reliquit, in quibus fuſiſſimè de eorum principiis, differentiis, facultatibusq; tùm naturæ, tùm animæ diſſerit. Sed hic autor rarus hodie, & ſunt, qui illum inutilium minutiolarum Magiſtrum faciant. Non eſſe tamen contemnendum ſcriptorem, optimo cuiq; hodie videtur. Avicennæ etiam libri de animalibus rariſſimi ſunt, & negant memorabile quicquam ineſſe, inter quos & Geſnerus polyhiſtor ille diligentiſſimus: Quæ vero

)(3 à Colu-

à Columella, & Virgilio, de quibusdam, & prope domesticis tantum tradita sunt, magnificienda quidem. Sed cum œconomiæ solum prodesse voluerint, ideo angustior doctrina est, nec Philosophorum more exactè exposita, & ad causas ubiq; revocata. Hos secuti plures alii, maximè hoc tàm feraci librorum seculo: quorum omnium opera suam laudem, conatus, commendationem pro merito habeant: Quos verò libros vir summus, & incomparabilis eruditionis, Iulius CAESAR SCALIGER De hominis generatione, deq; omnibus accidentibus, quæ evenire solent, quæq; ad causas generationis & sterilitatis, fœtuum quoq; vitam in utero, vel extra hunc attinent, itemq; de Galeni, Hippocratis, & Astrologorum arcanis digessit in libris septem suis, de genitali semine, ii utinam lucem aliquando aspicerēt, næ illi magna nostros animos doctrinæ sublimioris nobilissima supellectile instruerent. Quando igitur tot, tantaq; iam de animātibus scripta sunt, num superest aliquid, de quo scribi à novis possit? De Aristotele non nisi omnia honorificentissima dici debent. Cæteris etiam tribuendum, quod æquitas postulat. Qui tamen omnia iam

eos

eos tradidisse, reliquisse intentatum nihil putant, vehementer quidem mea sententia errant: Nam ut multa dederint, plura tamen investiganda reliquerunt, adeò quidem, ut principum, nobiliumq; nostratium venatores, aucupes, piscatores, certissima experientia edocti, ea proferant, quæ nullis in libris leguntur. Rabiei in canibus multi, magniq; autores meminerunt, Democritus, Cælius, Asclepiades, Ephesius, item q; alii. Materiam verò, fomitem, sedem, causam, alii aliam attulêre, veram nulli: Eam à venatoribus nuper Philosophi nostri didicêre, rabidis nimirum canibus sub linguæ laxis partibus vermem satis aliquando grandem ex atro ibi sanguine, quo referta illa vena est, si calor præter naturam accesserit, generari, folliculoq; suo inclusum adhærescentemq;, virus in vicinum caput, & præcordia effundere, & ad illam rabiem tantisper exagitare, dum, quod maturè fieri debet, exemptus fuerit. Id hodiè adeò tritum vulgo, credere doctis propter novitatem durum videbatur, priusquam autopsia convinceret: Fit hoc in multis aliis etiam. Ergo etiam de monstris, etsi & Aristoteles, & alii multa tradiderunt, vidi tamen non pauca, & quidem

egregia ab aliis nondum occupata, quæ ipsa propriè in hoc argumentum incidunt, ut suo loco indicavimus: Neq; id mirum, quando tot aberrandi in formandis animalibus modi sunt tanta etiam libidinum varietas, & vivendi licentia, ut non eadem semper monstra edantur, sed quælibet ætas sua propria iam viderit, & admirata sit. Eorum φαινομένων varietas, quæq; in his semper novè fiunt, accuratas observationes antiquorum, sanè plurimum augere potest. Itaq; cum in eo argumento, nescio quomodo liberius versari superioribus annis cœpissem, non modo sententias omnes sapientum de monstris uno volumine collectas comprehendi posse videbam, sed & quæ recentium monstrorum ratio obtulisset, ea quasi auctuarii loco adiici oportere, tum ea, quæ ad universam horum doctrinam pertinerent, sed prætermissa ferè ab aliis: Potuit in hoc quidem labore varietas, vel ignavissimum quemq; allicere. Sed deterrere labor ob difficultatem, maximè eum, cui ingenium, & vigor in turbis scholarum adeo periisset, ut serum, & periculosum doctrinæ rudimentum futurum hic quidem videri possit. Quoniam autem res cœpta fuit ursi conatu obstinatiore, eòq;

per-

perveni, ut communi literarum iure uti cogitarem, quo quæ elaboravimus, ad aliorum iudicia periclitanda in lucem edimus. Et quia patronus illi parandus fuit quispiam cur Magnificæ Amplitudini Tuæ, vovere, & dedicare voluerim, illa primum causa fuit, quod me maxima illa incitabat dignitas tua, quam tibi non solum ipsius professionis titulum, sed locum illustrem, in quo es rectissimo iudicio, & voluntate Illustrissimi atq; optimi Principis tui, cuius tu præcipue consilio omnia gubernas, collocatus, ob multiplicem doctrinam, prudentiam quandam naturalem, sapientiamq; in consulendo, variarumq; rerum usum conciliasse scimus. Itaq; te inter huius nobilissimæ provinciæ viros primarios quasi Nestorem quendam ita florere videmus, ut omnium bonorum, recteq; de virtute & bene meritorum factis iudicantium comparatum habeas, ut taceam, quantus tibi in aula clementissimi nostri Imperatoris, qui tua in exteris regionibus, gravissimisq; negotiis, operá aliquoties usus est, apud maximos quosq; conciliatus favor sit, quanta ubiq; nominis tui celebritas: tantus cum sis, invenies tuarum virtutum prædicatores te dignos, qui

)(5 poste-

posteris ostendent, te summis donis tuis plus ad publicam salutem, quam privata commoda usum fuisse. Ea cogitatio fecit, ut minimè dubitarem, quin splendidissimi nominis tui tutelá, & præsidio, hic quidem liber ob impolitiam non satis aspectabilis, si in clientelam tuam securitatis se causa recepisset, in hominum manus gratior pervenire, & vitalis fieri, ac cœli convexa tueri posset. Invitabat præterea summa illa M. A. T. summa in me humanitas. quæ credere sinebat, nihil me adversum facturum Dignitati Tuæ, si sub honoratissimi nominis Mæ. A. T. præscriptiõe eum forás darem. Debui etiam velle observãtiæ meæ testimonium aliquod publicè legentibus ostendere. Accipe igitur vir Magnifice, hanc promulsidem studiorum meorum, & in me aliisq; exercendorum ingeniorum voluntatem, tua approbatione, si id conatus merentur, excita, ac vale felicissimè florente in fortuna cum magno illo principe tuo: Dabantur Breslæ, mense Maio: Anno 1594.

INDEX CAPITUM COMMENTARII DE *Monstris, Ostendens operis contextum.*

CAPUT I.

CA-

CA-

CA-

CA-

C A-



CAPVT I.

Continens procemium operis de monstris. Et scopum: causam itidem suscepti operis: ostenditur ad Physicum & medicum attinere: Difficultas: Descriptores monstrorum. Monetur, non curiosam sed necessariam & utilem hanc theoriam esse.



MNIS CORPORVM viventium constitutio communiter quidem aut secundum naturam est, aut morbida: ex quo ipso corpora, vel sana vel ægra dicuntur, eaq; duo sola invenit ratio: medici sensum sequentes, quod utriusq; particeps est in medio constitutum neutrum appellaverunt: Salubre corpus εὔκρατον est, & σύμμετρον, quod simplicibus partibus probè temperatum, instrumentis verò aptè est compositum, non quidem summa integritate, sed sibi peculiari, & propria. Nam quod absolutè tale est, rarum est, optimum etiam, quod non longe ab hoc recedit: Corporis autem constitutio figura constat, magnitudine, numero, situ partium, continuitate, et cum unumquodq; est, quale oportet, ut nec desit aliquid, nec absit, neq; debilitatum sit ad naturæ & animi motus, atq; is status congruens est: Morbosum, quod in primis partibus vel omnibus vel præcipuis in-tem-

Divisio affectuũ corporum viventium.

Salubre

Morbosum

temperatum est, aut instrumentis malè composi-tum, iisq́; similiter vel universis, vel aliquibus. De utroq́; corporum statu ab actionum modis æstimari potest, potest etiam à paßionibus, quæ & totius, & membrorum diatheses patefaciunt. Nam ubi primum iusta est temperies, deinde apta compositio, exequuntur partes actiones suas quarum causa sunt procreatæ, potestq́; & nutriens vis, & sentiens, animusq́; ipse, in quibus inest ad agendum sine offensione liberè se accommodare, iuvant se invicem, & consentiunt, perinde ut in cithara chordæ. At cum malè affectum corpus est, vitæ, sensusq́; actiones, ipsa etiam ratio minus ob ineptitudinem organorum sua potest exequi. Sed insalubrium, sicut benevalentium multa genera sunt, quandoquidem alia aliter ad extrema declinant. Et quia morbos cōtrahunt corpora, aut ab ipso statim ortu primo: Vel postea cum edita sunt ægrotare incipiunt, ex eo morbi duplices: Alii nativi, alii ascititii, vel adventitii: priores morbosa simpliciter efficiunt, hi morbosa in præsentia. Innatæ imbecillitates aliæ quidem temperamenti, & sanguinis sunt, aliæ in partibus malè constitutis. A crasi affectus occulti initio latent: sed si magnus vehemensq́; lapsus est, exerit se paulo post apertius, & per universam durat vitam, ac ferè hereditario etiam ægrotant corpora, & sunt, Epileptici, calculosi, podagrici, catarrhosi, quales à quibus generati sunt: Sin non magna est

Signa affectuum.

Differentia insalubrium.

Morbi connati.

est exuperantia, aut defectus, interdum naturæ solius, interdum artis auxilio vincitur. Quæ verò in partibus sunt internis externisq́, in his tamen maximè, detrimenta, cùm accidere infinita possint, si quando in ortu insignem labem foris repræsentant, monstrum dicimus, neq; tamen, si status solummodo membrorum deformis est, ut in valgis, vacijs, gibbis, mutilis, nanis: sed & ubi longius disceditur, & in aliam naturam fit transitus soluto motu, sicut cum pro homine, aut ex hoc rana, vel animal diversum nascitur, qualia sunt ἀλλόμορφα σώματα. Ea viventium affectio est, & plantis evenit, illamq; iniuriam copiosè Theophrastus exposuit, animalibus sæpius ob difficiliorem ortum, varietatemq; organorum, homini etiam maximè, qui ut multa habet ornamenta sibi peculiaria in animæ pulchritudine, & corporis artificio, usúq; utrimq;, ita pluribus quam cætera propè omnia malis afficitur. Habet, quæ accidere brutis possunt, habet, quæ illis non possunt, ut mutũ nasci, et fatuum, et mille alias propriáq; vices subit. Ex quo fit, ut hi errores naturæ frequentius in homine, quàm cæteris admittantur. Verum hinc aut illis sæpius contingant degenerationes illæ, alibi quæstio nascetur. Nos de toto genere doctrinam in hoc Volumine prosequemur, & de Essentia, differentijs, causis atq; affectionibus monstrorum Peripatheticorum sententias referemus, & si quæ alia in hanc controversiam possunt

Monstra quæ.

Libri scopus: & occasio.

 possunt

possint incidere. Vocat nos eò φαινομένων talium non usitata frequentia, & species omnino admirabiles, scholaq́ dignæ. Olim Affrica semper afferebat aliquid novi, hodie nullus locus ab his spectaculis immunis. Europa vero nostra etiam multa habet in se, circaq́ se mirabilia eiusmodi, non modo cum invehuntur bestiæ quasi thesauri ex remotissimis locis, quales olim in libris requirebamus aut spectabimus in picturis, sed quia intueri domestica oculis possumus, quæ non tam ob cœli domorumq́ schemata, quàm vivendi licentiam, immanes, libidines manifestè, sed fœde degenerant. Testes sunt libri historiarum nostrarum, testes picturæ, quibus quæstus etiam comparatur; ita fœdæ autem plerumq́ & enormes, ut fabulosa posteris & conficta videri possint. Ea admirationem quidem, ut in novis solet, aliquam excitant: sed fit quod Hippocrates dicebat. πολλοὶ θαυμάζουσι, ὀλίγοι ἢ γινώσκουσι: multi mirantur, pauci cognoscunt.

Theoria monstrorũ est physiologi.

De ortu verò monstrorum, & quibus ex principiis naturæ ista opera adulterentur, primum quidem ad Physicorum disciplinam attinet quærere, qui cum naturas viventium, eorumq́ affectiones secundum naturam explicant, etiam quid iisdem accidere præter naturam possit, nobis tradidere: (Nam quod probum est, pravum etiam reperiri potest in natura, in artibus) idq́ ita fieri oportere, & ratio docet, & sapientum autoritas.

Eiusdem

Eiusdem quippe est scientiæ, & rem, & quæ rem comitantur, hoc est subiectum, & affectiones proprias scrutari. Nam et Geometra de linea inæquali & æquali: logici de legitimo & sophistico syllogismo, arithmeticus de paritate & imparitate, cæteriúq; quæ accidere numeris solent, differit ex arte sua. Ad eum modum qui animalium ortum investigant, nihil ignorare eorum debent, quæ principia deturbare, naturæ motus dissolvere, & integritatem possunt lædere. At sunt inter ea etiam sanitas & morbus. Egit igitur & Philosophus de longitudine & brevitate vitæ, de vita & morte, de juventute & senectute, cæteriúq; accidentibus viventium. In octavo historiæ quam multa sunt de animantium valetudine? quæ quibus in locis & tempestat bus commodè vivant, quàm variæ ægritudines & morbi per tempora, pro generum diversitate, accidant, avibus squallores. piscibus imbres conducere, deniq; quibus remedijs, suum, canum, equorum, elephantorum, indurati morbi corrigi possint, per multa nobis capita tradidit? Quid ni ergo de primis naturæ erratis, & principiorum, è quibus nascimur, corruptione docere ad Philosophum attineat?

Horum observationes medicorum diligentia amplificavit, ad quos ipsos sed aliter paulò, quàm ad priores ea cura pertingit, & quidem maximè. Est enim prima ratione medicina salubrium quidem causarum scientia. Iam verò propter

Medici e& de monstris docere.

ter has & aliarum morbosarum naturarum, corporum etiam salubrium, morbosorum, neutrorum, Signorum ratio similis est: Non ergo sanum tantum corpus, quod dum tale est arte non magnopere indiget, nisi ut præceptis eius salubri in statu conservetur, sed & ægrum, & hoc quidem inprimis, à quibus causis operosum illud naturæ theatrum deformetur, & quomodo nascentis mali radices eximendæ sint, in particulari præsertim hominis contemplatione, suæ considerationi subiectum habet: Iam quæ monstra verè sunt, ea suo modo ægrotant, & quia nativam secum fœditatem afferunt, multo maiorem, quàm qui postea morbi oriuntur, in iam editis corporibus curam ad averruncandum postulant. Itaq; non modo quid fiat in lucem editis, sed & quid accidere, dum in uteri officina latent, possit, accurate investigandum est. Atq; hactenus se in his exercet medicus.

Fœtuum mutationes tres.

Porrò trium sunt generum, eæ mutationes, quas fœtus intus sustinet: Figuratio, motus, partus. Conceptus efformatur, fœtus formatus moueri incipit. Perfectus editur. Ex his posteriores duæ ad hunc quidem locum parum faciunt. Prima eiusmodi est, ut qui, qua ratione formetur hoc animæ domicilium in parente, suamq; formam inducat semen, qualem in partu repræsentat, optime intelligit, idem & omnem propè monstrorum rationem, hoc est, quomodo male formentur corpora, ex-

ea, explicare poterit. Sed ut cæterarum rerum in natura, difficilis admodum cognitio est, quod abstrusa pleraq; & abdita sunt, ita hoc de quo loquimur obscuram tractationem habet, neq; enim, ut aper persecutori, aut hæc misera spectacula oculis se offerunt, ita causæ, in quibus momenta omnia sunt, cognitioni nostræ sese offerunt. Et quando naturalium quæstionum partim quidem certa atq; evidens ratio est, ut in iis naturis, quas socias familiaresq; habemus, quarumq; magna copia est, partim occulta in multis, non verebitur quis, si modo non insolenter philosophari voluerit, ea quæ de monstris offeruntur, inter posteriores collocare. Cur pennæ volucribus additæ, cur aliis ungulæ, aliis cornua adnata, eiusmodi sunt, ut in iis non sit magnoperè laborandum. At cur non tantum ea fiant, quæ Alexander enumerat, Rhebarbarum bilem purget, rideat, qui sub alis, costis, plantis titillatur, lapidum attritum, & ferri stridorem non ferant aliqui, ingeniorum propemodum acumen superant, & immortali Deo cognita sunt, qui rationē potest eorum, quæ condidit, reddere. Longe hic maiores tenebræ, non in rebus quidem ipsis, sed mentibus nostris. Nam in alterutro operum secreta latent, in rebus ipsis foris, vel in intellectu. Nullibi se magis hominis hebetudo aperit, quam cum suam ipse naturam contemplatur. Esse animam in nobis manifestum est, quia id opera eius docent, cum nutrimur, sentimus, ambulamus,

Argumenti difficultas unde.

lamus, ratiocinamur, quid sit, hodiè etiam pugnatur, & sine effectu iurgium est: Hic unus ignorantiæ fons: Quam multa in generationis modo latent? Differentiæ animantium, quæ multæ ac variæ sunt in animalium coitu & generatione, non omnes patent: sed paucarum quarundam intuitu arbitramur idem in omnibus esse oportere, de quo Philosophus etiam queritur in 3. de generat. cap. 5. Qui circa animalia versantur, ut piscatores circa pisces, nemo eorum cognitionis gratia quicquam observat, sed quæstum sequuntur, ex quo fit, ut stultissimas opiniones nobis obtrudant, qualis vulgaris illa de conceptione piscium, quasi seminis devoratu impleantur, cum id fieri non possit. Credidit tamen Herodotus. De seminis natura quædam prisci tradiderunt, plura Aristoteles, multa Galenus, sed in non paucis diversus est. Quæsitum ubi elaboretur. Vnde emanet: Habeántne semen fœminæ: & si habeant, conferátne ad procreationem vim aliquam, an verò totum illud τὸ ἀπὸ τῆς γυναικὸς materiæ patientis tantum rationem præstet. De facultate informante incidit dubitatio, insitne ipsi semini, an quid extrinsecum, qualis Colcodea Arabum. Fatetur ignorantiam apertè Galenus, Aristoteles tegit. Τύπωσις verò ipsa, & structura digestioq; partium, quam sublime nobis artificium offert, tàm ignota sunt momenta pleraq;, quæ prima coagulatio materiæ, quomodo in semine dividantur

De semine controversiæ.

τύπωσις fœtuum inexplicabilis.

partes, cogantur, uniantur, distinguantur admirabili varietate, quæ in agendo impedimenta intus, & externè obijciantur, Vnde illa formarum mirificarum impreßio, quid poßit imaginatio, quid terror, an in his θεῖον *quiddam accedat, & alia quæ plurima hominum consensione immutare fœtus posse creduntur: Sed quis modum unquam satis exposuit? Num parva etiam de specierum commistionibus, & num unum in altero animal nasci poßit, controversia? At scire hæc intererat ad propositum, ut prætercam interea quæstiones* ὅτι γῆς ὅτι οὐρανοῦ ἀπὸ θύρας, *in quibus multi supercilium attollunt, & magnifica nomina auribus ingerunt sine usu, quasi referat dici, quod nemo intelligat. Hæc taliaq́ cogitantem cum querela etiam ingeniosißimum deterrere poterant, nedum exigua ingenia, quæ grandes materias non sustinent, maximè cum hoc ipsum incommodum altero augeatur, quod qui de his rebus scripserunt, ita dißimiles nobis opiniones reliquerunt, ut modum non poßis constituere, neq; quem sequaris, facilè dijudices. Queritur in acroasi sua Aristoteles ob id sibi difficile esse de loco docere, quod nihil facultatis ad eam quæstionem disceptandam à veteribus collatum sit. Fortasse parum interest, nihilne reperias apud alios, aut ea legas, quæ nihil prosint. Nam cum nonnulla in veterum scriptis reperimus, spes apparet aliqua illustrari posse, quod hic volumus.*

Opinionum varietas.

Autores qui de monstris.

Sin eorum pugnas (sicut pauca sine aduersario sunt) id quod attulerunt ad spem, infirmant. Scripserunt olim Latini & Græci, scripserunt & nostri. Græci dispersim ferè, quos si quis volet consulere, aliam de alia re in hoc argumento laborasse animadvertet: Ante Aristotelem Empedocles. Non placuit hic. At non minus pertinaciter Aristoteli Galenus restitit. Huic verò sui adversarij etiam, aususq́ est Avicenna de eo dicere, ramos illum Philosophiæ apprehendisse, sed ignorasse radices ipsas. Quem ex his alteri anteponese? & cur hic potius, quam alius humanæ sapientiæ magister est? Magis terrent, qui hodie totam Philosophiam veterem abijcientes, nova nobis sua principia ex toto porrigunt, & à Græco avocant. Non dico quam rectè promissa expleant, quamq́ caute nos in naturæ rerum desiderio detineant, magnis autoribus ea cura relinquenda est. Illud volo: varietatem eam sententiarum, non erudire, sed offendere, involvere, intricare. Nec Philosophi solū inter se & astrologi, qui idipsum sibi, sed nullo iure assumserunt, de causis monstrorum disceptant, deq́ ijsdem rebus aliter disserunt: sed Theologi etiam à nostris sapientibus diversi sunt, qui cum se præter humana etiam divina, quæ fide continentur, & certissima afferre ostendant, putentq́ se possidere, quod quærit Philosophia, quo plus sinceræ cognitionis pollicentur, hoc magis, si id præstant tamen, eorum iudicio tribuendum

Philosophi veteres.

Novi.

Astrologi.

Theologi.

endum est. Quanquam sanè eiusmodi illa dissensio est, ut si æquius iudicetur, neutri de suo iure deturbandi videantur. Neq. mirum inter eos concordiam ubiq. non constitui. Non idem sequuntur, neq. ex iisdem principiis conclusiones suas deducunt & Theologi & Physici, cum priores ex Dei verbo patefacto, & ad altiora sapiant, hi ex solius rationis fundamentis, & de proximis rerum causis loquantur. Sed ut magna sit ubiq. in hac parte disparitas, non est tamen prorsus sine exitu iter, & tarditatem comites corrigent, qui nos sequi audacter iubent. Sunt autem hi ex non contemnendis: In Philosophorum ordine antiquissimus Hippocrates, etsi de monstris peculiariter, & sub certo loco non docuit: primum tamen monstrum nobis in Antigenis uxore descripsit secundo popul. par. 2. tex. 20. aliud etiam in quinto. Reliquit idem multa, quæ illustrare argumentum non mediocriter possunt, estq. à tribus locis subsidium: Nam cum seminis potissima in conceptu ratio sit, multa de eo in libro περὶ γονῆς, quale id sit, quod ab utroq. parente excernitur, unde emanet, quis excretionis modus, quid illam in utero receptionem consequatur, quod conceptionis cognoscendæ tempus. In eo deinde, qui est de natura pueri, de ipso fœtu agit, quid in utero decem mensium spatio, (quod esse in plerisq. solet) ad partus usq. momentum fiat. Tertius præter cæteros locus est in eodem de semine libro, ubi multorum

Catalogus scriptorum de monstris. Hippocrates.

lorum, qui et ipsi monstrosi sunt, ortū enarrat, sicut & quibus ex causis, tum his, tum alijs modis imperfecti edantur. Atq; hic quidem hoc modo prodierit. Democritus causas etiam exposuerat, sed imperfectius, ut est in Aristotele, Plutarcho, Simplicio. Aristoteles praeterea, quae in problematibus sparsim tribus in locis multa habet, aut propemodum omnia. Totum hoc caput tradendum est ex 4. de ortu animal. 4. iterumq; pars tertij: & quae sunt in 2. ἀκροάσεων. Septimus autem historiarum hominis generationem primam in utero, & posteriorem in lucem, quomodo se habeant, & quae naturae ratione eveniant, prolixè persecutus est. Galenus de his mirificis partibus nihil. Sed quae ab illo de morbis tradita sunt, nonnulla huc aliquando transferre commodum fuerit. Avicenna de animalibus rarus est, tum etiam singulare propemodum nihil habere à quibusdam existimatus fuit. Commentatores ampliarunt interpretationibus suis Philosophi doctrinam, alij paraphrasi, ut Averrhoës, & Philoponus: Alij quaestiunculis, ut Alexander, Albertus, Thomas Caietanus, Conciliator, Gabriel, Iandunus, multaq; hi ingeniosè adiecerunt, quanquam ferè vulgo hodie absq; discrimine contemnuntur, sed causam non video. Nam si philosophantur acutius, & plerumq; verius, loquuntur tantum inornatius, hoc interest, quod os insipidum, quibus mens sapiens, ut ille ait. Ferent hoc manes Ciceroniani, si qui

Democritus. Aristoteles. Galenus. Avicenna. Interpretes Aristotelis: & de ijs iudicium.

si qui metaphysici barbarè loquantur, rectè sentiant. Quod si elegantiam præterea afferat sapiens hic, & orationis candorem tanto gratior. Est enim ut in Republica, ita in Philosophia maximus habendus, qui & quid verum sit intelligat; atq; idem dicendo potest explicare. Defuerit sanè his, quot nominavimus, sola eloquendi facultas, quæ nec Aristoteli defuit, nec Platoni: non ob id tamen quasi indoctiores aspernandi, quandoquidem multa illi ipsi nostri attigerunt passim, quæ ob ignorantiam antiqui ventilare non potuerunt. Habuêre enim sui seculi beneficio, quæ priores caruerunt, divinæ voluntatis noticiam, & si quæ divinitus tantum sunt patefacta. Et cur non posteriores priscorum commentationibus animati, cum plura invenerint suo studio, doctiores etiam existant antecessoribus suis? nisi ita effætam credamus in producendis ingenijs naturam, ut infirmiora semper pro melioribus reponat. Multa, inquiunt, sordes immixtæ, plura aliena, spinosa, lutulenta. Id si ita est, cogantur in unum salutaria, quædam moderatius indicentur, quicquid in totum sanationem non admittit ob malitiam, nemo concupiscet, neq; dolebit, si segregentur à bono, ne hoc quoq; reddant deterius. Quod si ista ratio adhiberetur, quæ æquissima est, non video, cur in hoc censu, & scribentium classe non sint retinendi. Alberti diligentia non improbanda, etsi admiscet quædam suæ ætatis Exempla, quæ Albertus Magnus.

non

non à quovis credantur: Aliundè enim collecta tradit, & ex nimia credulitate falsa pro veris obtrudit, nonnunquam ad astra, remotioresq; causas potius contra Philosophorum morem, quam ad propinquas lectorem deducit, secutus Ptolomæum, qui in astrologicis prædictionibus his monstrorum mentionem facit, quem hodiè cœteri etiam Astrologi studiosè sequuntur. Iulius obsequens prodigiorum narrator est. Plinius multa in historia sua, sed hic etiam colligit omnia, vera, dubia, falsa, quædam proximè fabulosis, & admirator potius rerum magnarum, quàm subtilis explicator: Polydorus ex historijs quædam revocavit, sed prodigia omnia in unum coëgit, causas monstrorum, sed parce nimis complexus est. Habet etiam Mizaldus & Sabellicus, & Lycosthenes, qui peculiari volumine, quotquot uspiam reperit, ad sua usq; tempora monstrorum historias persecutus est, etiam imagines, si fortè prodessent, cui posteriores addit Fincelius. Paræus satis exquisitè in hoc loco versatus est, nec ex quavis cisterna petita Chirurgiæ suæ inseruit, & inter cœteros eminet: Calcavit has spinas laboriosè Gemma Frisius in divinis characterismis. His adijciendus nostri temporis insignis ille in universa Philosophia autor Casþar Peucerus, qui multa eruditissime de monstris in suo de divinatione commentario nobis tradidit. Ex medicis non habeo, quem Ludovico Mercato viro clariss. præferam, etsi hunc serius vide-

Iul. obseq.
Plinius.
Novi.

videram: quanquam dubium mihi non est, plures in hoc elaborasse, & in his Capenaccium illum, sed illius omnia expectamus, nondum vidimus. Fortasse sunt & alij, quos quidem ego me non attigisse fateor. Persuasum autem mihi est, eiusmodi esse operam istorum omnium, ut commendationem non parvam videantur pro labore & instituto suo meriti. Sed si licet, quod sentio, dicere, plus debemus ijs, qui ad causas investigandas se transtulerunt monstrorum talium, quàm qui nudas nobis, detractis cæteris, historias inculcant, neglecta inquisitione, liberalibus studijs convenientè. Neq; enim hoc vel Seneca probasset, quando ei & stultum & ridiculum videtur mortalitatis Exempla colligere, si non hoc maleuolentiæ cuiusdam est. Quid enim plus profuerit scire plurima ex his, quàm suspensorum aut maleficorum nomenclaturas tenere? si nihil addas, si lumen nullum præferas ad ea, quæ in talibus animus cupit intelligere. Quid delectat scire, quæ bestiæ, qui monstrosi fœtus ex nefaria impurissimorum nebulonum cum brutis consuetudine editæ sint? quorum, ut opinor, memoriam omnem in sempiternum abolitam inter homines esse oportuit. & æquius fuerat, quàm aut astra, aut sanctissimum Dei nomen istis sceleribus furiosè prætendere. Taceo, quod multa ita sunt exposita, ut conficta ab autoribus non sit dubium, cuius illud argumentum est, cum & tempora, cæteraq; annexa o-

Historici monstrorum inferiores Physicis.

mnia dißimulent: Sed mitto istos, qualescunq; sint, saltem hoc nobis concedant, rudißimam esse illam per historias docendi rationem non philosophorum propriam, qua utuntur illi quidem, sed non sola. Nam & historias scribunt, cum rerum aliena fide cognitarum naturas utcunq; definiũt: sicut plantas Dioscorides, animalia Aristoteles, Plinius, Solinus, Volaterranus, Gesnerus: Et rursus modum generationis, ortumq; & differentias atque affectiones, quod alijs libris fecerunt ingeniosißimè Aristoteles, Theophrastus, hoc posterius proprium Philosophorum est, cum rerum essentias, principia, omnemq; ortum plenius investigant. Ergo cum utriusq; generis scriptores de monstris habeamus, historias præter paucas, sed certas & novas à nemine descriptas, persequi copiosè non placet, posteriores autem hos potißimum sequemur, eorumq; diligentiam imitabimur, & quia sapientum sententiæ uno volumine collectæ non exstant, primum quidem vel omnes vel præcipuas ex eorum clitellis mutuatas comportabo, additis singulorum nominibus. Tum doctrinam variè dispersam in ordinem contraham: Nonnulla moderata tractatione ad iudicium revocabo, & quæ eò pertinebunt, etsi prætenta sint ab alijs, pro auctario qualicunq; adijciam. Sunt enim non modò vulgi permultæ & manifestißimæ superstitiones: sed & literatorum mirifici deliramentorum affectus, de qui-

Duplex docendi ratio.

Institutum autoris.

de quibus absq; temeritate dubitare licet. In toto methodum sequar, quæ argumento & doctrinæ commodas, eamq; qualem capitum index, quem præmisimus, repræsentat. Quo quidem in proposito si quid præstitero, lætabor, sin minus, & conatus hic non improbandus, maximè cum in edendo multorum voluntatem sim secutus, qui instigarunt strenuè, sed contulerunt nihil, ijs non dissimiles, qui lucernam emungunt, ut ardeat, olei nihil affundunt tamen: dissentire etiam poterit, qui volet. Quid enim contradictorem non reperit? quanquam in plerisq; studiose cavi, ne, cum plane in dubio essent, temere affirmarem, sed ita, ut sunt, exposita, quæ in utrumq; afferri possunt, relinquerem: Atq; de his quidem hactenus.

Sed quod, inquiet aliquis, erit operæ precium? aut quid ea diligentia assequemur? Num digna res est, quæ quibus ex causis pendeat sollicitè excutiatur? Multa in Physicos Lucianus ridicule, nihil illos neq; publicum neq; privatum agere, sed inutiles & supervacaneos sedere in nugis, ut nusquam in consilijs, nusquam numerentur in armis. 6. Ethic. etiam cap 7. Anaxagoram scribitur, cæterosq; sapientes, prudentes non haberi, quod ignorent, quæ utilia sint, sed tantum recondita, divina, tamen inutilia. Addidit etiam Averrhoës quibusdam supervacaneum esse visum de his potissimum adeò fœdis in natura portentis tradere. Sanè digna est harum etiam rerum dili-

Vtilitas argumenti multiplex.

gens inspectio, pertinetq́ ad Philosophum, multa habet futura usui, multa quæ detinere animos, non mercede, tamen sed miraculo possunt: Quod si enim sapiens causas monstrorum talium penitus ignoret, multarum rerum peritiam non assecutus sit necesse est, quæ accidunt nonnunquam. At debet omnium quæ offeruntur, si modo possit, aut certè quantum valeat: siquidem id demum Philosophi est, in quamcunq; rem possis quomodo pervenire, ad eam tendere. In 6. autem Metaphys. *scientias speculativas ausus est dicere omniũ præstantissimas, hanc verò inprimis.* Agnovit & *hoc Aristoteles, nullam rem in natura adeò vilem esse, quæ iucundam considerationem exercenti animum non afferat.* Ita enim loquitur 1. de part. anim. cap. 5. *De animante natura disseramus, nihil omittentes pro viribus vel vilius vel nobilius: Nam & in ijs, quæ hoc in genere minus grata nostro occurrunt sensui natura parens, & autor omnium miras excitat voluptates hominibus, quĩ intelligunt causas atq; ingenuè philosophantur. Absurdum enim nullaq́; ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium non sine delectatione propterea inspectamus, quod ingenium unà contemplamur, quod illas effecerit, id est, artem pingendi aut fingendi. Rerum autem ipsarum naturæ ingenio, miraq́; solertia constitutarum contemplationem non magis persequamur, atq́; exosculemur, modo causas perspicere valeamus?*

mus? Quamobrem viliorum animalium disputationem perpensionemq; fastidio pueriti quodam spreviſſe, moleſteq; tuliſſe nequaquam dignum eſt, cum nulla res ſit natura, in qua non mirandum aliquod inditum habeatur. Auxit hanc ſententiam Averrhoes. Profeſſor, inquit, huius ſcientiæ tractare debet de qualibet ſpecie animalium pro viribus, etiam de ignobilibus ſpeciebus quam plures homines imaginari videantur id eſſe ſuperfluum, aut inutile loqui de imperfectis, qui tamen errare in hoc videntur, cum ſcientia naturalis plus ferè appareat, in materia viliori, quam in nobiliori. Difficilius enim introducitur generatio in materia imperfecta. Horum igitur teſtimonijs argumentum noſtrum minimè indignum fuerit opera, in quo ſi quid ob rei deformitatem inerit tædij, cauſarum amœnitate diluendum eſt. Diſertius etiam hoc ad ſcholam Phyſici alligat 1. de ſenſ. & ſenſ. Phyſici eſt valetudinis & morbi primas cauſas animadvertere, præſertim cum nec valetudo, nec morbus in ea, quæ vita careant, cadere poſſit. Itaq; ferè ij omnes, qui in naturæ ratione verſantur, & medici, qui ſunt in eo genere ſapientiores maxima ex parte, vel in ijs, quæ ad medicinam pertinent, finem artis faciunt, vel certè ex ijs, quæ naturam attingunt, principium ducentes de medicina diſputare ſolent. Hæc ibi quidem pro iſtis. Quod ſi ita cenſendum eſt, fœda cognitionem liberalem non afferre; quam multa

Etiam in re vili magnum quid latet.

multi sunt in nobis ipsis, quæ sine sensuum offensione etiam ad memoriam solam, ferre vix possumus, menstrua, sordes, pus sputa, excrementa cœtera, quorum si exquisitam noticiam non haberent medici, quam curam habere corporum in morbis possemus? Nihil autem tam adversum, in quo animus usum, solatiumq; non inveniat: Ex qualibet re odor lucri bonus; quanquam, si corpora ista cum spectantur oculis, offendunt, non est etiam necesse descripta & literis explicata offensionem parere. Quam multa enim misera sunt, cum nobis obversantur ad sensum, cum leguntur, ut bellorum eventus, & victoriæ, cum iucunditate singulari accipiuntur.

Commoda ex theoria monstrorum. *Neq; tamen hæc ipsa eò tantum discuntur, ut sciantur, aut generari monstra possint, usum commoditatemq; in tollendis miserijs nostris insignem præbent. Perinde enim ut in cœteris morbis, causarum unde soleant existere, ignoratio duo habet incommoda. Unum quod vitari nequeunt, alterum, quod tolli non possunt. Sic in monstris, si quibus modis illæ oblæsiones, cum animal formatur in utero, accidant, non animadvertuntur, citius nimirum frequentiusq; peccatur in ignoratione, & auxilium sperari non potest. Non facile dixerim, quam multa mulieres cavere ad fœtus incolumitatem possent, si quibus naturæ motus solvuntur, diligenter attenderint, & quanta providentia in gerendo utero opus sit. Fuit*

præte-

rea ratio, cur ipsi iurisconsulti in monstrorum mentionem inciderint, cum definire illos oporte. at, quæ pro monstris habenda corpora, quæ pro vitiosis tantum. Cum enim de redhibitionibus agitur, quibus in rebus ea esset lucta, constare debuit, quomodo aliquid corruptum esset & morbosum, ut usum & ministerium, cuius causa emptum fuit, præstare Domino non posset. Itaq; de vitijs corporis in ff. libri ad edictum ædilitium prætorium non pauca ab ijs tradita sunt. Quæsitum ab ijsdem, num profit mulieri, si quid prodigiosum sit enixa: postulatum ab ijsdem, liceátne partus monstrosos occidere, quod fecêre multi, sed reprehensi sunt; ut vel ex his ipsis colligere liceat, quātum intersit scire, non quid vulgo sed sapientibus de his videatur: Poterat reddi seruus, si antiadibus laboraret vetustis iamq; induratis, ei qui vendiderat, itemq; is, qui urinam non contineret, naturæ non ebrietatis vitio. Porrò cum monstrosi fœtus monumenta nonnunquam sint flagitiosarum libidinum, vitaq; intemperantis pœnæ, ad pietatem his spectaculis avocari animus religiosus debet, à vitijs autem & incontinentia ad sobrietatem se & continentiam abducere. Offenderat iampridem Philosophos, quod in eo animali, cuius tanta esset divinitas, naturæ nulla cura aliquando appareret, ex eo querebatur Plinius non videre se, meliórne parens homini vel tristior noverca esset, cum nulli vitam fragiliorem tribuisset:

Iurisconsulti agunt de monstris.

Pietatis exercitium.

ſet. Totus homo, inquit Democritus, ex natiuitate morbus eſt, & ex maternis uteri inquinamentis talis prodit. Ita non modo vulgus imprudens, & turba ingemit, ſed & clarorum virorum hæ querelæ ſunt, cum quibus tamen lis eſt ijs, qui iuſtitiæ diuinæ ſeuerius patrocinantur. Vident illi terrena eſſe & fragilia hominum corpora, cur eſſent, cum non viderent, non potuere non queri, ea conditione nos naſci, ut propemodum, antequam benè valeremus, ægrotare inceperimus, et ita quidem nonnunquam deformati prodeamus, ut matrem ſuus conterreat infans. Nam ſatius fortaſſis erat, aut natum non fuiſſe, aut ibi mori, ubi viuere cœperunt. Sit poſtremò ſuperbiæ etiam frenum, ſi quando hic vitæ, corporis & formæ, quæ tantoperè nobis arridènt, ſeminarium contemplamur: Vides quæ hominum origo ſit, quamq; dubia. Qua parte noſtri aut gignimur, aut formamur? aut excludimur? Non quæ honeſtæ putantur, ut os, manus, oculi, lingua: ſed in utroq; ſexu ita ſane ridicula, & turpi fama, ut paucu citra cachinnos nomines, multis offenſionem pariat. Ex hoc fonte vita nobis fluit. Quam faciles in ortu degenerationes ſunt à terrore, metu, ſpecie, atq; idolo fons obiecto, aut ſi quid aliud paulò tumultuoſius in animum irrepit, non licet aſpicere mutilum, mutilatur corpus noſtrum, nocet quod mater appetit, quod edit, bibit, non motus ipſe quilibet liber eſt; ita multis modis jam jugulamur

Frenum humanæ ſuperbiæ.

Ridicula hominis origo.

mur intus & excutimur imperfecti, ab extincto etiam ellichnio mors expectanda, iam toto corpore aut certis partibus labem accipimus, mille deniq; miserias, antequam lucem aspicimus, in primo ortu nostro subire necesse est. Digna mehercule res tam singulari insolentia & arrogantia. Quem enim hæc vel modicè tangant, moderatum reddent? Hæc sunt, cur Philosopho monstrorum mentionem minimè indignam iudicemus, cum & iucunda contemplatio sit, & salutaria præcepta pietatis, doctrinæ, æquitatis, morum complectatur.

CAPVT II.

Adserta necessitas Origenis in vocibus: Monstri vocabulo substantiane vel accidens significetur: concretum vel abstractum: an nota universalis vel particularis: Deniq; corporene aut animo monstra ducantur.

Placet igitur ab eo principium sumere, quod in docendi ratione vi ac potestate primum esse solet, cum id, de quo agitur, definitione exponitur. Sed antequam, quid res sit, doceatur, nomen intelligere convenit, quæ res in speciem parva videtur, usu magna, quandoquidem neq; an res sit, neq; qualis sit utiliter cognoscitur, si de voce nondum constet, ut in capite de inani observavit Philosophus. Certè à vocibus nonnunquam in propo- Vim vocum scire quantum intersit ad docendum.

fiti perceptionem devehimur, ut est in Cratylo & Aristotele sæpissimè. Verum in pertractando etiã error plerumq; gravis admittitur, si is, qui de re aliqua loquitur, homonymias non discreverit, cuius tanta ratio est, ut verè Boëtius dixerit, si rerum appellationes omnibus notæ essent, aut unam sui significantiam semper tenerent, neq; ambiguo aut obscuro dicto auditores fallerent, omnino rei definitionem non futuram necessariam: sed imposita sunt rebus nomina, vocesq; singulæ per existimationem eius, qui ita res appellandas censuit, in quo cum error sæpè intervenerit, vox ipsa non satis est, ut quale vnumquodq; sit, possit ostendere. Sunt enim moneta cogitationum voces, & rebus subserviunt. Quod si igitur habenda nominum ratio quædam, etiam in monstro quid insit prius videamus, hic sumto initio. Rerum actu constantium alia quidem substantiæ sunt, aliæ quantitates, qualitates quæq; cæteris Categorys includuntur. Ex quo cum plura, quam duo genera eorum quæ sunt, constitui nequeant, ut substantiæ sint vel accidentia, monstrum horum alterum significet necesse est. Quippe ut res, ita rerum appellationes diversæ sunt, quibus vel per se subsistentia exprimimus, ut arborem, lignum, folium, vel affectiones & quosdam modos rerum, quibus fundamentum præbet substantia, ut viride, rotundum, sanitas morbus. Hæc sicut de prioribus dicuntur, ita insunt etiam 3. Physic. τὸ γὰρ συμβεβηκὸς

Monstri appellatio substantiam ne an accidens notet.

καθ'

καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται. Monstrum passionem indicat, quæ inest, cum neq; animal ullum, neq; planta, neq; species ulla alia in natura monstrum dicatur simpliciter: sed id quod voce significatur, inest alicui. Inesse autem accidentibus competit, à quibus res qualis dicitur, sicut æthyops à nigredine niger, itidem & à forma & à partium depravatione monstra dicuntur corpora, quasi depravatum animal dicas. & sic ἁμαρτήματα Aristoteles & παρεκβάσεις & τεράσματα. Error igitur & vitium monstrum facit in re, quæ per se nomen habet aliud, id verò. cuius causa animal monstrum appellatur accidens est, non substantia, ut in his etiam, valgus, varia, gibbus, obstipus, quæ perinde sunt, ac si dicas, homo claudus, distortus, semicæcus. Non est de animalis aut plantæ ratione, ut monstrum sit, sed hoc illis accedit aliunde, sicut nec de ignis aut aeris ratione est, elementum esse, ut est in 12. Metaphys. Itaq; si quando symmetriæ naturali & coagmentationi partium in corporibus viventium ita adversum quippiam contigerit, idq; enorme admodum sit, monstrum dicitur, quod ita degeneravit. Id, cur animal monstrum dicitur, accidens est.

Sunt & alia alijs deformiora, & plus minusq; à statu suo discedunt, quod ipsum rursus accidentium est, in quibus solis plus minusq; admittitur. Qui verò ita intrepidè monstra ἐσίας faciunt, nihil à se alienum faciunt. Nam & peccata eiusmodi iisdem sunt, & sub eandem naturam redeũt,

quod si recipitur, oppositi etiam affectus vitij substantiæ & animalia sint necesse est, sed quâ sententiæ istæ procedant, viderint, qui disputationibus talibus & tristibus ineptijs nihil profuturis otium malint terere. Non illi quidem multò prudentius, quàm qui virtutes animalia esse persuadere conabantur, fortaßis & barbarismos & syllogismos, cùm quibus litigare Senecam finamus, statuentes ut lineæ affectiones rectitudo & obliquitas sunt, sic animalis perfectio & imperfectio, sub hac monstrositas.

Quale accidens monstrum.

Duplex modus intelligendi accidentia & significandi.

Significatio quid.

Alterum sit: duplex modus, quo accidentia intelliguntur, duplex etiam significandi modus per vocabula. Aliquandò solitariè animo intelliguntur, ut rem in qua sedem habent cogitatione nequaquam comprehendas, ut mõstrositas, serenitas, quod fit, quoties abstrahit intellectus, & conjuncta separat. Aliquandò copulatè intelliguntur, ut æger, sanus, pallidus. Nam & pallor, & is cui inest, una voce continetur. Eadem est nominum in significando varietas. Nam significatio est eorum, quæ intelliguntur expreßio, & ἑρμηνεία. Voces etenim rei intellectæ signa sunt, ex quo fit, ut sicut accidentia in animo sunt, vel extra animum, ita duo etiam sunt significandi modi, unus quemadmodum loquuntur per adsignificationem, quo revera existunt accidentia, & eiusmodi sunt concreta cum suis subiectis. Alter citra illam adsignificationem, formam nimirum extra res ani-

mis inhærens, nec tamen inane quiddam, sed cognitioni nostri inseruit in mente, quasi idea considerata. Ita hi duo modi differunt, quod prior in concreto effertur, cum subjectum assumitur: alter in abstracto. Mens enim abstrahit, cujus id officium est: secundum hæc sicut monstrositas dicitur abstractè, ita monstri vocem ut concretam accipimus, in quo compositus ille significandi modus insit, propterea duo continet. Vnum formam accidentariam, deformitatem ex errantis naturæ lapsu. alterum id, cui inest, sive plantam, sive animal. Viventium enim affectio est. Quæ duo, cum manifeste una voce contineantur, forma, & formæ subiectum, ratio apparet, cur negarint logici, ad categoriam certam referri concreta oportere. Tum verò demum, si seiungantur unita, & alius formæ, alius subiecto locus assignetur. Nam id quod inest, accidens est, cui inest substantia.

Quamvis autem insit utrumq; concretis, primariò tamen forma significatur, secundariò & posterius, res cui inhæret forma, ideoq; ad eam potius Categoriam pertinet, in qua forma est, quam quo subjectum. Illius enim non hujus potissima ratio est, & vox ipsa principaliter accidens notat, ad cujus tamen naturam ostendendam subjectum additur, quod fit etiam in alijs vocibus. Nam cum scamnum dico, verbi gratia, id quidem ante omnia, quod ex arte ortum est, communi hominum intelligentia accipitur, cuiusq; usus gratia In concretis principaliter forma significatur.

tia

tia facta res est. posterius verò materia lignum, vel id qualecunq; , è quo artifex scamnum elaboravit, fitq; lignum tale, & novum nomen accipit, nec lignum dicitur simpliciter, sed scamnum ligneum, cum formam aliam assumserit ab arte, quod ex se naturale est. Denominatur etiam ab eo quod ars tribuit, non quatenus naturale quid: similiter & homo homo est, & perfectus & imperfectus: sed ab his idem aliam interdum denominationem accipit, & monstrum dicitur, qui & homo. Sicut anthropophagus homo est, proprietate tamen a communi hominum natura differens.

In monstro materiale & formale.

Reflexerunt eò, qui in monstro aliud formale, aliud materiale esse voluerunt, quod cum explicant, formale, inquiunt, ipse morbus est, ipsumq; vitium, quod monstrosum facit. Efficit enim ut animal tale sit animal. sicut per virorem gramen viride est, per distortionem lignum distortum. Materiale subjectum est, cui id inest.

Definitur igitur monstrum, quod sit animal deforme, & monstrositas deformitas animalis.

In definiendis abstractis & concretis subjectum ponitur sed diverse.

Nam & in abstractis formis & concretis cum definiuntur, subjectum poni necesse est, cujus ratione contrahuntur differentiæ, hoc tamen discrimine, quod abstractis differentiæ loco subjectum in obliquo casu tribuatur necesse est, ut simitas est curvitas nasi. Concretis generis loco & recto casu, ut simus est nasus concavus, vel in quo nasus talis. Per se quidem curvitas primo lineæ affectio

est;

est, sed cum ad aliud subjectum contrahitur, non jam curvitas sed simitas dicitur. Ex his constare potest voce monstri eam formam significari, in qua tota ratio consistit. Esse autem formam accidentariam, quæ abesse vel adesse potest; nomen rei primum non immutantem. Nam & monstrosus homo, homo est, sicut & niger, cum albus fit. Est enim affectus præter naturam ei διάθεσιν oppositus, quæ secundum naturam est, & sanitas dicitur. Contraria autem sub eodem genere, & quæ in monstro est constitutio, salubri opponitur. Ac ut iusta corporis & salubris dispositio dicenda est, cum partes similares debitam temperaturam habent: instrumentales verò proba conformatione, hoc est, magnitudine, numero, formatione & ordine inter se moderatissimè sunt constitutæ. Ita si quid in utrisque parum commensuratum est, & ab exemplo communi longius recedit, optima habitudo vitiatur, & cum ametria partiumque læsio insignis admodum in utero impressa est, monstrum fit, quod ita nascitur, quamvis non quævis læsio, quales infinitæ esse possunt, hoc nomine debet appellari, sed enormis, quod & Aristoteli placuit, & tale corpus insalubre simpliciter dici potest. Si enim corpus simpliciter salubre dicendum est, quod ab ipso ortu simplicibus ac primis partibus optimè temperatum est, & instrumentis cæteris rectè compositum, sicut formosissima pictura, cujus nulla pars errat, erit è diverso morbo, uni sim-

simpliciter, quod ex ortu primo vel partibus simplicibus intẽperatum est, vel instrumẽtis malè cõpactum, vel in utroq; laborat. Quod cum in monstris animadvertatur, insigniter, quid impedit, quo minus monstra morbosa simpliciter dicamus corpora, etsi fortaßis non id voluit ibi Galenus? Facit certè huc, quod addit morbosum semper id esse, quod ab ortu partibus vel omnibus vel aliquibus peßime contemperatum est, aut malè compositum. Durat autem monstrositas per totam plerumq; vitam, (si tamen diu vivunt monstra) quæ est omnium deterrima constitutio. Atq; hoc quidem alterum est:

Accidentia universalia & particularia.

Tertium: Accidentia appellationes duplices sunt, aliæ universales, aliæ particulares. Monstrum universalis nota est, & γενικῶς accipitur, ut de multis sibi subjectis differentijs prædicari poßit, cujus universalitas alijs deinde particularibus distinguitur. Est enim universalitatis nota de alijs dici posse. particularitatis, cum rerum ultima sit, de nullo efferri. Ergo ut color commune accidens est, quod de albo, nigro, fulvo, cæruleo, cæterisq; eiusdem generis dicitur Ita monstrũ de ginno, macrocephalis, Pygmæis, Polyphemis, ut differentijs, accipitur. Nam & gibbosus monstrum est, & valgus, & cocles. Cætera eodem modo.

Monstra an secundũ animum vel corpus

Quartum: Monstra cum animalia etiam appellemus, & hominem frequenter, hic verò animo, & corpore constet, utrum secundum aliquid, an verò

verò secundum totum id ei competit? Docuit in 1. de anima accidentia Physica totius esse suppositi,& corpori,animoq; communia. Verum ex his alia quidem animæ insunt propter corpus, aliqua contrario. Visum fuit Platoni, & Alberto monstrosos corpore etiam animo monstrosos esse, de quo infra suo loco. Placet corporis affectionem appellare, quod depravari, & fingi variè potest. Animæ ὅσία incorruptibilis, nec his malis subjecta. Manant tamen vitia corporis in animum, cum eum in agendo ob ineptitudinem impediunt, & officia perturbant.

CAPVT III.

Monstra,prodigia,ostenta, portenta,differre Grammaticis: Monstri Etymologia Ciceronis, sed impugnata per diversam: Quibus rebus propriè monstri vox competat, Num honorifica nonnunquam monstri appellatio: Græcæ voces annotatæ: sapienti curam nominum non esse abiiciendam.

P*Orrò ijs qui Grammaticorum institutiones observant, quatuor vocibus monstri, prodigy,ostenti,portenti,non idem significatur,sed diversas res notant, quamvis persæpè indifferenter usos scriptores patet: Quid tamen discriminis constituant inter hæc, & quæ monstri etymologia,* Differentia quatuor vocabul.

gia, & qua significatione hic placeat uti, & quibus vocabulis Graeci expresserint, ordine dicendum. Igitur monstra vocant, quae contra naturam fiunt, habentq; abhorrentem maxime in genere animatorum figuram, sicut est homo biceps, aut vitulus sex pedibus.

Monstra.

Dixerunt haec etiam promonstra, quod porrò monstrent, hoc est, moneant. Isidorus confidenter subtilis hic; quem quidam pro parum idoneo autore habent. Hinc placet à monitu dici, quod aliquid significandum demonstrent, quod apportent, & hoc esse proprietatis, abusione tamen scriptorum plerunq; corrumpi. Dilatavit autem ad hunc modum: Quaedam portentorum creationes in significationibus futuris constitutae sunt. Vult enim Deus interdum ventura significare per aliqua noxia nascentium: sicut & per somnos, & oracula, quibus praemoneat & significet, quibusdam gentibus vel hominibus futuram cladem, quod plurimis etiam experimentis probatum est, ut in temporibus Xerxis regis. Tum quippe vulpes ex equa creata dissolvi regnum eius portendit. Alexandro monstrum ex muliere natum est, quod superiores partes corporis hominis, sed mortuas habuerit, inferiores diversarum bestiarum, sed viventes, significasse ajunt, regis repentinam interfectionem; supervixerant enim deteriora melioribus: sed monstra, quae in significationibus dantur, non diu vivunt, sed continuò, ut nata fuerunt,

Promonstra.

Finis.

Monstris significari ventura.

viunt occidunt. Atq; hoc quidem de monstrũ senſit. Portenta vocant naturalia quidem, ſed rarò apparentia, & in futurum aliquid denunciantia. Id enim pro & porrò indicant. Tale eſt, ſi quid magnitudine rarum ſit; in ſe tamen naturale, ut ſunt ingentes venti, & pluviæ inſolitæ. Quæ enim eiuſmodi ſe offerunt, non ſunt contra naturam, cùm cauſas naturales habeant, quod in priori genere minus apparet, ſed quæ tamen minus notæ ſint. Sequitur oſtentum, quod ſtatim aliquid futurum indicet, quodq; prope ſit, & quaſi præforibus, ac jamjam malum oſtentet, ut ſereno die facta tonitrua, Cometæ, mulæ partus. Prodigia deniq; quæ porrò dicant, ſeu futura prædicent. Ea ſunt, quæ naturaliter quidem & frequenter fiunt, quoties tamen fiunt, ſemper malum quippiam nunciant, ut bubonis ejulatus, abeunti obvia muſtela, corvi cantus. Albana aqua cruenta viſa, ſtatuarum ſudor, apum examina in certis locis: ædes publicæ de cœlo tactæ: Bos ſponte ad aram preparata: Bubo in urbe conſpectus. Canum ululatus, Cœlum ardere viſum. & quid poteſt omnia? Nonnius in hunc propè modum: Monſtra & oſtenta ſimiliter intelliguntur, quod imminentia monſtrent, & oſtendant: Portentum non ſolum quod portendat, ſed etiam quod apportet, & faciat ex hiis ſignificationibus, quæ in auſpiciis, auguriis, & extiſpiciis oſtenduntur. Prodigium autem ſemper peſſimum, dictum quaſi porrò adigendũ. Virgilius de eo in 3. Æneid. C Sola

Oſtentum.

Prodigia.

Nonnii ſententia de iiſdem.

Sola novum dictuq; nefas harpyi Celæno
Prodigium canit, & tristes denunciat iras.

Porrodi-cium. *Vbi Festus admonet prodigium dici pro porro dicium literæ unius mutatione. Nam quæ nunc C appellatur, ab antiquis G appellabatur. Monita & ostenta ad Deum referunt, cujus sint monita autoritate Virgilij 3. Æneid. Primumq; parenti Monstra Deûm refero. Prodigia Deorum minæ & iræ sunt, ut in superiore loco Virgilij, quo pertinet locus in 6. Verrina. Etenim multa sæpè prodigia vim eius numenq; declarant Cereris Omnia*
Fronto. *hæc Fronto brevius voluit: ostentum est, quod præter consuetudinem offertur, ut si videatur terra ardere, vel mare vel cœlum. Portentum, quod porrò, & diutius manet, futurumq; postmodum aliquid significat. Monstrum est contra naturam, ut: Minotaurus. Prodigium quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur. Itaq; qui prodigia faciunt, prodigi vocantur. In ostento raritas admirationem facit. In monstro rectus ordo vertitur: In portento differtur eventus: In prodigio detrimentum significatur. Labeo ostentum laxè omnino, quicquid contra naturam cujusq; rei genitum factumq;. Iidem portentum &*
Portentu. *portentosum discriminant, ut sit portentum enormis quædam transmutatio, & degeneratio, sicut cum in umbria pro fœtu humano serpentem edi-*
Portentosu. *dit mulier, Portentosa verò quæ levem deformationem habent, ut si cui sextus digitus adnatus:*

Vnum

Vnum vero Ciceronem audiamus, qui Etymologiam nobis diserte proposuit in 2. de Deorum natura. Prædictiones inquit, & præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea quæ futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa ostenta, monstra, portenta & prodigia dicuntur. Hæc ille Dictator Romanæ linguæ, cui palmam eloquentiæ universum illud imperium tribuit, etiam vivo. Huic monstra monstrant. Monstrare autem docere est & monere. Qui semitam non sapiunt, alteri monstrant viam Tamen ab eo sensu desciscunt Physici plerique, quibus aliter visum est. Nam ut à monstrando deducas, si tamen sunt ex monstris quædam, nihil significent autem, aliquarum hoc proprium fuerit tantum, non competet interim iis, quæ nullæ sunt futurorum notæ, & dicent monstra, à quibus natura monstri abest, hoc est, significatio. At absurdum est: Tota generis natura & definitio speciebus omnibus competat necesse est. Sicut si Hexametrum dicas versum, qui sex mensuris constet, eum ita non nominabo, qui pauciores vel plures habuerit. Quod si dicant, ita quædam esse speciebus propria, ut de individuis non omnibus dici possint. Nam serpentes reperiri veneno carentes: totum tamen genus venenosum dici. & lapides dici non liquescere, reperiri tamen aliquos, aquas dici sitim extinguere, sed esse etiam, quæ potæ sitim augeant, parum hæc subsidy afferunt. Nam in his diversitatis ratio ex

Monstri etymon.

Contra illam sententiam Physicorum.

naturæ varietate erui potest, in illis non habent, quod offerant. Quid? quod teste Plinio quadam habita aliquando in prodigijs sunt, eadem paulo post fuerint in delitijs, ut hermaphroditi. Idem monstra agnoscit, quæ ostenta non sint l. 7. quasi non quicquid pravè nascitur, idem etiam ostentum sit, & portendat. Multa etiam alicubi ostenta esse, quæ non sint in multis terris alijs, ut ter geminos nasci in AEgypto non magnæ famæ est, nec inter miranda habetur. Ergo quibus secus videtur, monstra à monstrando quidem dici placet, sed quia monstrentur, ut rara, insolita, mira ob novitatem, quomodo Romano in imperio maximi principes multa subinde animalia sive rara tantum, sive etiam speciẽ essent absurda, populo spectanda offerebant, ut animos oblectarent, non terrerent, & sic Poëta usurpavit. At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est. Accurritur enim ad spectacula eiusmodi. Varro in 6. de lat. l. miracula à miris, id est, monstris facit, à quo Actius personas distortas & oribus deformes, mirriones dixit. His obstat rursus, quod verè monstra non monstrantur in spectaculis; sed occultantur potius ob fœditatem & pudorem eorum ad quæ attinet, ut ijs abscondendis nulla nox satis alta esse possit. Inde antiqui de ijs, quæ clam gererentur, proverbio utebantur: Aliquid monstri alis: quod ipsum magis etiam fit periculi vitandi causa, ne in prægnantibus concepta in animo absur-

Monstra cur à monstrando.

Monstra non omnia monstrari.

da

da specie, ut fit sæpe, fœtus depraventur. Ita contraria rei designatio: Nisi fortaßè dicendum, hoc de aliquibus rursus accipiendum tantum, quoniam & monstrosa monstrant pauperes quæstus causa, & absurdißimi in delitijs habentur hodie, quibus vitia non modo non nocent, sed prosunt etiam. Emuntur enim, aluntur, vestiuntur, sunt pro spectaculo, & propemodum nihil sine his geritur. Non probavit tamen Seneca: si quando, inquit, fatuo delectari volo, non longè quærendus est, meipsum rideo. Verum & absq; hoc & mala & bona, sicut admirationem sui utraq; movent, ita monstrari solent, quod docuit Poeta cum diceret:

Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quam pulcrá Nereus conspiciendus erat.

Certè & Lucianus Thersiten vocat παγγέλοιον ἄνθρωπον. Delectat falsitas etiam, delectant bona, quia pulcra, unde & ἀγαθὸν initio pulcrum significabat, quod spectatione multa esset dignum ἄγαν ἄξιον θέας. Ergo hi tot autores & tanti tam varia, ut neq; in nominum differentijs, neq; in ortu vocis admodum consentiant, & sanè modica sunt omnia, incertaq;, quod monuit quidam ex eo ordine non malè: οὐ χρὴ ζητεῖν ἐν πᾶσι τοῖς ῥήμασι ὁμοιότητας ἀσμοιάσυς, καὶ κανόνας ἀσφαλεῖς, καὶ τύπους ἀκριβεῖς. συγχωρεῖν μὲν γὰρ εὑρίσκεται τοῖς ἀνθρώποις αἱ λέξεις De studio etymologico.

λέξεις διὰ τὴν ἀνάγκην τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας, ὕστερον δ' ἐπιγινομένη ἡ τέχνη, τὰ μὲν εἰδυνήθη ῥυθμίσαι, καὶ εἰς εἰκόνα τινὰ ἀγαγεῖν: τὰ δὲ μὴ δυνηθεῖσα εἴασεν ἀφ' ἧς εἶχον συνηθείας.

Melius Varro lib 6. curiositati occurrit. De originibus verborum, qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quàm qui aliquid nequerit reprehendendum, præsertim cum dicat etymologicè, non omnium verborum dici caussas posse, ut quare ad medendum medicina. Neq; si non norim radices arboris, non possem dicere, pirum esse ex ramo, ramum ex arbore, eam ex radicibus, quos non video. Quod si satisfacere & rarò possumus, & res ipsa non magni ubiq; usus, quid attinet sudare in non necessariis, aut pugnare etiam morosius neq; levi impetu, quod quidem faciunt strenuè. Et plane hoc quod indicant Terentij versus isti.

In Hec. act. 3. scæ. 1. *Nam sæpè est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,*
Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus;
Pueri inter sese quàm pro levibus noxijs iras gerunt;
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt fermè, ut pueri, levi sententia.

Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.

Interest autem scire hoc loco, quid nobis monstrum sit, quandoquidem ita variè accipitur. Non est id monstrum, quicquid contrà præter ve naturam fit. Nam & miracula eiusmodi sunt, monstra non sunt, sic & vermes in intestinis & calculus. Non etiam, in quo deficit, aut abundat aliquid tantum. Sunt enim & plura alia: nec quæ rara & insolita. Sic multa monstra essent, quæ è mari afferuntur: monstra autem nequaquam. Iuvenalis virum bonum sui temporibus ita rarum fecit, ut non minus monstrum fuerit, quam pisces sub aratro repertus. Non quæ magnitudinem insignem solam habent, ut Elephas & Camelus, aper Erymanthius, Calydonius, marinus serpens ad ducentos pedes longus. Non quæ terribilia occurrunt, vt spectra. Philosopho monstra dicuntur corpora animantium potissimum, ita edita in lucem ἐν τῇ ἀρχῇ, aut ut speciem mutarint, aut enormem sive in toto, sive in partibus deformitatem notabilem habeant, in mole universa, ut Gigantes, in parte, macrocephali, in parvitate Pygmæi, in numero, monoculi, in figura gibbi, in situ valgi, & quæ sunt alia. Ciceroni & latinis sunt mirifica corpora, fœtus monstrosi, & monstrosa germina. Et quæ contra naturæ cursum fiunt. Quæ formæ detorsionem habent. Monstrosi etiam, qui ita nati sunt, ut quadam depravata ha-

Monstrum quomodo accipiendum.

Voces latinis usitatior.

beaut, Lucano monstrosi hominum partus. Partus enim non est editio tantum infantis in utero geniti, & ipsius gestatio: sed & fœtus ipse. Nam & Plin. li. 7. c. 5. & Gaza 8. hist. 4. sicut & Latini dixere partum maturescere, & partum verbis abigere. Alicubi Cicero monstrosissimam bestiam appellat, alibi conjungit præpostera, incondita, monstrosa. Plinio sunt metaphoricè naturæ adulteria pro non verè naturalibus operibus sed adulterinis, sicut sunt mercium adulteria. Cardanus licentiosius voce abusus est cum vita, moribus, & scriptis monstra vocat, viros perfectione nobiles, prophetas, sapientes, sive ob parentum egregiam naturam tales sint, sive ob constellationes & syderum concursus, quomodo fortassis non quivis loqueretur, neq; honorificum fuisse latinus usquam legitur. Quod si hi, etiam formosissimi, monstra dicentur, magis fœminæ literis illustres, Sappho Lesbia, Erinna, Demophila. Nam rarum in hoc sexu est philosophari, & carminibus, quod divinum semper habitum est, ita excellere, ut cum viris etiam contenderent. At quia in monstris defectus est, & semper vitiatum quippiam, non satis benè, quæ absolutissima sunt, hac appellatione infamantur. Video tamen medicos monstrosos quosdam affectus, monstrosas etiam curationes appellare solere. Morbos quidem, qui admirabiles, & cum causæ non satis patent. Curationes, quæ absq; artis ministerio evenerint, quale est de paralytico,

An magni viri, monstra rectè dicantur.

Morbi & curationes monstrosorum.

ralytico, ob vim morbi iam deserto à medicis. Is cum ædes flagrarent præsente in periculo ex alto se præcipitans, totus convaluit. Monstrosius hoc alterum: Sagittarius quidam latro captus, olim calculosus dissectus, ob id, quod in vivo omnia recta, quàm in mortuis conspicerentur. Avulsæ partes in ijs locis, ubi generari calculus solet. Ubi explorata sunt omnia in vivente adhuc, corpus consutum est denuo, convaluit & supervixit. In V. popul. Eumelus Larissæus ita contractas habuit manus, crura, maxillas, ut extendere & flectere non posset. Cum is supinus caderet, & caput vehementer lapidi illideret paulo post surgens sanatus est & soluta omnia. Sed & hi aliena voce abutuntur ad sua omnino licentiosè, & poterant sine vi significantius aliter loqui. Non trahimus longius, quam ad inusitatas animantium distorsiones, eas quas in utero ex naturæ motu soluto, accipiunt.

A monstro monstrosus est paronymos deflexa denominatione, & cum eo cohæret, à quo deducitur, idq́ significat, in quo inest hoc, quod monstro competit, vel reipsa, vel similitudine. Sicut enim bilis calida, ita biliosi calidi. Litigarunt autem Grammatici, monstrosus ne an monstruosus dicere oporteat, perinde ut apud Varronem, an à Faustius Faustiani potius, quàm Faustinij. Sed u habent ferè quæ à vocabulis quarti ordinis sunt, à luctu, luctuosus, à vultu vultuosus. At monstrum Monstrosus. Monstruosus.

ex eo ordine non est: nec autores latini monstruosum dixére frequenter. Apud Ciceronem est utrumq. Dixit portentuosum Seneca si vera lectio est l. 14. Epist. 93. praeterea mixtum portentuosumq; & ex diversis animalium congruentibus membris. Et sic Augustinus: Vtrum dicas, parum interest: Praetereundum tamen non videtur. De latinis autem vocibus hactenus. Aridiora haec, sed sunt, qui postulent, & se oblectent, & alicubi non frustra labor. E graecis sunt haec. τέρας usitatissimum est, & in hoc loco Philosophus, quod de communibus signis accipi monent, & de raris, quae insolitum quiddam, & praeter naturae ordinem habent, ac tum signa Deorum esse. Vnde τερατοσκόπος Ζεὺς, prodigiorum autor, quod monere de futuris soleat signis editis & monstris: sed & aversor eorundem. Ammonius distinxit vocabula: τέρας σημεῖον διαφέρει: τὸ μὲν γὰρ τέρας παρὰ φύσιν γίνεται: τὸ δὲ σημεῖον κατὰ συνήθειαν. τὸ τεράστιον à priore non videtur multum differre. Sed Suida & Hesichio sunt prodigiosa omnia & miracula sicut & τερατούργημα, opus, quod monstrosum est, & τερατώδες τι saepè apud Aristotelem in lib. de anim. gener. Deducunt παρὰ τὸ εἴρω, quod idem sit cum voce λέγω, ut sit dicere, et praedicere τ addito per Pleonasmum, & ita abjecto unde τερατεύω mōstrosè loquor, sicut τερατογράφος. Atq; ut de verbi origine

Graecorum appellationes.

τέρας.

σημεῖον.

nom

non laboremus, quamvis sit ei voci significatio rei futuræ inclusa, non ob id sequitur, ita sensisse Aristotelem, ut putaret, ea quæ vulgo in significationibus habentur, revera talia esse. Vulgata enim voce utitur, & ita τέρατα, sicut in sacris signa cœli dicuntur, non quod talia sint: sed quod à superstitiosis ita crederetur. Magis Physicè τὰ παρὰ τὴν φύσιν vocat, quod aberrationes sint ab instituto naturæ opere, & hujus πάρεργα seu prævaricationes quædam. Nonnunquam παρεκβάσεις transgressiones, & degeneratio- παρεκβά-
nes. Id enim in παρεκβαίνω latet, quod est mo- σεις.
dum excedere, quomodo in Ethicis dicit τὸ μέσον παρεκβαίνειν, quod fit etiam in monstris, ubi aut excessus aut defectus est, atq; ideo evagatio à scopo. τὸ γὰρ ἐκλείπειν ἢ προστεῖναι τι τερατῶδες in 4. de ortu: Vocat & τὰ ἀνόμοια, quod vel tota specie, vel constitutione gignentibus non respondeant: Estq; μετάβασις eidem εἰς ἄλλην φύσιν cum in aliam naturam fit transitus. πήρωμα eidem & Plutarch. neq; mutilum πήρωμα.
significat tantum & mancum, ut quibus pars deest, sed quod imperfectum est, sicut accipit et Themistius, ut sit qualiscunq; oblæsio corporis, & sic Philosop. in Metaphys. In Hippocrate sunt ἀλ- ἀλλόμορ-
λόμορφα σώματα ὁκόσα φαίνεται ἐν ὕ- φα.
πνοισιν, monstrosarum figurarum corpora, qualia cum

çum in somnis apparent, terrent, novitate tantum, sed specie horrida. Accommodare possumus iis, quæ in specie degenerant, neq; impedit in vocis ratione, quod ille de Visis & Phantasmatibus dormientium loquitur. Imagines enim sunt rerum, etiam quæ verè sunt, aut esse possunt. Lucianus παράδοξα *vocavit in asino. Alibi* τὰς μορφὰς ἀλλοκότους, *sicut Thersiten* διάστροφον τὸ σῶμα καὶ λελωβημένον *mutilo & portentoso*
νοσερά. *corpore, in oratione adversus indoctum.* Νοσώδες *alij &* νοσερὸν, *quod morbosum est & morbidum. Sed primum generale est ad omnia valetudinis incommoda. Deinde non modo significat quod morbo iam affectum est, sed & huic obnoxium, quem nos valetudinarium vocamus, & Cicero morbosos iracundos dixit, quod incidere h. facile in morbos possint. Deniq; νοσερὸν, quod affert morbum, ut* καταστάσεις νοσεραὶ *cœli morbida*
ἀποφώ- *constitutio. Eustathius* περὶ φωλίας *voca-*
λια. *bulum de partu degenere usurpavit: & pro re monstrosa ac prodigiosa Plutarchus, cum* ἀποφώλια *propriè sint ova irrita, quæ* ἐκ τῶν φωλεῶν, *hoc est, nidis, vel antris aves abijciunt:*
πέλωρ. πέλωρ *etiam de monstris usurpatum, sed quæ magnitudine sint mirifica, ut gigantes, quasi dicas, ingens & immensum monstrum, quæ promon-*
φάσμα. *toria in mari insolente mole sua adæquent.* φάσ-
μα

ψα generale est, & ad specta & prodigia, & meteora etiam naturalia, cujus & in meteoris facit mentionem Aristoteles. Sunt autem certorum monstrorum appellationes certæ aliæ, de quibus singulis in loco proprio. Hæc de vocibus præmittere placuit, ut quid ad naturæ monstra Grammatici conferrent, intelligeretur, & ne in usu vocabulorum error admittatur, quod sanè turpe τις ἂν θείη ἁμαρτία 1. Metaph. *Neq. sapienti cura verborum omnis abjicienda: quoniam his res subsunt, & moneta cogitationum animi. Placuit Aristoteli in topicis hunc locum annumerare cæteris, placuit Ciceroni, cæterisq́, qui logicam disciplinam & inveniendi rationem illustrarunt. Nec Virgilium puduit, cum scriberet: Julius à magno demissum nomen Iulo. Et alibi Latium, his quoniam latuisset in oris. Galenus quam sæpe voces examinat, & neglectas reprehendit in aliis? Autor libri de mundo ex voce τοῦ κόσμου arguit nihil illo esse pulcrius, nihil illo ornatius. Idem in paradoxis Cicero, rectène antiqui bona nominarint, quæ in fortunæ fluxibilitate versentur. Itaq; si quæ sunt aptè, acutè, & subtiliter imposita rebus nomina, quorumq́ beneficio, cum intelliguntur, ad ulteriora pervenitur, eorum fontes rationesq́ vestigare non est vituperandum. Differentiæ etiam affinium planè non sunt ignorandæ. De cæteris, si rationem, cur imposita sint, non habeant, de iis vehementer laborare, quod nonnulli in*

Sapienti cura verborum incumbit.

otio faciunt ad superstitionem usque absurdum est. Vbi enim labor deterius insumitur? An matus hic animus agere nihil potest, aut fines sapientiæ latius non proferuntur? Hinc enodationes fabularum & vocum origenes, & cur quæque sic dicta sit Cicer. in 2. de natura Deorum, deridet. Etiam sic Galenus 2. de placitis cap. 2. Temerarius testis est etymologia, quippe qui & sæpissimè æquè veritati contradicentibus, & non rarò mentientibus magisquàm vera dicentibus attestetur, quod ipsum argumentum in libro de nominum elevatione est persequutus. Nam si in universum id studium repudiavit, cur de soporis voce, quæ ei significationes inessent integrum librum se scripsisse gloriatur l. 3. de morbis vulgaribus com. 1. cur Thessalum obiurgat, quod non discerneret, laborem, morbum lassitudinem? Quid archigenis & aliorum verba toties librat? Plato in Cratylo χειστομεῖ. Monuit Seneca interesse utrum adolescens per V & O scribatur. Hoc fatendum in turba illa absurdissimas afferri origines, cum montem dicunt à monendo dici, satis ineptè. Quid enim mons moneat? stellas à stando. Anstant omnes? sanè morientur omnes & rapiuntur motu vel suo vel alieno. Infinita sunt eiusmodi, & nihil attinet inquirere. Nobis hic vocis monstri origo quæstioni cuidam serviet, & erroris fontem aperiet, ideò inhærendum putavimus. Non sunt omnibus rebus congruentia omnia imposita, iis tempo-

Etymologia qualis testis.

temporibus, quibus priusquam quales essent intelligerentur, appellationes fortuitò inciderunt. Fortasse nec τέρατα commodissimè monstra dicuntur. Non igitur vel curiosus est, non sophista, non præstigiator, qui ut rem à re, morbum à morbo, substantiam ab accidente, sic propria ab improprijs, vicina à vicinis distinguens, unicuiq; convenientem nomen assignat, & à vulgari opinione ad veritatem reducit. At de his quidem hactenus.

CAPVT IIII.

Quem locum in Philosophia monstrorum theoria habeat: Naturalium brevis delineatio: ordo librorum de animalibus: cur in 2. ἀκεόας: monstrorum mentio.

Q*Voniam ampla est naturæ descriptio partiuntur materias Philosophi, & alias alibi, sed suo loco singulas exequuntur. At ubi sedes monstrorum erit ordinaria? Id igitur hoc loco breviter attingendum est. Exigit analytici ordinis ratio, ut à communissimis ad intermedia, ab his ad specialia maximè descensus fiat, quem laudat ex Phædro Platonis in cap. de specie Porphyrius. Aristoteles 1. de part. 1. Ex ea methodo quæstionum naturalium explicatio vel est de communibus, vel de proprijs.* Analysis. Methodus physiologica.

Com-

Communia sunt, cum corporum naturalium principia, causæ, affectiones in genere præcognoscuntur. Ea doctrina est in octo ἀκροάσεων ubi & de principijs, & quæ bis annexa; Eaq́ fundamenta sunt naturalis Philosophiæ, & in Physicis primum locum obtinent, neq́ ratio est cur metaphysici appellentur, cui opinioni & titulus repugnat, & quod sæpè alibi ab autore sic dicuntur, & assentitur Averrhoës. Post hæc universalis

Corporum partitio. *tractationis capita, corpora dividuntur in simplicia & mixta; de simplicibus autem, ut natura prioribus primum docetur in ijs, qui sunt de cœli substantia; eius incorruptibilitate, motu, cæteriśq, extremis autem duobq de Elementis, quæ sub lunæ orbem sunt, quatenus & ipsa simplices naturæ sunt, & motum habent simplicem. In his*

Simplicia. *quinq, cœlo, igne, aëre, aqua, terra, ex veterum Philosophia (à qua discedit nova) una differentia naturalium corporum continetur, de quorum primo secundum locum motu ibi differitur. De caducis rebus, quatenus gignendæ sunt, quæq́ his accidunt, in libris de ortu & interitu agitur, ad summam verò de generatione, corruptione, alteratione, augmentatione: Ad id explicandum assumuntur qualitatum primarum ἀντιπάθειες omnisq́ agendi & patiendi modus, & mixtionis ratio. Sed*

Mixta. *mixtorum alia perfectè mista sunt, alia imperfecta. De posterioribus, & quæ supra nos in proximo aëre generantur, quo & metalla quadam ratione*

rationè

referuntur, tres sunt libri de Meteoris: quartus enim ad generationis præcepta trahitur, & affectiones mistorum communes explicat. Animata natura in tria genera deducitur, in animalia, in Zoophyta, in frutices. De his sunt primum, qui de anima. alij de plantis. Sed negant esse Aristotelis. Adijciendi deinceps multi illi de animalibꝰ & copiosissimi, de brutis, insectis, homine, eamq́; particularem Philosophiam vocant, quod post universalem cognitionem singulas naturæ partes contemplari doceat, & singulorum entium constitutionem, quorum septem genera, cœlum, elementa, metheora, metalla, plantæ, bruta homo. Ex his nobilissimæ sunt blantæ & animalia, quorum natura operose investigatur. Qui de animalibus scripti sunt, quoniam in multa se extendunt, ferè in septem ordines digeruntur, sed non omnes uno modo numerant. Primi sunt libri de historia animantium, in quibus narrando natura eorum exponitur. Sequuntur libri de partibus eorundem. Tertius ordo est de incessu. Quartus, de anima tres. Quinto loco liber de sensu & sensili, memoria, reminiscentia, somno, vigilia, divinatione ex somnijs. Sexto de generatione animalium. Septimo de vitæ longitudine & brevitate, de morte, juventute & senectute, quem ordinem ex ipsius Philosophi verbis colligunt. Sed nihil impedit, alium etiam sequi, & certè libros de anima, libris de partibus neq́; sine ratione, graves autores ante-

Animata.



Particularis Physica

Septem ordines librorum de animalibus.

posuerunt: sed in libris de generatione, de principijs, è quibus constituuntur animalia diligentiß. docuit, quæq́; in singulorum ortu vis & ratio esset, multa ibi de organis, multa de sexu & differentijs, de semine & facultate formante, de tota conceptus ratione, & conceptuum dißimilitudine. In quarto autem postquam tradidisset, quamobrem alterum mas, alterum fœmina generetur, causas etiam similitudinis dißimilitudinisq́; in natis apparentibus & maioribus, tum in corpore toto, tum verò in partibus singulis aperuisset; Oportunum fuit etiam proximè annectere, causas eius dißimilitudinis, quæ in monstris est. Nam & τὸ τέρας ἀνόμοιόν τι. Idq́; ad finem tertij & toto capite quarto luculenter præstitit, & discußit plenißimè, sed loco, in quo debuit. Idq́; primum est. Facit secundo mentionem etiam monstrorum in altero ἀκροάσεων, quem locum commentatores ferè plerią; cum attingunt, etiam in monstra inquirunt: sed quomodo incidat, juvat videre. Propositum est autori docere, ijs in libris de corpore, principijs, affectionibus: De principijs primum, cum ex horum cognitione tota essentiæ rerum noticia pendent: quando unumquodq́; ex ijs nascitur, ex quibus constituitur, & cum primas causas, primaq́; principia etiam usq́; ad Elementa ipsa habemus cognita. Habent autem omnia, quæ sunt, causas, habent principia ortus sui præter Deum, à quo postquam omnia primum creatione produ-

Vbi de monstris Aristoteles.

Cur in 2. ἀκροας: de monstris.

producta sunt, singula ex suis principijs propagantur per generationem, qui modus existendi alter Philosophorum est, ut creatio & subita rerum ex nihilo, nullo motu procedente à causa infinita productio, theologis relinquenda. Naturæ igitur communis principia in his quidem libris Philosophus investigavit, ut potuit, & quidem ex hoc initio. Quicquid in hoc universi complexu est, aut principium, aut ortum ex principijs sit necesse est. Principium existentiæ (nam aliud cognitionis est) à quo primum in natura per motum aliquid oritur, sicut fons fluvij, sol lucis, terra plantarum. τὸ γὰρ ἐξ οὗ γίνεταί τι, τοῦτο ἐστιν ἀρχὸ πάντων. *Hoc duplex est: externum & internum. Interna rursus aut prima sunt aut secundaria. Illa communissima & verè prima. Hæc minus communia & principia quidem, sed non prima. Nam verè prima sunt, quæ ita rebus insunt, ut nihil illis prius sit. secundaria, quæ ol ja insunt quidem omnibus, sed ipsa etiam ex se prioribus constant. Itaq; elementa rerum principia sunt, sed visibilium. Ipsa verò primæ non sunt res in natura, sed qua habent aliunde principia, constantq́; ex materia & forma, ut composita omnia. Quoniam igitur partes toto priores sunt, id ex quo elementa sunt, prius illud esse necesse fuerit. Sunt igitur principia. Verum quod sint, & quæ, nondum constat. De numero enim in sectas fuerunt distincti. Sed hæc ipsa aut infinita sunt, aut plura, aut unum. Infi-*

Principia non infinita. *nita Democritus & Anaxagoras invehebant. Singula alij, Thales aquam, Anaximenes aërem, Heraclitus ignem, Hesiodus terram: Ab infinito & scientia & natura abhorrent. Nam & motus omnes naturæ simplices finiti sunt, & ad terminum pervenitur. Non fieret, si infinita principia. Vnum ad rerum productionem non sufficit, cum semper fit à contrarijs, nihil autem sibiipsi contrarium: sed nec duo sufficiunt contraria. Vnum enim contrarium destruit alterum, non producit. Igitur ex duobus contrarijs elicitur tertium, quod utriq; subest. Tot fiunt ergo, quot ad rei naturalis constitutionem requiruntur. Ea sunt tria: materia, forma, privatio, quorum duo posteriora extrema contraria sunt, ad quæ omnis contrarietatis extrema revocantur: materia ambobus subijcitur, & hic designatus numerus est, plura frustra quæruntur, nec possunt pauciora. Tres eorum etiam characteres, prima esse, non ex prioribus se genita, semper esse, & communia. Hæc singula enumeratis veterum sententijs, quid sint, quæ eorum conditiones, primus liber aperit. Porrò quicquid* Natura. *ex his principijs oritur, corpus naturale est. Ergo quid natura esset, docendum fuit. Est autem id, quod causa est, ut moveatur, & quiescat, in quo est primo & per se motus ac quies, non per accidens. Quæ verò natura constant hoc in se motus habens principium, alia quidem in loco, alia accretionis & diminutionis, alia alterationis. Talia*

sunt animalia partesq; ipsorum & plantæ,& corpora simplicia,terra,ignis,aqua. Hæc alia sunt ab ijs,quæ arte fiunt. Omnia enim moventur,aut natura, aut arte, ut duobus agentibus. Artificum autem opera quem motum habent, eum ab externo motore accipiunt, & id sunt & esse dicuntur, quod ab artificis industria habent, ut vestis, navis,lectica. Natura sui motus & actionum autor intus est. Ars externum agens à materia separatum,neq; substantias efficit,ut natura, sed in superficie aliter effingit, interna n attingit,salvo opere. Sequitur tertio loco causarum doctrina. Causa.
Res enim in natura causas habent aliquas, & rerum cognitio à causis dependet: ipsa etiam Physiologia causarum scientia est. Igitur degerit causarum genera, & cum de naturalium rerum mutationibus & motibus agitur,quæ et quot causarum conditiones sint ignorare non oportet. Causa id esse dicitur, cujus vi res est, seu id ad quod aliud sequitur. Vt autem aliquid causa dicatur,tria requiri. Primum,ut ab eo effectus tanquam à vera causa dependeat. Deinde, ut prior effectu sit,natura vel tempore. Tertiò,ut ab effectu suo reipsa distinguatur. Eiusmodi causæ quatuor sunt: Efficiens,materia,forma,finis. Mittamus tria superiora genera,de fine tantum videamus,quam controversiam moverint antiqui. Omni agenti etiam ei, quod secundum naturam agit, De fine controversia.
finis propositus est, seu bonum aliquod,verum,vel

apparens. De hoc fine antiquiores secus sentiebant, negantes, in universum naturæ in operibus reperiri, omnia casu & fortuito, ut cujusque rei materia sese offerret, ita temere fieri: εἰς γὰρ ταύτην αἰτίαν ἀνάγουσι πάντα. Cum his pugnat Aristoteles, ostendens naturam ad finem certum in operibus suis tendere, alibi casum quærendum esse. Causam etiam aperuit quæ veteres ducti ita arbitrati sunt. Quæ autem in eo loco dicuntur, hunc propemodum sensum habent. Prisci illi, cur quæque res fieret, taliśque esset ad materiam referebant, ex cujus necessitate & dispositione singula existerent, non hujus vel illius boni causa. Nam ex tali materia asinum natura gignit, ex tali hominem, ex una quidem brevis vitæ animalia, ex altera diuturnioris, Nihil vitare etiam, ut animalium membra ex necessitate talia sint, quoniam ex materia tali. Sed quando ita accidit, ut dispositæ & connexæ partes sint, etiam actionibus obeundis conferant, non secus, ac si gratia alicujus factæ sint, aut ratione institutæ, ajuntque id non providentia naturæ, sed temere confluentibus causis & partibus cadentibus factum, Neque solum fieri hæc omnia casu, sed etiam conservari, atque hoc in dentibus conspici & oculis. Quippe oculum talem esse factum, non ut videre res objectas posset: sed quod talis eo in loco fortuito materia confluxisset. Dentes eodem modo alios graciles & acutos priore parte, alios lates

Cur finem sustulerunt antiqui.

Omnia fe qui necessitatem materiæ.

latos & amplos, non ut cibos dividerent, comminuerent, extenuarent, aut sermoni inservirent, sed ob absolutam materiæ necessitatem, è qua uno in loco copiosius affluente, altero parcius, hoc modo efformentur. Ita aliam alijs figuram obtigisse, ubi multum succi, ibi lati, ubi pauca materia, acutiores & teneriores. Spinam talem esse, quod per contortionem disjungi, frangiq; acciderit. Nares ex rupto patuisse, cum spiritus, vel flatus transmearet, & dispelleret. Ventrem, alvum, omne cibi & excrementi receptaculum ita constitisse, cum in corpore humor laberetur & rueret. Et quia sententiæ multis exemplis instruendæ sunt, ita augebant, firmitatem opinionis suæ; Pluit Iupiter, non ut crescant meæ fruges in agro: vel corrumpantur in area, etsi fit utrumq; nonnunquam, ἀλλὰ τοῦτο συμβέβηκεν & materiæ necessitatem sequitur. Colligebant autem hoc modo:

Pluvia an finis gratia.

Pluvia est res naturalis. Pluvia non fit finis gratia. Naturalia igitur non fiunt ob finem. Pluviam rem naturalem esse, causæ naturales docent, vapor pro materia, ardor cœli atq; solis, pro agente, tum attrahente, tum dissolvente. Non fieri autem commodi certi gratia, ut fœcundet, aut humectet, οὐχ ὅπως τὸν σῖτον αὐξήσῃ non ut plantas alat, recreet, dilatet, ita patere, quod pluviæ ijs locis & temporibus, eaq; frequentia cadant, ut non modo id non efficiant,

sed rebus nascentibus aut iam enatis enorme detrimentum afferant. Quid prosunt pluviæ, ubi plantæ nullæ? Quid in medijs urbibus, in turribus, in tectis? Num illic quoq; segetes, ibi frutices aut gramina? Quid cum in scopulos aut mare decidunt guttæ, an salsedinem corrigent, aut mare ampliabunt, aut piscibus profuturæ sunt? Quod si natura provida esset, tantum ijs locis & temporibus, quibus necesse est, eaq; mensura plueret, ut subsidio esset, non exitio. Natura igitur in earum generatione ad finem non respicit, qui boni semper rationem habet. Atq; ita pluviam & fœcundare & lædere à casu est. Idem de zizanijs pronunciabant, quorum nullus finis videatur fieri, quoniam bonorum materia bonarum frugum materiæ admixta est. Quod si zizania à materiæ necessitate oriuntur, non finis causa etiam bonæ fruges tantum ex materiæ ratione aut ostendendum fuerit, cur zizania magis finis causa non oriantur, triticum & bordeum commodi atq; alimenti gratia. Id igitur primum fuit, quod ad hujus causæ negationem afferebant. Præterea naturam arti conferebant, in qua ita singula disponerentur, ut materia & natura & conditio postularet. Nam quod lapides in fundamenta ponimus: Ligna in eminentibus partibus, id ita fieri, materia cogit, quoniam quod solidius est, debilioris fundamentum est. Debilius autem lignum saxis. Si igitur ars in agendo materiam sequitur: Ergo & na-

Zizania et triticum à casu.

Ars materiam sequitur.

& natura, cujus æmula ars est. His tertium addebant; nasci in natura monstra, quorum finis nullus sit, neq; usus aliquis, cum sint res fœdissimæ. Igitur casu fieri specierum perturbationes & formarum in plantis atq; animantibus distorsiones mirificas. Contra hanc dissentaneam sententiam pugnatur ab Aristotele multis rationibus, quibus errare ostendit, patronos illius, neq; illa quæ enumerarunt, dentes, oculos, pluvias, monstra temeritate oriri, sed à convenientibus initijs, materia variè agitata finis causa perfici, quem nonnunquam ob principiorum corruptionem, sicut in monstrosis rebus, non possit attingere.

Atq; ita eo quidem in loco in monstrorum mentionem quasi obiter incidit. Ordinaria tamen hujus argumenti sedes est in quarto de gener. animal. cap. 4. & quæ præcedentibus, capitibus eodem non parum faciunt.

CAPVT V.

An sint in natura monstra: Fuerint ne semper; cur videri possit, sub mundi ortu nulla fuisse:

IN doctrinæ ordine quatuor requirit Aristoteles, ut sciatur primum, sitne illud, de quo agitur; tum quid sit: Tertio quale, deniq; à quibus causis, Ex quo quatuor quæstionum genera constituta sunt, ut totidem modis quibus scire aliquid Quatuor quæstionũ genera.

 dici-

dicimur, responderent. Scimus rem vel esse, hoc est, in rerum natura existere: vel esse hoc ipsum vel talem, vel tali de causa, & principio dependere. De iisdem ad hunc modum quæritur, εἰ ἔστι, ὅτι ἔστι, τί ἐστι, διότι ἐστι, Quoniam autem, quod non est, considerari non potest, prima quæstio est, εἰ ἔστι, quæ tum locum habet, cum de subjecto, ut nominant, seu re proposita, sit, nec ne, quæritur. Observavit id Aristoteles, cum de loco doceret: Et Hippocrates, cum de natura partus septimestris, essentne ulli tales editi, experimentis mulierumq; fide id probavit. Tum autem an res sit, laborandum; cum dubitatio non contemnenda incidit, & quippiam falsa cogitatione formatum est, quasi sit, quod nihil est. Ut Cerberus centiceps: De reliquis non item, naturam esse docere velle, ridiculum videbatur Aristoteli. Nam perspicuũ est, ejusmodi res multas esse. Quæ igitur φανερὰ sunt, de iis supervacanea controversia suscipitur. Duo igitur hujus loci sunt, primum, an sint revera monstra. Alterum, an fuerint ante nos: Et quibus temporibus.

An sit: quando locum habeat.

Quæstio enim temporis triplex est: præsentis, præteriti, futuri. Hodiè an sint Gigantes, cum fuerint olim, dubitatum est, sicut & de Pygmæis. Quæ enim non videmus, aut aliunde certius cognoscimus, ea ne quidem esse credimus. Multa itidem nascuntur hodiè mirifica animantium corpora, quorum nulla in omnibus historiis mentio.

Monstra an sint, & fuerint semper.

tio. De primo. Esse igitur monstra, tria docent, nomina ipsa, deinde Exempla, tertiò ratio. Initiò appellationum varietas magna est. quibus & ipsa & differentiæ certæ significantur, in omnibus linguis, suntq; à sapientibus etiam non vulgo tantum, aut fabularum autoribus usurpatæ, aut traditæ. Quarum autem rerum nomina sunt, eas ipsas esse necesse est, cum non entis non sint accidentia. Magnus verò illorum numerus & frequens mentio. Monstrum, monstrosus fœtus. τέρας, *Macrocephali, obstipi, Gibbi, repandi, valgi, vacij, vari, mutili, monoculi, unimani, & mille alia. Præterea ex illarum quæstionum numero est, quæ sibi ipsis facere exemplis experientiæ certitudinem ac fidem potest. Habet nostra ætas non pauca, habuerunt & superiora tempora. Ac si nulla essent, non fuisset tantoperè sapiens illa ætas sollicita, ut causas investigaret, quæ monstris præbere originem possint. Habet quædam Hippocrates, multa Aristoteles, & qui hunc secuti sunt longo numero. Recitat nonnulla suæ ætatis Exempla Aristoteles, quæ paulò post: Si profanis scriptoribus non fidimus. Augustinum testem habemus, qui libro 16 de civit. Dei cap. 8. monstri sui temporis nati mentionem facit.* Monstra esse tria docent.

Ante annos aliquot inquit, nostra certè memoria in oriente natus est homo duplex superioribus membris, inferioribus simplex. duo erant capita, manus quatuor, venter autem unus, & pedes duo, Augustini visum monstrum.

sicut

ſicut uni homini, & tàm diu vixit, ut multos ad eum videndum fama attraheret. Hæc ille. Eſſe igitur monſtra & nomina ipſa, & Exempla hiſtoriarum, & autoritas probat. Addatur & ratio, quæ idem convincat. Nam ut in artibus errata ſunt, ita natura poteſt in agendo multipliciter impediri, ne propoſitum finem aſſequatur, qui error cum non levis eſt, ſed graviſſimum in ſe delictum habet, monſtrum dicitur. Certa igitur res, eſſe monſtra, non videntur autem aliquibus primo ſeculo ob multa quidem, ſed ob hoc ipſum à condito mundo fuiſſe, quod tum ſumma firmitas corporum, victuſq́; ratio innocentiſſima viguerit. Quæ duo corruptionum & degenerationis non modo in editis, ſed in ipſo generationis formationiſq́; momenta fundamenta aut ſola ſunt aut potiſſima. Quod de firmitate dicimus, ex eo minus dubitationis habet, quoniam unumquodq́;, quo propius eſt ortui, & initijs ſuis, hoc magis viget, pluſq́; virium habet. Rurſus, quò ab his longius abit, tantò magis vigorem amittit & inclinat integritas. Ne longè abierimus, de pueris communis medicorum ſententia eſt, primo quo editi ſunt die calorem in tenellis illis corpuſculis eſſe valentiſſimum, humidum verò copioſiſſimum: quod utrumq́; vitæ fundamentum cum ætate minus fit & deterius. Ex quo credi poteſt, primos illos quorum corpora ob bonos mores, quos neq́; deſidia, neq́; luxuria vitiarant, ijs cum cauſis nondum conflictabantur.

In arte & natura monſtra.

Cur non videantur primo ſeculo fuiſſe.

Antiquorum robur & temperantia.

bantur, quibus debilitari hodie vires solent, ea temperatione fuisse, ut cum ipsi sani, beneq; valentes essent, sanos perfectosq; etiam, non mutilos alijsq; modis monstrosos ex sese gignerent. Vt enim tum sanitas est, cum ea congruunt, ex quibus constamus, congruunt autem, si nihil est quod disturbet: ita in quibus illa salubritas inest, ab ijsdem similes quales sunt, qui gignunt, gigni verum est. Effectus enim causæ suæ naturam imitatur. Nondum illi ad periculosissimum libidinum scopulum impingebant, à quibus cum prudentius sibi temperarent, vix ea ætate ad consuetudinem commiscendorum corporum perveniebant, qua nos in licita etiam movere jam propè exhaustis viribus morimur. Vt de nefarijs commixtionibus nihil dicatur in præsentia. In victu autem tanta simplicitas veterum, cum ijs tantum vescerentur, quæ terra ex se effundit, quanta hodie in cibis varietas usitata est. Ea ipsa verò vivendi ratio tantò plus afferebat commodi cum simplicitatẽ alimentorum temperantia, sanitatis & virium custos, cæteriq; in rebus modus accederet: nos ita varijs utimur, ut maxima pars eiusmodi sit, cujus ne naturam quidem adhuc investigaverimus. Quod si ex his causis, ut videtur, non in consentaneum, materia seminalis ad incorruptam generationem satis idonea & pura erat, & cætera præterea aberant, quibus vel pollui fœtus, vel naturæ actio interverti potest, quid credibilius, quam à mode-

moderatißimis hominibus & benè valentibus valentia & perfectißima corpora progenita? Nam si ex contrarijs causis deformitates hodie existunt, ijs ipsis remotis integritatem viguisse vero simile est. Ergo cum ita viverent, ætas primum, deinde magnitudo & proceritas corporu, deniq; pulcritudo alia fuit à nostris. De ætate non contradicet, qui sciverit ex verißimis histor js non unum vel pauculos aliquos & rarò, sed multos, eam attigisse ætatem, cujus vix decimam nos attingamus.

Vivacitas antiquorum

Vixit primus ille homo annos totos 930. quam periodum Eva etiam scribitur attigisse, in imbecilliore etiam sexu quàm sit masculus. Enoh 905. quem Cainam quinq; annis superavit, cæteri vel paulo inferiores vel superiores etiam, quod de Mathusalem expreßè scribitur fuisse ætatem eius 969. annorum, cujus ob id etiam longævitas in proverbium abijt, ut quem volumus diutißimè vivere, ei totidem annos optemus, quot vixerit Mathusalem, Lamech. 777. qui successerunt, breviorū quidem vita, sed tamen longæ, si ad nostra conferas Aaron 123. Hiob 185. Abraham 176. Moïses 120. Vt taceamus, qui in recentioribus Ethnicorum historijs extant, de quorum fide, qui vellet, dubitare posset Hippocrates noster annos vixit 104 vel 109. ut alij, quos non attigit ipso posterior, sed medicus tamen Galenus; An nulla ergo sum nostra in ætate discrepantia? Quod si deinde

tude molem corporis consideres, non est dubitandum, multis partibus olim grandiora fuisse corpora, quam nunc cernimus. Plinius lib. 7. c. 6. in plenum, inquit, cuncto mortalium generi minorem indies fieri staturam, propemodum observare, raros patribus proceriores consummente ubertatē, seminis exustione. Longè ante hūc Homerus id deploravit, cujus sententiam Poëta Iuvenalis versu quodā expreßit satyra 15. cum scriberet:

Olim grandiora corporis nostris.

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero,
Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.

Augustinus scribit molarem dentem humanum à se visum, qui si in partes sectus esset centum dentes, quales nostri sunt hodiè, ex uno potuisse effici. Et quid multa? Legantur, quæ de Gigantibus in sacris etiam, deq; effoßis sepulcris antiquis humanorum corporum oßibus in fide dignis habentur autoribus. Multa in eam sententiam Lyra in Genesin, & Petrus Crinitius lib. 7. c. 2. de honesta disciplna, & Averroës 2. de gener. recensent illud apud Virgilium de Turno in 12. Vix illam lecti bis sex cervice subirent. Qualia nunc hominum producit corpora tellus. Idem in 1. Georg. Grandiaq; effoßis mirabitur oßa sepulcris. Quæ & ea confirmant apud Gellium lib. 3. c. 10. Satis hæc esse putant ad id demonstrandum, quod voluimus, majus robur & perfectiora corpora veterū fuisse, quàm nostra sint: Neq; hoc tantū sed et alterā causas plerunq; eas abfuisse, è quibus hodiè fi-

fi-

frequentius monstra nascuntur, ut tum vel nulla fuerint circa initia rerum, & sequentibus temporibus minus crebra, minusq; deformia, quam remotioribus à prima ætate seculis. Hanc suspicionem illa medicorum ratio auget, cum de alimentorum natura, quibus vescimur, & nutritionis modo, quæ fit in viventibus, loquuntur. Calor enim, qui vitæ autor est, & corpora producit cum facultate plastica, ad momenta singula in partibus multa dissolvit, dissipat, quæ nisi accessione nova restituantur, durare hominis natura non potest. Sed quod de novo accedit, aut satis non est, aut bonitate priori, quod decessit, impar est. Calor deinde ipse qui immutat assimilat, unit, & cætera agit, agendo patitur. Alimentum verò naturam initio dissimilem habet, ab eo quod alitur. Itaq; si deterius redditur, non aluntur partes, ut oportebat, & desiccantur paulatim, quod cum in omnibus fiat istud etiam sequitur, ut qualia sunt parentum corpora, quæ gignunt, tales & ipsi qui gignũtur. At quia quod posterius gignit, plerumq; debilius priori est, ideò fit, ut continuata serie, semper longius à primorum hominum firmitate recedatur. Ita tandem eò devenitur, ut debilitate naturæ motu & corruptis generationis principijs, in quibus alijs etiam causis accedentibus, illa degeneratio enormis est, ex ijs monstra generentur, nunc imperfecta & mutila, nunc deformia, nunc alijs modis depravata: ita à primo seculo hic quidem

dem de causis aliqui monstra removent, quibus & hoc addunt, non homines tantum, sed cætera omnia senescere. Cœlum inclinare vetustate ad terram propius, ut incurvari senum corpora solent vigore amisso & spiritibus, quibus in altum moles erigitur, Elementa affici varie & affligi. Esse loca, Aristotele teste, nunc arida & effœta, ubi olim maria fuerint, ut est in libris Meteororum: multos hodie novos morbos cognitos, qui veteribus ignoti fuerint; & quid multa? fuisse tempus, cum medicina nulla esset, nulli etiam morbi. Quæ enim ars inventa est, antequam necessitas reperiret, observatio & usus constitueret. Ajunt Plantas ipsas etiam degenerare & deteriores fieri. Esse enim nonnullas studiosè ab antiquis usurpatas ob naturæ benignitatem, qua tum præditæ fuerint: Hodie non oportere ob malignitatem & vim veneficam, quam nuper contraxerint, aut si esse usurpentur, longè parcius præberi, quàm olim. Fuit antiquis medicis, sicut & Hippocrati in usu Helleborus albus, Euphorbium, Mezareum, hodie quam cautè attinguntur, & quam parcè exhibentur. Hæc & alia multa sunt, ex quibus naturam humanam adeò debilitatam ajunt, ut hodiè gigni monstra posse nihil sit mirum; olim & inter initia, nequidem fieri ulla potuerint: Itaq; si ex his quæras: fuerúntne olim: negabunt: rursum, si roges, cur hodie & sint, & crebra, quatuor causas afferunt, ex Elementis, ex erratis in

Omnia nunc imbecilliora quam olim.

 victu:

victu, generationis modo, astris & cœli constitutione.

Nostro seculo monstra frequentia 4. ob causas.

Primum enim Elementa omnia impuriora facta, partim aqueo diluvio illo, partim igneo, de quo Plato in Timæo, partim alijs de causis inquinantibus aquam, aërem, terram, ut vim salutarem propè amisisse videantur. Hippocrates in libro de locis, aere, & aquis, degenerationis inter cætera signum gentium, & inprimis Noë migrationes, quam ajunt ob id, quod ea loca fœda essent, illuvio reddita ex Armeniæ montibus in Chaldæam & habitationi commodiora in loca discessisse. Videtur huc facere locus libri 4. cap. 5. Esdræ: dicito ei, quæ parit, quare ij, quos nunc paris non sunt pares prioribus, sed minores statura, illa dictura est tibi, alij sunt, qui in juventutis robore nati sunt, & alij, qui sub tempus senectutis deficiente matrice sunt nati, considera tu ipse quoq; minore statura vos esse, quam ij, qui antecesserunt vos, & qui post nos venturi sunt, minores fore vobis, quasi jam senescentibus creaturis, & robur juventutis prætereuntibus. Senescit igitur mundus, ut isti putant, minusq; pura sunt elementa ipsa, quibus ad vitam utimur, tum ea, quorum causæ & materia sunt, agente impuritatem exhalationum copia, tum qui ex hiatibus terræ exhalant, tum qui interfectorum putridorum cadaverum sanie attolluntur, neq; aerem solum & aquam, sed & terram & terræ succum contaminant.

Elementa impura.

Senium mundi.

nant. De eadem mundi inclinatione Lucretius in fine lib. 2. loquitur.

Iamq́ adeò effœta est ætas, effœtaq́ tellus.
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditq́ ferarum ingentia corpora partu,
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit,
Terra dedit dulces fœtus & pabula læta,
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore.
Iamq́ caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius, in cassum magnum cecidisse laborem,
Et cum temporibus præsentia tempora confert
Præteritis, laudat fortunas sæpè parentum &c.

Alterum est, ex quo fomitem monstrosis partibus præberi putant. Perversus usus eorum, quæ sex res non naturales medici appellare consueverunt, ex quibus maximum momentum habent quinq; hæc. Cibus, potus, somnus, affectus, excrementa. Crescit gula morborum mater, & semetis quædam vitiata tum humorum, tum reliqui corporis constitutione in temperamento, materia, substantia, ut ea quæ sic sumuntur, non alimenta sed venena dici possint. Simplex fuit, ait Seneca, ex simplice causa valetudo, multos morbos, multa fercula nobis attulerunt, necesse est inter se dissideant tàm diversa, & hausta malè digerantur, aliis alio nitentibus. Auxit ea res medicorum copiam, quæ ubi est ibi eam vivendi licentiam dominari judicabat Plato. Non ea ratio veteribus fuit, unde Hippocrates scripsit, Eunu-

Gula morborum mater.

Medicorum copia cujus rei signum.

chos & pueros podagra non tentari, fœminis nec pedes laborare, nec capillos defluere. At iam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata fœminarum natura est; sed vita. Nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoq; virilium vitia æquaverunt; ut gravißimè Seneca ait: Non minus, inquit, pervigilant, potant, & oleo ac mero viros provocant. Catarrhi nomen Platonis tempore nondum innotuerat. illis humores, caro, corpusq; compactum, & ad resistendum soliditate idoneum. Tale enim illorum alimentum, tales coctiones, talia exercitia, quæ in eo statu conservarent, quo semel perducta erant, in nobis omnia diffluunt, spiritus tenuißimi, facilè resolubiles, humores mobiles, corpora rara, ut quicquid ea attigerit, aut non ferant, aut ægerrimè patiantur.

Venus non tempestiva.

Tertium est à generationis tempore. Tardè illi omnino conjuges fiebant, atq; ea ætate, quæ nobis propemodum ultima est, maximè florebant illi, & turgentis materiæ exuperantiam deponebant: Quod cùm fit corroboratis jam extreme organis; ipsa effectio instrumenti conditionem sequens, tantò efficatior est, quam sunt ipsa membra, quibus id obimus. Vidit hoc Philosophus ad rem facere. Itaq; annos distinxit, & quid quamq; ætatem deceret, ratione definivit in 7. Polit. c. 16. Ad temperantiam quoq; nuptiui tradi grandiores conducit. Nam quæ adolescentulæ rebus ve-

nereis

pereis usæ sunt, hæ minus temperantes esse videntur. Maritum quoq; corporibus ad incrementum obesse videtur, si coitus inter augescendum fiat. Nam hujus rei determinatum est tempus quoddam, ultra quod augescens non progreditur. Itaq; mulieres annos decem & octo, viros autem circiter triginta septem natos matrimonio copulari convenit. Sic enim conjunctio vigentibus florentibusq; corporibus fiet, & eodem tempore oportune filios procreare desinent, & illis ineunte ætatis robore filii, si statim pro ratione temporis generatio fiat, his ætate jam in annum septuagesimum deficiente, succedent. Nunc neglecta ætatis ratione (quod ferè non solet in militum delectu fieri) ad tempestivitatem congruentis, dissentientibus adhuc facultatibus, & cum multivariam incommodum est, corpora συμμίσγειν incipiunt: a quo tempore expectare nihil superfluum potest, crescit in uno sexu maturè uteri furor, in altero σκπερίασις, Ita quemadmodum in reliquo omni genere animantium novellorum fœtus imperfecti, & exigua forma sunt, eodem modo ex simili causa accidere hominibus necesse est, cujus argumentum est, secundum Aristotelem, quod quibus in civitatibus adolescentibus solent puellæ nubere, in his imperfecti, & corporibus exigui sunt: In quibus autem hac eveniunt, in iisdem & monstra possunt: causæ enim non valdè dissimiles, & imperfectus nonnunquam monstro-

Sperma infœcundum quamdiu.

sus est. In 7. historiæ cap. 1. disertè scriptum est: Vsq; ad ter septimum annum sperma infœcundum esse, mox prolificum quidem, sed exigua imperfectaq; generare juniores & mares & fœminas, ut in cæterorum animalium genere plurimis evenit. A quo autem tempore ad procreationem male veniatur, oraculum etiam ostendit, cujus mentionem Philosophus facit. Nam cum Træzeniæ mulieres mortuos frequenter ederent partus, essetq; oraculum Dodonium fortasse vel Pythium super ea re consultum, responsum fuit, desituram eam calamitatem si fructus serius perciperent, hoc est, si paulò tardius ad procreationem pervenirent. Hæc enim est illa intempestiva messis. De annis quicquid sit, qui trigesimum annum concedunt, id quæsiverunt, ex quo robur in natos propagatur, maturior quidem est ætas conjugio, maximè si illud etiam quæratur, quod pietas ibidem spectat, libidinum remedium, in multis bonitas temperamenti & firmitas corporis ætatem supplet, de quibus nunc non agitur, neq; præcisus annorum numerus urgendus, illud postulatur, ut necessariæ aptitudinis conveniens ratio habeatur, quam negligi turpe est & perniciosum, Non est etiam hæc una tantum in hoc erratio, gravior illa, quæ modum non observat, immoderataq; plerumq; inanitione spiritus, calorem, humidumq; primigenium vitæ fundamenta exhaurit, evertit cocliones mentis, & sensuum actiones infirmat, corpus languefa-

guefacit & enervat. Quæ mala etsi inde manare videmus, exsatiari tamen hoc veneno minus, quàm cibis possumus, & ad ipsa extrema omnia libidine vexamur. Neq; temporis præterea ulla ratio habetur, quasi nihil intersit, repletúsne vel vacuus, ante vel post somnum, die vel nocte, sobrius an ebrius quicquam agas. At interesse multum, si quis crebrò in his aberret, cum sua non modò infamia, sed & gravi vitæ periculo experitur. Faciunt huc duo loca, sexto harum animalium cap. 21. & 22.

Quartum addidit Petrus Aponensis conciliator ex astris, nimirum benigniore cœli dispositione usos fuisse primos homines, quam nos utamur, quibus aliter cœlum affulgeat. Cum enim, inquit, capita mobilia ordinatè & directè steterunt sua capitibus immobilibus, tum virtus perfectiore modo à primo principio per medias causas taliter ordinatas fortiori modo imprimitur, in ista inferiora cum causæ sibi invicem correspondeant, ex tanta distantia & proportione zodiaci mobiles ad immobilem. Unde concludendum, naturam humanam illo tempore fortiorem longioremq; extitisse. Hæc ille & multa alia. Videtur hunc habere sensum, quod ab eo dicitur. Duos zodiacos, unum in nona, alterum in octava sphæra ita sub exordium mundi dispositos fuisse, ut aries arieti, taurus tauro, & cætera signa similiter sibiq; posita jungerentur, unitiq; hoc pacto viribus, Debilitatis non causa ex astris.

vehementiorem fuisse influxum in inferiora, inde herbas salubriores, fructus maturiores, vitam animantium diuturniorem. Verum cum illa prima syderum societas motu alia alio attrahente dissoluta esset, tum ægrotare mundum cœpisse, & vigorem suum amisisse. Hæc sunt, quæ primi isti ad sententiæ suæ autoritatem afferre possint.

Opinio altera. Videamus & alteram, secus enim videri possit cuipiam, existimanti aut eundem esse hodiè statum corporum, qui olim fuit, aut non multò deteriorem, ut ratio nulla sit, cur minus olim, quàm nunc mõnstra gigni potuerint. Nam si illa, quam priores urgebant, degeneratio à primis illis initys paulatim continuata seriè atq; aucta semper in sequentibus fuisset, hodiè aut nulla esset hominum generatio, aut toto genere à prima diversa extitisset. Neq; enim degenerationis gradus infiniti esse possunt. Recollige, quam diu hæc rerum facies duraverit, non dico, quàm existimavit Aristoteles, aut Iudæi, aut Græci, aut AEgyptij, aut Indi, sed ad veritatem ipsam, quam in nostra religione sequimur. Quot annorum millia præterierunt? in quibus singulis, ei debiliores facti sunt posteri, hodiè jam nulla esset generatio. Quod enim continenter fit deterius, aliquando etiam nihil fit necesse est. At est nihilominus, generant homines, generantur sani à sanis, perfecti, integri, longævi etiam, & plures ab uno in multam etiam ætatem. Plinius lib. 2. cap. 26. cor singu-

lis, annis duabus drachmis augeri ostendit, Idq́; usq; ad quinquagesimum annum, & sic pedetentim mori, communiterq́; attingi, annum centesimum cordis defectu. Vt non sit certa, quam proponit Plinius virium numeratio, æstimare tamen licet omninò degenerationem tantam non esse, ut cum antiquorum, vivacitate, nulla omninò proportio sit.

Cor annuatim duas drachmis augetur.

Deinde si ætatum fiat collatio. Primum, quæ longa fuit primis illis, contracta fuit paulò post in successoribus: neq; videtur à naturæ causis, sed à peculiari Dei virtute & beneplacito extitisse. Nam mundo suæ ætates nullæ esse videntur, sed quemadmodum ortus: ita & interitus supra naturam. Deinde incerta ferè omnis in antiquitate illa rudi annorum & temporum supputatio. Putabat Plinius lib. 7. cap. 48. annos olim menses fuisse tantum singulos, non ut hodiè mensium duodecim spacium. Hæc omnia inquit, inscitia temporum acciderunt; annum enim alij æstate una determinabant, & alterum hyeme. Alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuerunt. Nonnulli lunæ senio, ut AEgyptij; Itaq; apud eos aliqui etiam singula annorum millia vixisse produntur. Ex quo Plinius putat fabulosa illa mendacia orta primum, & de hominum ævo, & cœterorum animalium, cornicum, corvorum, cervorum. Quod si ita esset, non modò non inferiores essemus, sed plerumq; etiam

Annorum supputatio non certa.

superiores. Quis enim centesimum mensem, hoc est, centum veteres annos non attingit? quam multi & millesimum, antiquißimus ille Hippocrates quantam ætatem attigit? Quã multa observavit Lucianus in Macrobijs suis? sunt qui hodiè etiam numerent plures, quam Davidis, Salomonis, Moisis & Prophetarum omnium. Richardus quidam Caroli Magni temporibus quadringentis annis vixisse legitur. Hugo post Bernhardi ætatem annis centum & septendecim, hodiẽ in omnibus locis sunt, qui ad centesimum perveniant, illamq; ætatem, quã Psalmista septuaginta annis definit longißimè superent, ac nonnulli ante hunc annũ rarißimè sibi metuant. Quæ ergo illa tanta degeneratio? Præterea si hæc statuenda aliqua est, aut in æthereæ regione sit necesse est, aut Elementari.

Degenerat re in cœlo.

De cœlesti non creditur, cum nullis seculis observatum sit, senescere, inclinari, aut similia pati cœlum, ut pueriliter somniant, contra quos multa sunt in libris de cœlo. Deinde eadem etiam Elementa, quæ olim, idem mare, terra, & aër idem, multò tellus fœcundior, plus aquæ fluminum & fontium. Quid in igne desideramus? In ijs verò quæ generant, cum ex eo, quod superfluum est (sterma enim superfluitas est) generatio fiat, nulla viventis pars abit, nulla imminuitur. Fieret autem mutilus pater, si quod secedit, generantis pars esset. Postremò consensu Philosophorum receptum est, naturæ motus in principio imbecilliores

res esse, in fine veleciores. At generatio naturæ matura est, videtur igitur eam non imbecilliorem, sed fortasse & fortiorem redditam. Atq; ita æquè potuisse olim, atq; hodiè monstra produci, de quo initio quærebatur. Sed quam firma sint hæc ipsa, æstimare facile est, & infringi ex ijs possunt, quæ ad prioris sententiæ robur afferebantur. Primum quidem futile illud de annuo spacio mésem unum nostratem constituente. Quomodo enim interpretandum fuerit, quod scriptum est: duo luminaria data in menses & in annos? Aut si annus mensis fuit veteribus, quid ab anno mensis diversum habuit? Patet absurditas magis ex hoc. Mahaleel quidem anno sexagesimo quinto ætatis genuisse Iareth filium dicitur. Hic si menses anni sunt, quales nostri, genuisse illum quinto anno pleno necesse fuerit, ut omninò ludere isti videantur, quibus & Augustinus alicubi restitit. Cur voluerit Deus ita diu vivere primos sub mundi exordium homines ratio est, quod si secus factum esset, ob vitæ brevitatem, replere terram non potuissent. Sed ut fieret hoc, & singuli centum pluresúe gignerent, amplius etiam ætatis spatium concessum est, unde paulo post à diluvio ætates imminutæ sunt. Quibusdam videbatur etiam ob id, plus vitæ illis tributum, ut à tam vivacibus artes invenirentur, inventæ constituerentur. Nam longiores eæ sunt, quàm ut paucis annis perfectissimè cognoscantur. Et quia fatendum degenerationem in

Cur primi longævi.

in posteris successisse, non ob id nullam hodie generationem esse necesse foret, cum tanta non sit, ut illam impediat, neq; perpetua in singulis individuis, possuntq; errata generantis in generatis corrigi, sicut e debilibus non minus fortes, quàm è fortibus debiles nascuntur. Certè specierum propagatio ex hoc incommodo non sublata est. In cælo ut nihil sit ad sensum immutatum, at diversa irradiatio & luminum ex quadrangulis, triangulis, varia commixtio multipliciter afficere corpora potest. An verò decidatur à generante nihil, nisi abundans, ij ostendunt, qui in hoc voluptatum genere nimium sibi indulserunt, incurabilesq; morbos sibi accersiverunt. Nam & oculi ijs languent, ac subsidunt, quod sedes sint oculi maxime omnium locorum capitis, seminalis Aristoteli.

Motus quis initio tardior.

Quod de motu afferunt naturali initiò tardiore, de recto tantum motu accipi debet, qui secundum lineam rectam, vel sursum, quod est corporum levium, vel deorsum, in gravibus fertur: Non de circulari, qui per omnia sui similis est, & uniformis. Quanquam de priori illo etiam falsum videbatur Philopono. Quis enim credat lapidem aut annulum, cum e turri deijcitur initiò tardius, postea cum terræ vicinior est, delabi celerius? Quo sensu id notari potest? Tum quæ varietatis ratio in eo motu, cur deorsum vergat, gravitas facit, cur citius aliquando in eadem gravitate positum id esse necesse est, sed aucta. At lapidis

pondus explora antequam è manu eijcis. Idem facito cum decidit. Eadem ponderis ratio. Cur igitur in uno spacio velocius in altero tardius è dicent minus obstare aëris propè terram, quam in alto fortasse: demus igitur verum esse, ad generationem tamen ad quam liberè accedimus, nihil attinet. Igitur causa nulla est, cur negemus fieri monstra in primo seculo potuisse, cum causæ esse eædem potuerint, plurium seminum commistio, vitia materiæ, agentis imbecillitas, cæteraq; omnia, quibus permutari naturalis in fœtu status potest. De hoc tamen argumento & quam antiqua sint monstra etiam inferius agetur copiosius.

CAPVT VI.

In quo ex principiis generationis essentia monstrorum investigatur: Affertur definitio Philosophorum, & medicorum; explicatur itidem per partes.

VT monstrorum essentiam assequamur, non alia possumus id commodiore ratione facere, quam qua usus est Aristoteles, nimirum, cum opposita inter se conferuntur. Rectum enim sui & obliqui index est, contrariarumq; mutationum modi rationesq; sunt contrariæ, nec putredo quid esset rectius invenire se posse arbitratus est, nisi ad generationis oppositã naturam respiceret; igitur

Generatio perfecta quæ. *tur hæc utrinque conferamus. Primum generatio perfecta atque absoluta ea est, in qua agentia perfectè passivis dominantur. Est enim mutatio, quæ fit ab activis qualitatibus, eæ verò in rerum singularum principijs insunt. Cum igitur agentis iusta ratio proportioque est in patiens, ut dominetur & transmutare possit, generatio sequitur, ob excessum agentis motoris, modo is eiusmodi sit, ut mensuram servet, neque magno excessu superet, tantoque qui destruat potius, quam generando producat quippiam: Victoria inquam, eo gradu fit, quo sufficiens pro generanda mixti forma transmutatio consequatur.* Proportio principiorum non eadem. *Est autem non eadem in omnibus, sed aliam aliæ mixtorum formæ proportionem postulant, ut aurum, stirpes, animalia, quæ est Geometrica quædam iustitia à formæ generandæ ratione dependens. Sed singulæ tamen aliquam habeant necesse est. Quod si igitur agentium & patientium mixtorum ratio sit, ut perfectè dominari facultas materiæ possit, & motum finire, tum principium illud in suam formam ducit alterum, & tota secundum naturam constitutio est.* Facultas generationis in specie humana. *Facultas autem verbi gratia, in semine hominis, calor est autor generationis, non ignis, neque igneus, qualisque corrumpendi potius naturam habet, & dissipandi. Sed facultas proportione elemento stellarum respondens. Hic opifex est mixtorum generationis, & ipsius substantialis formæ introductionis, non ut calor est simpliciter, nihil*

enim

enim ultra vires speciemq́ suam agit, sed ut ductum legesq́ agentis principalioris, hoc est animæ ipsius, cuius organum est, sequitur: Nam sic demũ & nutrit & auget, sanguinem & carnem generat, format, disponit, Ex se nihil horum potest, sed facit, quod potest, materiam disponit, terminat, miscet, unit, mollit, indurat; cætera ex aliena virtute habet. Hic ergo cum se rectè habet, naturæ motus integer sequitur: Quod si verò hoc principium non superat, neq; potest patiens vincere, discedituer ex proprio genere, & fit degeneratio, neq; ducit agens in suam formam, & fit mutatio in aliud. Non superat autẽm dupliciter. Primum quidem, si ipsa facultas ex se debilis sit. Deinde ob copiam, frigiditatem, contumaciamq́ eius, quod coquitur & distinguitur. Fa potentiæ & impotentiæ est ratio. Non enim qualecunq; agens ad se ducit alterum sed fortius. Vt igitur in perfectis motus constãt, ita in monstris solvitur et mutatur transiens in oppositum. Ipse verò motus pro ea facultate (sunt enim in semine plures) quæ non superat, in aliud atq; aliud discedit. Semper enim in proximum itur, nõnunquam ita longè disceditur, ut ea fiant, quæ monstra dicuntur, aliquando tan tum ex mare fit fœmina, aliquando similitudo obliteratur, eaq; vel in toto vel in partibus, & vel quæ est ad parentes vel ad cognatos, si partim superet, partim non superet, facit multiforme, quod constituit: Ita degenerationes variæ sunt.

Caloris vis à quo gubernetur.

Facultas in agendo superatur dupliciter.

In monstris motus solvitur.

Atq;

Atq; hoc primum fit in monstris, quod naturæ motus solvitur ob principiorum corruptionem, quod his verbis nos docuit Philosophus. Fieri, inquit, monstra, cum naturam materiæ natura formæ non superat, quod sic Philoponus accipit; ὅταν ἡ κατὰ τὸ εἶδος φύσις. τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἄρρενος γονὴ, μὴ κρατήσῃ τὴν κατὰ ὕλην ἤτοι τὴν τοῦ θήλεος ἔκκρισιν, ἀλλὰ κρατηθῇ γίνεται τέρας: *Et rursus ad extremum enim, cur motus solvantur, & materiæ non superetur, remanet, quod maximè est universale, hoc est, animal. In secundo autem Physicorum disertè.*

Monstra errata sunt. *Monstrum erratum naturæ est est ab eo fine, quem sibi in agendo propofuerat, corrupto aliquo principio, ut nunc semine: Monstrum igitur* ἁμάρτημα τῆς φύσεως διαφθειρομένης ἐξ ἀρχῆς τινος. *Gignitur ex semine animal, non ex qualicunq;, sanum ex sano, corruptum ex corrupto. Hoc enim naturæ actiones postulant, ut non modo id; à quo & ex quo res fiunt; rectè se habeant, sed in motu ipso nihil interveniat, quod*

Ovi quadruplex corruptio. *eum dissolvat. Ovum verbi gratia eorum principium est, quæ ex eis solent existere. Id sicut variè potest corrumpi, ita corruptio diversimoda est. Nam ut albumen vitiatur, ex quo partes formantur, aut vitellus, quo aluntur, unde imperfecti; aut in membranis vibriáq; vitiū inest, quibq dissolutū confluxus fit, & confusio, aut vis periit amis-*

so spi-

ſo ſpiritu. Hic quadruplex corruptio in his, in cæteris eodem modo, & in monſtru ſimiliter.

Vocat ob eam cauſam monſtra παρὰ φύσιν, præter naturam, quaſi contra legem & conſuetudinem orta. Conſuetudo enim, quod frequenter fit. Sicut igitur παρὰ νόμον ſunt, quæ legibus adverſantur, à quarum præſcripto diſceditur & παρὰ πρέπον, cum decorum vitiatur, & παρὰ μέλος ubi harmonia, ſic & παρὰ φύσιν, quia παρεκβάσεις & quaſi prævaricationes quædam. Non ſunt igitur παρὰ φύσιν, quoniam cum natura de materia, & forma dicatur, id demum naturale eſt & ſecundum naturam, cujus principia omnia naturæ conſentanea ſunt. Cæterum παρὰ φύσιν quidem, ſed οὐ πᾶσαν ἀλλὰ τὴν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. περὶ γὰρ τὴν ἀεὶ καὶ τὴν ἐξ ἀνάγκης οὐδὲν γίνεται παρὰ φύσιν, ἀλλὰ ἐν τοῖς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μὲν οὕτως γινομένοις, ἐνδεχομένοις ἢ καὶ ἄλλως. Non eſt neceſſariorum ea affectio, ſed contingentium. Sed neq; in omnibus. Sunt enim triplicia. Quædam fiunt ut plurimum, quædam rarò, quædam æqualiter. Naturalia fiunt ut plurimum, non ſemper, ob motuum impedimenta. Rara fortunæ & caſui tribuuntur, quia præter conſilium & agentis propoſitum, & cauſam habent aliam: ſed quia rarò illam cauſam ſequuntur, ideò à caſu ſunt, ut argenti repertio & foſſio. Æqualiter fiunt, quæ ab

Monſtra παρὰ φύσιν.

Naturale.

homine fiunt liberè. Illud igitur ἐπὶ τὸ πολὺ *de naturæ actionibus accipiendum est, quæ non impedita plerumque ad finem pervenit, si quid obstet, erratum admittitur. Est præterea* τὸ τέρας τῶν ἀνομοίων. Ἀνόμοιον *quid esset, initio tertij docuerat. In perfecta generatione agens, & genitum similitudinem habent in specie, sexu, proprietatibus. Ad monstri universam rationem hoc attinet, esse dissimilitudinem geniti à gignente in aliquo, sive ex uno sit principio formæ, sive ex altero materiæ, sive ex utroque. Nam quoties excrementum seminale benè firmum est, motus fit pro agentis forma, & simile ei, qui generat. Sin contrarium evenit, pro ea facultate, quæ non superarit, quod generat, moveatque, defectum faciet, & similitudo tolletur. Expreßit dißimilitudinem etiam clarius:* τὸ γὰρ ἐκλάπτειν ἢ παραστῆναι τι τερατῶδες. *Item:* τὸ τέρας ἀναπηρία ἐστι. *Hoc enim* παρὰ φύσιν *etiam. Nam in quibus omnia sunt* κατὰ φύσιν, *ubi motus non solvitur, ubi similitudo, ibi neque abundat quid, neque deficit in quo perfectio est. Vbi verò solutus motus est & principium corruptum, imperfectio oritur, cujus utrumque, hoc est, abundare, & deficere, quorum illud ademtione, hoc adjectione tollitur, unde medicinam sic definiebat Hippocrates, esse eam adjectionem & detractionem. Deest autem non modo pars, vel partes, sed & figura, & magnitudo & fi-*

Monstrum ἀνόμοιον-τι.

& situs, cæteraq; quæ ad perfectionem absolutam requiruntur. Degenerationis modos duos tradidit. Monstra sunt aut in quibus membrum apparet diversi animalis, sicut cum vitulus capite pueri, & ovis capite bovis natus est: Aut quæ forma prodeunt multi membri, scilicet multis pedibus, aut multis capitibus. Quomodo igitur definienda monstra ex his manifestum est. Monstrum erratum naturæ est ab eo fine, quem sibi in agendo proposuit; Et τὸ τέρας ἁμαρτία τίς ἐστιν. *Et rursus:* τὸ γὰρ ἐκλεῖπον ἢ προσιέμενόν τι τερατῶδες. τὸ τέρας τῶν παρὰ φύσιν τι. τὸ τέρας τῶν ἀνομοίων. *Causam autem notant hæc:* τὸ τέρας γίνεται ὅταν μὴ κρατῇ τῆς κατὰ τὴν ὕλην ἢ κατὰ τὸ εἶδος φύσεως. *Et* διαφθειρομένης ἐξ ἀρχῆς τινος. *Si quod principiorum corruptum sit. Medici suæ arti convenientem definitionem ita tradiderunt. Monstrum animal est in utero deformatum, genitum præter naturam, corrupto aliquo generationis principio. Animal vocant, nam non soli quidem sed frequentius, quam cæteris evenit, ut degeneret, & quid homini accidat, maxime interest medicum scire. Et Aristoteles animal nominabat cum de monstris loqueretur. Nam historiam tantum animalium persequebatur. Non animal autem simpliciter, sed deforme vel imperfectum & ablæsum, in quo omnis ratio monstri posita est.*

Modi degenerationis.

Definitio monstrorum.

Causa.

Medicorum definitio.

Monstrum est animal.

An fœtus in utero sit animal.

Facit enim ut animal monstrum dicatur. Posítné autem fœtus animal dici dum in utero conclusus geritur, quæsitum fuit. Plato fœtum in utero animal esse censet. Moveri enim in utero & nutriri quorum alterum vitæ est; alterum animalis etiam. Extat inter Galeni libros quidam falsò, ut putatur, ei asscriptus. An sit animal, quod in utero est, & esse declamatione ostenditur. Quanquam & pugnare idem secum videtur in ferenda sententia ambiguus, medicosq; ait ita quærere de fœtu in utero utrum ζῶον sit, sicut cum Physici, an mundus sit animal, eamq; controversiam eiusmodi esse, ut asseverari nihil debeat, rationes tantum amicè conferendas. Idem paulò post hujus lenitatis quasi oblitus, naturæ ingratos vocat, & amentes, qui id negent. Stoici, ut Plutarchus autor est, ventris partem dicebant, non animal. Vt enim fructus plantarum partes sunt, & cum maturi sunt, decidunt, ita etiam fœtus. Empedocles non quidem animal esse fœtum asserit, sed tamen vivum in ventre existere, primam enim animalis respirationem in partu fieri, humiditate in recens editis recessum capiente & externo aëre ad evacuatum locum ingressum faciente, in aperta videlicet vasa. Diogenes gigni fœtus inanimatos statuit, verum in caliditate. Vnde insitus calor statim effuso fœtu in pulmonem attrahitur. Theophilus motum naturalem fœtibus reliquit, non spiritualem. Tunc autem fieri animalia, ubi effusi

fœtus

fœtus aliquid aëris assumserunt. Cur animal in utero dici non debeat, nulla magna ratio est. Attrahit ibi fœtus alimentum suum, concoquit, superflua excernit, augetur, motum & sensum habet, cæteraq; quæ inesse tum animali possunt. Quin & clamare auditi in utero. Nec partus animal facit: sed ut est, ita viam sibi exitumq; parat, ab egressu nihil accipit. Animalis deinde voce à mola distinguunt monstrum. Nam in illa animalis forma desideratur utraq; τὸ εἶδος καὶ ἡ μορφή. Rudis enim caro & informis est in ipsa uteri capacitate genita, cum exquisita mola est. Nam non exquisita vel spuria mola tumor est, Aëtio in uteri substantia malum, virginibus etiam familiare. Differtq; à monstroso animali mola vera, causis, motu, symptomatum diversitate. Nam ut depravata vel impedita facultate plastica monstrũ in utero gignitur, ita si ea auferatur tota, mola fit. Nullum enim formationis, nullum distinctionis vestigium, quoniam hic etiam natura materiæ eiusq; quantitas naturam formæ non impedit tantum ex parte sed opprimit, ut plus hic lædatur virtus quàm illic. Interest enim lædatúrne actio vel auferatur tota. Vivit monstrum plerumq; ut animal, & membris repræsentat tale quid etiam in monstrosissimis, multaq; habet ad τοῦ ζώου cognationem attinentia, quæ absunt à mola. Ita igitur in causa differentia est: sed & vita differunt, quam habet ferè monstrum, mola

Fœtus cur animal.

Animal & mola differunt.

non habet. Motu deniq; Nam quem habet motum mola, verus non est, & affixa loco quasi pondere gravat, sed à flatu aliquando provolvitur agitatione inquieta ad latus non minus quàm à vento vel turbine gleba terrestris: Est tamen in quibus conveniunt. Primum quidem, quod utrumq; præter naturam est, & error in ambobus, nec valet rectè natura, circa generationis principia labor est, cum molam vel monstrum generat. Ideoq; & Galenus 4. Metho. 3. molam interea recenset, quæ totis substantijs à naturæ habitu recesserunt, non minus quàm calculus in vesica & ἀπόχυμα, & sui oblationem indicant: loco deinde conveniunt. Vtrumq; enim nascitur in utero, & eo ex loco eijcitur. Fit deinde in definitione uteri mentio multis de causis. Primum subiectum fœtus est, pars in corpore vivens ad animalis generationem destinata, actiones habens, & privatas pro se, & publicas pro specie. Locus est autem tantum conceptus. Fœtus ipse nulla pars gerentis uterum. Nam ea intereunte, ait Galenus, gravidam quoq; interire necesse esset, vel partu edito corpus eius aliqua sui parte privaretur. Quoniam igitur absq; incommodo separari potest, non est totius perpetua portio, quamvis communi vita alitur, nutritur, cohæretq; tot vinculis & vasis donec dissolvitur. Deinde uteri mentionem faciunt, qui ad ea monstra potißimum respiciunt, qualia in perfectis animantibus solent existere. Animalium e-

Mola & animal conveniunt.

Vteri cur in definitione mentio fiat.

nim alia perficiunt partum, forasq́ mittunt sibi simile, ut ea, quæ animal edunt in lucem. Alia nōdum explanatum suamq; formam adeptum pariunt, quorum sanguinea ovum, exanguia vermem pariunt. Inter ovuum & vermem hoc interest, quod ovum est ex cujus parte animal gignitur, reliquum cibus ei est, quod gignitur. Vermis ex quo toto animal nascitur. Eorum igitur, quæ perfectum sibi simile quid edunt in lucem, atq; vivipara sunt, alia statim intra se gignunt, ut homo, equus, bos, & reliqua generis eiusdem. Alia ubi prius intra se ovuum genuerint, mox animal edunt foras. Vtraq́ huc pertinent, quoniam & vivum in utero animal in monstrum degenerat, & sunt ex ovis monstrosa multa, ut cum plures fœtus in gemino ovo membranis ruptis connascuntur, & cohærent geminatis partibus. In his autem, qui sic edunt, sexus distinctus est. Masculinus, qui ex suo semine in alio individuo suæ tamen speciei per modum agentis in generatione se habens generat. Fœmininus, qui ex alio suæ speciei individuo suscepto semine in seipso generat per modum materiæ & patientis in generatione. Hic sexus discretus manifestissimè in animantibus, sed in perfectis maximè, quæ cum intus generant formantq́, fit tamen aliquando, ut sanos edant fœtus, aliquando debiles & monstrosos, si quando magna labes inciderit. Distinguendus hic ortus viventium ab aliis est, Est enim triplex

Ovum & vermis differunt.

Monstra in distinctis sexu.

Generatio triplex. *in universum generatio animantium. Vna fortuita. Altera cum simile à simili nascitur. 3. media inter utramq;. Fortuita ea continet, quæ αὐτόματα sunt Theophrasto, & spontaneam habent generationem ex solitario semine sive ex putredine, qualia describit in 6. Hist. cap 15. & 16. Hic cœlestis calor materiam agitans pro causa & motore est, unde formam accipiunt calore illo vivifico influente, cujus illud signum, quod sub calore solo nascuntur, sub frigido cœlo, aut non nascuntur, aut etiam intereunt: altera nobilissima complectitur animalia, hominem, leonem, elephantum, quadrupeda quæ omnia ex sexuum commistione, & partu in lucem eduntur. De quibus in problem. sect. 10. quæst. 64. quæsivit Philosophus: Quamobrem inquit, animalia alia non solum coitu, sed & sponte naturæ procreantur, alia coitu tantum proveniunt, ut homo, equus. An etsi non aliam ob causam, ideo tamen, quod alys gignendi tempus statutum est. itaq; fieri non potest, ut tempus quod generandi vim habet amplietur, prorogeturq;: Quæ verba ijs adversantur, qui hoc etiam animalium genus, non minus, quàm quæ ab æquivoco ortu esse incipiunt, ex putrefactione deducunt. Nam sic etiam homines posse ex terra sicut vermes. Perplexum hoc scilicet & inexplicatum: mutuatum verò à Poëtis, quibus è lapidibus & dentibus nulla cura hominum genus restitutum est. Derisit istos Averroes 15. com. l. metaph.*

metaph. 12. Nam quod opinantur ex Aristotele se habere subsidium, frustra sperant ab eo loco, qui est in 2. de ortu: πᾶν ἐκ παντὸς fieri per lineam rectam in se recurrentem. Nam reciprocam rerum vicissitudinem elementis inesse dat, sed solis, quibus hoc proprium, ut in se mutuo transeant: aer in aquam, aqua in aërem incrassando & rarefaciendo. In cœteris mistis non ita habet, nec sicut ex hominis cadavere limus fit dissoluta compage, sic ex limo homo potest fieri, sane ex vitulo apes, non vituli ex apibus. Sed infrà de his peculiariter. Hoc alterum genus est perfectorum, & sine sexu non nascentium.

Tertium quoddam est mediæ naturæ, & utriusq; capax. Mures enim ambiguam procreationem habent, qui tum ex sordibus, tum ex commistione propagari possunt, de quibus in 7. Metaph. 7 lib. 6. Hist. ult. Plinius li. 11. c. 32. Et l. 10. c. 65. Theoph. l. v. c. 5. Ergo cum uteri mentio fit, in monstris, ad secundum genus potissimum respicimus, & eorum animalium oblæsiones, quæ à sexu sunt utroq;.

Fit tertio loco uteri mentio, ut eas depravationes distinguamus, quæ in utero imprimuntur fœtui, quod ad monstri rationem facit, ab ijs omnibus læsionibus, quæ post partum in jam editis. Multis admirabile sed non incredibile visu est hominem in bestiam, corpus in aliud corpus transmutari posse, ut Ulyssis comites in porcos, & Apu- Monstrum depravatur in utero.

lejus ac Lucianus in asinos. De priore Homerus in Odyssæa: οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς φωνήν τε δέμας τε καὶ τρίχας: αὐτὰρ ὁ νοῦς ἦν ἔμπεδος ὡς τὸ πάρος περ. *Has figurarum permutationes monstra non dicet Aristoteles: Morbi deinde ut omnium temporum, ita ætatum certi sunt, nonnulli tamen in illorum quibusdam magis: alij statim intus fœtum exagitant, alij editum jam sive tenerum adhuc sive adultum & senem. Sic Hippocratres in in lib. de octimestri: Multi jam pueri principium morbi intus nacti prodiêre, & consequenter alij periêre, alij morbidi supervixerunt. Supervacaneum igitur est quærere utrum possunt in utero ægrotare. Nam si mori possunt etiam morbo affici, & jam quidam œdematici nati sunt, alij cœci & claudi & gibbi, cum abscessus in oculis aut dorso habuissent: Aristoteli est monstrum oblæsio illa, quæ in utero fit* διαφθειρομένης ἐξ ἀρχῆς τινος, *si quid postea evenerit, monstrum non vocat, ut cum casu torquentur membra, & fascijs ac ligamentis pervertuntur, divelluntur partes, & tumores admirabiles existunt: ut non minus deformia, quam quæ verè ita sunt, monstra, appareant. Sed ne quidem ij quatuor morbi hæreditarij, epilepsia, podagra, hydrops, Phtysis ex 2. prorhetic: quoniam temperamenti potius sunt, & ab interna partium debilitate, sine externa deformitate insigni*

ſigni, quæ ſemper in monſtris eſt. Poſtremò uteri uientio ſit, quoniam multa alia animalcula in perfectis generantur, alijs in locis non in utero; & perfecta ſecundum ſpeciem ſuam, atq; ob id non monſtra, ut vermes lumbrici, pediculi, pulices, in inteſtinis, in habitu corporis reliquo, alijs & principijs & modo. Suntq; inutilia περιττώματα, ſed cum alterantur & informantur, aliæ formæ in alijs partibus, & alia ex materia. Ex his multa quæ rarius fiunt, admirabilia habentur, ut cum anguis per puellæ annum excretus eſt. In lupis ſerpentes aut ſimile quid in renibus reperiri obſervatum, multa eiuſmodi ſunt alia, non monſtra tamen agnoſcit, niſi ab utero Philoſophus.

Vocant præterea monſtra παρὰ φύσιν. Corpus enim aut perfectum aut imperfectum, ſicut & motus & principia. Id naturale eſt, cuius non modò principia ſe rectè habent, ſed cum in omnibus ita conſtitutum eſt, ſicut competit. Præter naturam, quod iiſdem quidem principijs conſtat, ſed mutatis aut depravatis. Monſtrum verò eiuſmodi, quoniam acceſſit, quod naturæ motum ſolvit, & duxit in contrarium. Igitur παρὰ non κατὰ φύσιν. Non enim quicquid eſt, ineſt, rebus à primo ortu, id ei vere naturale. Sed alia quidem ſecundum naturam inſunt, alia contra, ſed dupliciter. Quædam ex neceſſitate & omnibus, ſicut mors, quia omnia intereunt tandem, quæ corrupti-

Monſtra παρὰ φύσιν.

Naturale quid.

Differentia earum quæ inſunt.

tibi-

tibilia principia habent. Quædam non omnibus & violenter, & tale est, quod in his mirū spectaculu se ostendit. Turbatur enim naturæ actio in corporum constitutione, & vis ei infertur, ut dissimile non (quod solet sibi relicta) simile producat: Φυσικώτατον δὲ ἔργον ἐν τοῖς ζῶσιν τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό. *Quod si agit quod non vult,* παρὰ φύσιν *certè. Itaq; non debuit contra Varronem Isidorus pugnare, negans esse contra naturam monstra, quoniam divina voluntate nascantur, voluntas autem creatoris cujusq; rei conditæ natura sit. Nam si erratum non est hoc in natura ob eam, quam ipsi afferunt rationem, quomodo homicidia peccata vocabunt, si omnia divinæ voluntatis arbitrio absq; discrimine subjecta sunt? Quanquam quod mutuati sunt ab Augustino, id ille multò, quàm isti, cautius. Adjecit enim portentum fit contra naturam, sed contra quam nota est: hoc est consuetam illam agendi legem. Id* τὸ εἰωθὸς *est. Consuetudo autem lex est.* παρὰ φύσιν, *aut sunt monstra* πῶς *tantum, non* ἁπλῶς. *Nam etiam in monstris aliqua naturæ actio est, & sunt causæ naturales, ut semen & seminum commistio, & motus materiæ, etsi cum vitio aliquo. Format virtus, sed prave format, adest materia, sed corrupta pauca, divulsa & cætera similiter. Quod accedit, cum non debeat, id præter naturam est. Itaq; nescio* quid

Contra Isidorum.

quid venerit in mentem ijs, qui dicunt, capras semper ægrotare & febricitare: Leonem item, idq; illis esse naturale. Quis febrium circuitus in capra vel leone tàm accurate notavit? quis pulsum? quis urinam? quis coctiones, unde hæc discuntur? Captivum esse leonem maximus morbus est, non calor. Magis inepta quæstio, possitné natura tota species ægrotare. Quod toti speciei commune est & semper, id proprium dicitur, proprium est à natura. At morbus naturæ oppositus affectus est, & quæ actio in his læditur? Non frustra deinde apposita etiam hæc: In quibus longè disceditur. Non qualibet principiorum degeneratio, non quivis solutus motus, nec deformitas qualiscunq; fœtui impressa monstrum facit; ut dicatur, nec cum gignenti in omnibus similis non est, sed si quæ enormis oblæsio est. Qui enim maculam in facie, aut alia parte secum affert, verrucas in digitis, sive paulò corpulentior est, non ob id monstrum habetur, maximeq; si ea vitia in tenera ætate arte possint corrigi. Minus eos huc recensemus, qui lineamentis oris, figura in facie alterius imaginem animalis obscurè, & quodammodò tantum repræsentant, quoniam sunt resimati, & excrescente callo deformati, & qui naribus ac labijs nescio quid alienum ab humana forma referunt, homines tamen sunt, non monstra, sicut & qui parentum similitudinem non exprimunt, & gignenti in hoc ἀνόμοιοι, quod ipsum cavit Aristo-

An capræ semper febricitent.

In monstris longe disceditur.

Quæ non monstrosa.

Aristoteles. Excludimus etiam animalia, in quibus initio oculi nulli apparent, sed postea, ut in canibus, leonibus, lupis, vulpibus. Paulo enim post palpebræ dehiscunt l. 2. Hist, c.1. Tum ergo demum erit res præter naturam in corporibus, cum degenerando eo usq; proceditur, ut non homo, si ex homine & in homine nascatur, sed animal tantum, vel homo quidē, sed abhorrentem figuram à communi, et vix emendabilem habens. Si enorme nihil sit, τέρας non sit, quo & refero in cervis signum apud Arginusam, qui omnes scissæ aure fuerunt, qua nota vel alibi, cum loca mutarint, cognoscuntur, & quidem fœtus ipse à primo ortu in utero id signum contrahebat, Vt est in VI. Hist. cap. 29. Postremò rara etiam dicuntur monstra, quæ iis opponuntur, quæ sæpè fiunt. Nam ne ea quidem monstra voluit appellare Philosophus, ubi aliquid fieri solet: Vitis quædam est, quam aliqui capneum vocant, quæ cum unam albam soleat ferre, si nigram tulit, monstrum id esse non putant, quoniam sæpissimè id facere soleat, causa est, quod sua natura inter albam & nigram est. Itaq; non longè disceditur, ὥσπερ ἔξω ἢ μετάβασις.

Monstra rara.

CAPVT VII.

Quibus corporibus inesse possit monstrositas: Rerum series exponitur: Removetur ea affectio à spiritibus;

bus; cælo simplicibus, subterraneis insectis, meteoris. Ostenditur esse in avibus, piscibus, terrenis perfectioribus.

QVod si igitur monstra depravata sunt corpora à primo ortu, magna verò varietas in natura corporum, proximum est, quibus hoc malum eveniat, inquirere. Quod si à Philosopho verè dictum est, omne quod probum est, etiam pravum reperiri, omnemq́ naturam vitiari exceßibus, videri poßit, omnium hanc affectionem esse. Sed non est ita, neq; necesse est, ut quæ prava sunt, eadem in monstra degenerent, nec quævis affectio cujus vis est, quædam enim omnibus, quædam aliquibus tantum. Nulla in cœlo generatio, non alteratio, loci mutatio à terra abest, sensum plantæ non habent, multa non seminant, non spirant, non loquuntur, solum hominem calculosum esse dixit Aristoteles, sunt infinita eiusmodi, & in universum aliud alteri inest. Itidem & monstrositates in omnibus non sunt, quoniam non omnia vel generant vel generantur. At cũ generationis motu solvitur, monstra producuntur. Igitur licet æstimare in ijs tantum esse, quæ generando speciem propagant, & materiam habent τῇ γένεσει habilem & qualitates effectrices, in ijs solis admitti errores poßunt, cum primum concipiuntur, formantur, distinguuntur, aluntur, augentur. Sed nondum manifestum est, quæ illa generabilia, corruptibiliaq́ corpora sint. Investigemus igitur ple-

Omne quod probum, etiã pravum reperitur.

Nõ quævis affectio in quolibet.

Monstrositas non in omnibus.

plenius. Monstrum, inquit Aristoteles, res est præter naturam, sed præter eam, quæ magna ex parte fit. Nã præter eã, quæ semper & necessariã fit, nihil fit. Verum in ijs rebus, quæ magna quidem ex parte fiunt, sed aliter & aliter possunt fieri, evenit, quod præter naturam constat. Evolvenda hæc brevitas. Rerum existentium non est eadem omnino ratio. Nam is qui condidit initiò, cum materiam ipse sibi peperisset, diversa constituit pro sapientia sua, & quia ita optimum judicavit singulis tribuit in quantitate, loco, ordine, societate & vi, quod voluit. Iussitq́ quædam esse perpetua, quædam non perpetua. Quæ perpetua, tamen quod sunt aliunde habent. Nam ex se solus Deus, nec principium, nec finem, nec mutationem habens, quæ tria in re æterna insunt. Perpetuitatem igitur aliunde spiritus traxerunt: deinde vóes & animæ nostræ, deniq́ cœlum, in quo æternitatis & immutabilitatis suæ imaginem esse voluit, etsi ea est eius natura, ut nihil impediat, si non alijs ex causis, at à primo autore destrui posse. πᾶν τὸ κτιστὸν φθαρτόν ἐστι. De cœlo dubitavit Aristoteles, an principium habeat, itemq́ finem aliquem. Habet Diodorus Siculus veterum sententias, quæ utrumq́ senserunt. Plato originem cœli in Timæo agnoscit. Cætera inferiora omnia lunæ globo subjecta mutabilia sunt, tum secundum essentiam, tum loci ratione. Hæc rerum series est; sed ut de singulis dicamus, spirituum natura non est corporea,

Rerum diversitas & series.

rea, etsi ita Augustinus sensit, & Psellus, Plotinus, pluresq; alij ex peculiari analogia ijs materiam tribuunt, & corporeos faciunt spiritus, sed tenuiore ex substantia, quam sint crassiora hæc. Non recipiunt hæc peripatetici, fortasse ne quidem sacra ferunt: Sed non pugnandum. Constat tamen non generari illorum corpora, neq; accidere hoc ijs posse, quod quærimus. Itaq; hi quidem ab hac theoria separandi. Anima etsi & ipsa spiritus est, quia tamen cum corpore speciem facit, & forma est illius, de ea multa dicere necesse habet Physicus.

Spiritus quid & quales.

Animæ hominum

Hujus etiam actio est is motus, quo animal absolvitur: sed ipsa non gignitur, quia corpus non est. Cætera corpora sunt, & vel cœlestia vel sublunaria. Hæc vel simplicia, vel mixta. Simplicia sunt Elementa: cætera mista omnia, quæ vel animam habent, vel ea carent. Animata bruta sunt vel rationalia. Bruta, ut pisces, aves, terrestria. Rationale homo. In hoc triplici corporum ordine, cœlestium, elementarium, mistorum multa mirificè & nove accidisse negari non debet, an monstra etiam ulla, & unquam, non est manifestum. Cœlum animal facit autor libri de mundo. Theophrastus etiam animatum. Nihil enim præclarum sine anima: sed animal non est. E quinta autem quadam natura illud constituit Philosophus, ut est disertè in 1. Meteor. cap. 4. Corpus diversum, distinctumq; & ab igni, & ab aëre censemus esse,

Corporum partitio.

Cœli natura quæ.

An animal sit cœlum.

 id quod

id quod supra est,& ad lunam usq; pertinet, Idem l. eodem c. 3. & 2. de anim. ortu c. 4. & Plutarchus de placitis lib. 2. c. 11. Ac etsi cœlum στοιχεῖον vocat alicubi, à cæteris tamen sejungit, ut aliud sit, quàm illa, non loco tantum, sed omni natura sua. Quamvis secus Platonici & Agrippa lib. 1. de occul. Philosophia, in cœlo etiam 4. Elementa reperit. Sed Cabala eius peripateticis in tenui est. Vocat ἄφθαρτον, quod corrumpi non potest, quod in Timæo Plato fatetur, sed paulo aliter. Omne quidem inquit, quod ligatum, dissolubile est: sed quod scite continuatum, quodq; bene se habet, velle dissolvere, mali est. Deinde primum vocat in natura corpus, non solum situ & mole, sed quia divinum, & Dei sedes. Motum illius vocat perfectissimum, cui uni, neq; adimi potest, neq; addi. Regularissimum sine ἀνωμαλίᾳ circularem, cui nihil contrarium, nihil abijcit, nec deponit, nihil assumit. Non enim quia movetur, ad formam tendit, sicut alia. Nibil ait ibi generari, nec corrumpi, quoniam quicquid nascitur, & corrumpitur, à contrario fit: Non habet autem cœlum contrarium, nullumq; agens naturale vincere eius formam, nec disponi ad interitum potest. Idem neq; incrementum sumit, nec decrementum patitur, quoniam hæ mutationes primarum qualitatum interventu, & rarefaciendo, ac condensando fiunt, quæ in cœlestibus locum non habent. Et quia ibi nihil generatur, non etiam nutritur. Cœlum

Cœlum element/tum.

Cœlum incorrup/tibile.

Primum corpus.

Motum perfectum.

Cœlum fit ne incre/mento & variatio/ne.

lum igitur perpetuum, & non variabile, sicut testimonium faciunt, quæ insensus incurrunt. Quod si nihil observatum est ad malitiam tendere, nihil etiam mutatum credi potest. Qui enim defectus in Sole & Luna & novæ luminum receptiones, & imminutiones ad singulos menses videntur, veri defectus in Sole non sunt, & quod accedit lunæ, perfectiorem facit massam eius, non deteriorem. Nobis Solis aspectus eripitur, luna opposito corpore, soli nihil detrahitur, sicut nihil faciei, si larva tegatur, lunæ illustratio ad perfectionem tendit, & si quando obscurationem patitur, non id tamen patitur, quod elementaria. Eadem enim luna postea, quæ prius fuit. Mutuatitium enim lumen habet. Eodem modo quippe in meridie obscurantur sidera, & horum Ecclipses quotidianæ sunt, & patitur hoc sæpè à nubibus sol, quod à luna. His de causis videtur Aristoteles cœlum à mutationibus liberasse, cum ea removet, in quibus ortus est & interitus, cæteraq́, vicissitudines. Non modò ergo ibi nulla monstra, sed ne prodigia quidem. Nihil horum bonitas cœli admittit. Sed non assentiuntur omnes. Qui enim nullam materiam esse cœli volunt, apertè falluntur, & certè cœleste corpus ex materia & forma concretum esse, quantitas docet, & quia sensibile, & multa alia. Si materiam quidem dant, pro omniũ corporum natura, aliam verò ac elementorum, ne hoc quidem conceditur. Nam non paucio-


Cœlum nil patitur.

Contra cœli naturam Aristotelicam.

res eiusdem naturæ materiam ibi constituunt cum inferioribus, sicut Avicenna, sicut Philoponus, AEgidius & multi alij: maximè cum forma, non materia sit, qua res distinguuntur, Et in materia propriè gradus nulli sint. Quod si etiam omne corpus corruptibile est, quoniam nulla virtus in corpore infinita est, 8. Phys non est necesse ita longè distare cœli & elementorum materiam. Sed communis potius utriusq; existimanda est. Autoritate aliquando sapientum quorundam convicti sumus, esse quintæ cujusdam naturæ. Ex vetustioribus aliqui aqueum, alij igneum esse voluerunt: Neutri sine ratione. Creationis historia sicut materiam rerum effectarum extitisse ullam negat, ita testatur ab opifice illo materiale rerum principium futurisq; mundi basin primo die opere productam, duplicem materiam unam superiorum, alteram inferiorum, ut ex ea duplicia corpora perspicua & opaca prodirent: sed qualis ea materia? Nebula fuit, aut quippiam aqua rarius, quod telæ instar diduci ad extensionem posset. Eam fuisse & verba eius loci, & vocis origo Hebraica, & Petri locus arguunt: si aquea fuit, elementaris fuit, si diversa à terrenis, varietate tantum, non toto genere. Purè etiam simplex esse quomodo potest, si pars una eius aspectabilior & minus diaphana est, ut sunt sidera. In simplicissima constitui hæc non possunt. Contra immutabilitatem etiam apparantur rationes, quod non

An cœlum simplex.

An immutabile.



satis

ſatis firmum teſtimonium ſit ab iis, quæ in ſenſus incurrunt: Facta nulla eſt mutatio, quia oculi nullam obſervarunt. Non ſufficit hoc. Longè abſunt à cælo oculi, & qui nonnunquam falluntur in rebus proximis, vixq́. turrium aut montium cacumina ſine errore adæquant, quid de immenſo illo ſpacio putandum eſt? cum neſcias, dicebat Heraclitus, quid in remota quapiam civitate fiat, quomodo quæ in cœlo fiunt? cujus & Eſſentia & quantitas non intelligitur. Lyncei non ſumus. Sphæras certè nō conſpicimus, in quibus ſunt ſtellæ. Menippo in ſummo cœlo luna perpuſilla videbatur, & nullibi comparebant, hominumq́, boumq́, labores. Itaq́, Icaro Menippus animo concipiatur aeri vagus, & lunam incolens, qualis Empedocles Luciano, de cœlo terram vel aquilinis oculis contempletur, qualibus in terra conſiſtens cælum aſpiceret, certe quanta quanta eſt, illam vel prorſus requireret, vel ut atomum videret, non ibi incenſas urbes, non prælia, non collapſiones tectorum, non navigantes, equitantes, non homines, non feras ullibi, nullas etiam viciſsitudines minimas deprehenderet, ſed una ei facies quietiſsima & ſemper eadem ὑπὸ τοῦ μεταξὺ διαστήματος *ex tanta altitudine appareret. Quod ſi perpetuò eadem terra videretur ei, qui inde à ſideribus eam contueretur, non eſſet autem (magna enim rerum confuſio) multa laterent, quæ ibi fierent, cur de cœlo ita ex eo credimus, quod hic tàm*

Novum quid in cœlo.

Grave & leve in cœlo.

In cœlo nulla monstra.

imbecillibus oculis contemplamur? Novum etiam ibi nihil fieri, negant, qui novas quandoq; stellas ibi exortas, & nuper nostro seculo cum admiratione nobis commonstrarunt, hodiè monstrare, postquam evanuerunt, non possunt. His assentiuntur, qui cometas in cœlo oriri statuunt, quod non improbabile, si motus is est, quem repererunt. Grave & leve cœlo adimere non satis manifestum. Nam si quæ pars eius loco mota in aërem delata esset, tum quiesceret ibi, vel moveretur. Quiescere ut in loco alieno non posset. Si moveretur, tum vel sursum, & levis esset, vel deorsum & gravis. Evenire docent etiam planetas in orbibus suis modò ascendere, modò descendere, partesq; alias cœli, centro viciniores, alias remotiores, quæ gravitatem levitatemq; indicent. Ac ut concedatur, cœlum semper videri idem. Multis id etiam aliys corporibus commune est: Mare, aurum, gemmæ, lapides diutissimè inculpata naturam suam servant. Corrumpuntur nihilominus aliquando, & aliys alia durationis tempora tributa sunt, nec quod diu firmum est, perpetuò esse necesse est. Dixit Hipparchus Cardines aliquando locum mutaturos, quod est à perfectione discedere. Annos esse ajunt solito breviores. ᾿Αλλὰ μηδὲν veterum dissentire à nostris plurimum. David ut vestem atteri cœlos cecinit. sed sive ea natura cœli sit, quam voluit Aristoteles, sive alia, illud tamen constituendum, monstra quæ verè sic dicuntur

cuntur nulla ibi gigni, quod eæ causæ ibi absint, à quibus hæc solent existere. An prodigia ibi & miraculosa ostenta se aliquando exerant, nihil ad hunc locum facit. A cœlo ad inferiora transeamus, in quibus fluxa omnia sunt, nihil quod mutatũ in pejus non interat: seriem omnium percurre. Sub cœlo omnia mutabilia.
Gutta cavat lapidem, rubigo ferrum, vetustas ædificia, cæterorumq; similiter vita certo termino comprehenditur. Elementa communia sunt omnium generabilium principia, & non esse ea ἀμετάβλητα oculi docent. Extinguitur ignis, corrumpitur & transmutatur aër, sunt mirificæ aquarum perturbationes, reciprocationes, incrementa, decrementa. Terra aliam subinde formam induit. Quæ aliquando sunt, aliquando non sunt, vel non talia, ideoq; corruptibilia, quoniam incorruptibile est, quod idem semper, non aliàs aliud. Vicissitudinem eam eleganter Lucretius descripsit lib. 5.

Deniq; non lapides quoq; vinci cernis ab ævo
Non altas turres ruere, & putrescere saxa?
Non delubra Deûm simulacraq; fissa fatisci
Nec manet ulla sui similis res, omnia migrant,
Omnia commutat natura, & vergere cogit.
Namq; aliud putrescit, & ortu debile languet,
Porro aliud concrescit, & è contemptibus exit.

Mutabile igitur naturam esse Elemẽtis creditur, possintné ibi monstra nasci, ut in se sunt, nondum patet. In aëre alia audiuntur, alia videntur. Audiuntur tonitrua venti,

In aere at lia videntur alia audiuntur.

Spectantur triplicia, Ignes, ut flammæ, cometæ: Imagines rerum, ut iris, area, halo. Corpora, ut nix, pluvia. Circa hæc nonnunquam ita mirabilia observata sunt, ut monstra etiam dicere non dubitaverint, qui ea colligunt in usus, e quo numero sunt & hæc. Draconum ignitorum volantium in sublimi corpora, quos & Cacodæmones putant, leonum, camelorum, acierum & exercituum dimicantium icones. Capitum revulsorum à cervice ac sanguineis guttis. Pluviæ multæ prodigiosæ, frumenti, cretæ, lactis, sanguinis laterum, piscium. Veterum verò quispiam ex alto etiam vitulum ibi generatum decidisse scripsit: Sed hoc posterius ex Avicenna ab Alberto recitatum nemo facile crediderit, vel si tanta fumorum copia surgat, ut montes adæquent. Cæterorum φαινομένων etiam causas in natura repererunt permulti autores, neq; ignobiles. Nam qui ibi fragores armatorum exaudiuntur aliquãdo, possunt nimirum ab erumpentibus venterum spiraculis è strictis terræ poris existere, qui sursum ferantur in aërem & cõcutiant. φάσματα & colores ex varia incidentis luminis & opaci in nubibus confusione oriri putantur, quod ipsum sive naturali commistione earum rerum fiat, sive à liberioribus naturis spirituum, unientibus variè in figuris elementa annuente Deo, ad monstrorum rationem nihil facit. Quin & eas imagines, quibus maximè terrentur homines, ut à causis

Non sunt in aere monstra.

Vnde fragor armatorum supra nos.

Φάσματα.

tram naturam ortis, obſervatum eſt à naturaliſ-ſimis initiis exiſtere, ſæpè auſtro flante, & cum tenuibus nubibus aër repletus eſt, ſimulacra varia, montium, equorum, leonum, armorum ſupra ſicut in ſpeculis ſolent eæ res, repræſentari, quod ſi verum eſt ita formas a rebus per lumen effluere in aërem, etiam admiratio quodammodo ſublata eſt. Et certe ſi metamorphoſes corporum propius nobis liceret aſpicere, multa fieri ex uſitatiſſimis principiis animadverteremus, nunc quia longius abſumus & miſtionis agendiq; modos multos non intelligimus, aliter de rebus, quam veritas ipſarum poſtulat, judicare ſolemus, & mirificas opiniones fingere. Vnde ſeeſpe animalium imagines in acre.



Sæpè, ne eſt quidem quicquam, quod dum longius abeſt, eſſe videtur. Multorum ajunt cauſas non reperiri communes, niſi altius aſcendamus. Sanè fatendum, ſi vera ſunt, quæ ut vera aſſumuntur. Nam carnibus pluiſſe & ranis ſimilibusq; rebus, ſunt qui non crediderunt factum eſſe ſed ab iis traditum, qui ſimilitudine rerum decipiantur, & rem pro re nominent. Quod ſi facta verè ſunt, ſanè difficilis fuerit cauſarum nominatio. Nam quod ex viſcoſo fumo, terreſtriq; materia, cæteriſq; concurrentibus Elementis (ſunt enim ibi omnia interdum) maximè cum cœli vis proxima eſt, ajunt generari ibi carnes poſſe, & ex varia calidi frigidiq; miſtione beſtias, vereor ut ſatis ſit. Nam ut ſit ibi materia carnis propria, Carnium pluvia.

& proxima, quod haud scio an verum sit, qui potest loco tàm inquieto, & nunquam diù simili sibi aëris constitutione per tot alterationes, quales in animantibus per variorum organorum præparationes laboriosas antegressas, caro generari, ut nihil est, quod esse in cæteris solet, quæ hanc producunt, ut taceam carnis elaboratione ad animæ pertinere actiones. Quod si sufficit calor, & viscosi fumi alicubi collecti, cur in furnis pistorū nihil eiusmodi gignitur, ubi pinguis è lignis & tæda fumus, & suavis è cocto pane vapor proximè qualitatibus carni respondens, loco tàm calido & propter quietem magis accommodo? Ideo 4. Met. 4. negabat Philosophus in igne vel aere generari ullum animal, sed in terra tantum & aqua, quod corpora solida ex crassiore humidaq; & sicca materia generentur. Ea est in his duobus tantum elementis, non in aere. Quod igitur ita concretum est, non potest ad aerem referri, cum eius natura id non ferat, neq; ullo modo sit consentaneum. Stultius illud, quod ajunt lacte pluisse aliquando, & sanguine ex eo, quod ex uberibus pecudum solis radij lac evocent vi extractum, sanguinem verò ex animantibus, & cadaveribus. Mirum in barbas etiam viris evellat alquando, & barbas pluat. Vix elici sanguis scalpello potest, & lac mulgentium digitis, multoq; pressu, & sol poßit? Ac si evocat, quomodo cum ita grave sit sursum vehit? An ad materiæ pluviosæ crassitiem impuritatemq; referri

ferri is color potest & quidem certis è locis & peculiari terra evocato halitu. Liquida eorum per quæ percolata sunt, colorem induunt: sed ut ad propositum redeamus, in Elementis ut simplicibus corporibus monstra nasci omninò pernegandum est, & his quidem de causis. Primum quod monstrositas omnis morbosa est affectio animati corporis, quatenus animatum est. Igitur non modò ea effici ita non possunt. Sed ne metalla quidem & arefactæ plantæ & cadavera, etsi aliter affici, ut mixta possunt, ut cum putredine, aliisq́ modis dissolvuntur. Deinde quoniam natura eorum simplex est & uniusmodi, monstrorum non item. Tertio ipsa vel non generant, vel effectum tantum similem sibi per omnia efficiunt, ut ignis ignem: in monstris dissimilitudo est. Quartò Elementis figura nulla propria, sed ex continente assumunt, quam habent. In monstris frequenter figuræ oblæsio est. Ergo nisi mista ipsa mistum faciant, & quidem animatum, monstrum non fit. Abutuntur igitur monstri voce, qui hæc pro monstrosis habent, ignem non urere & absumere in fornace Babylonica, in capite Iulij, in rubo Mosis, & Castoris & Pollucis, aquæ ex petra eruptionem, aquæ in vinum conversionem, terræ dehiscentiam. Miracula sunt hæc & trans naturam opera. Sanguis autem sanguis est, & vinum, vinum, undecunq́ extiterit: & quidem ad sensum similaria. Monstrum autem ἀνόμοιον,

In simplicibus corporibus non fi... monstra. Causæ 4. 1. 2. 3. 4. Miracula alia à monstris.

In ijs autem, quæ his corporibus affinia sunt, multa mirifica apparent, & placuit autoribus monstra appellare. Non benè tamē. Est in Oceano Scythico rupes quæ Zlotta baba, aurea auris dicta est, formam anus repræsentans. Alia in Islandico Oceano Monachi figura. Sed nec hæc animata sunt, & figuram casu acceperunt, etiam eam, quam Cardanus invenit in lapidibus, qui manus, pedes, digitos, aliaq; varia repræsentarunt. Idem de subterraneis omnibus, sive spontè erumpant è terra, sive effodiantur intelligi volumus. Quicquid etiam in his admirabile observatum sit, ut in marmore solis effigies repræsentata, & in alio regium caput cum diademate, alibi sceleton capitis, in gemma septem Musarum & Apollinis imago, in flumine facultas indurandi in saxum quicquid injectum sit, inebriandi, tollendi memoriam, augendi sitim, & infinita alia. Nam qui lapides dicunt vivere, & fœcundas esse, quod in eorum internis sinubus lapilli, imò & bestiolæ reperiantur genitæ, à communi Philosophia toti discedunt, & ridiculè nobis ostendunt, quomodo edant, quem ventriculum & excrementa habeant. Ita animatorum plures gradus statuendi essent, quam ab omnibus hactenus agniti, & numerus animarum multiplicando. Quod si vivunt, nutriantur necesse est, at nutritionem in his nullam esse, augmentum prodit, quod est in sola partium foris adjectarum, & materia accidentis ap-

In subterraneis non monstra.

dic-

plicatione. Quod si illis, ut cæteris, quæ vivunt, nutritio & alimentum necessarium est, quid fiet lapidibus, si ijs in locis sint, ubi nutrimenti nulla copia, fient igitur rugosi, & morientur? sed aliter res habet. Itaq; hæ affectiones istis quidem non competunt: Etiam meteora separamus ab ijs, Meteora *quibus hæc possunt accidere. Nam etsi elementorum virtutes in his concurrant, magna tamen similitudine ad simplicitatem eorum accedunt. Quid aqua & pluviali aquâ simplicius? Quid cometa & igni? Quædam etiam revera non sunt, quod esse videntur, ut arcus cœlestis, & sol geminus. At sunt in his quædam rara, insolita, mira: ut quædam attulimus, prodigiosas scilicet pluvias. Qualis sint, parum refert, si modo acciderunt, prodigia vel miracula appelles licet, monstra non licet. Nihil enim habent quod horum characterismis respondeat. Restant plantæ & animantia,* Monstra in plantis & animantibus. *quibus Solis videntur monstrositates contingere. In plantas etenim absurditates non dissimiles ijs, quæ accidunt animali. Sunt quædam ingentis magnitudinis arbores; & gigantes inter homines, quædam parvitate admirabiles, ut Pygmæi. Sunt & gibbæ, curvæ, mutilæ, obstipæ. Concrescunt fructus plures iucundo spectaculo. Sunt & propter seminum commixtionem caulorapa, Sicut ex equo & asino hinnus. Alnum vidimus vetustam, in qua unicus truncus initiò in bifidum stipitem divisus quasi bicorpor, animal concurrentibus*

tibus rursus partibus superius, non parva admiratione. De vastitate arborum mira apud Theophrastum & Plinium, quasdam tam altè fastigijs suis ascendere, ut sagittis à peritissimis indigenis non superentur: Laricem centum & podum viginti visam narrant. Abietem quatuor hominum complexus continentem. Insitam arborem vidimus, ait Plinius juxta Tiburtes tiliam, omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, prunis, malorumque generibus. Hodiè etiam ars fecit, ut spectari ejusmodi possint. Plin. lib. 18. c. 18. in frugibus pro ostento est, cum in arboribus frumenta nata produntur anno, quo natus est Hannibal.

Est Phasellus turcica arbor humana facie apud Card. 6. de varietate. Vites referunt alicubi ad Danubium repertas, quarum claviculis & folia ex puro auro genita viderentur, regibus ac principibus dono missa, sed auri fodinas ibi latere, è quibus trahant plantæ cum succo. Mirum tamen quomodo à planta aurum immutetur.

Vites clavicules auris.

In plantis vulgus pro monstro habet fictitiam mandragoram ex Bryoniæ radice bifida recens evulsa, efficta in virum fœminamque, arte formatis membris naturalibus. Id quomodo impostores tentent descripsit Matthiolus. Ipsa quidem Mandragora Pythagoreis ἀνθρωπόμορφος dicebatur, quod radix hominem imitetur, unde Columella in carmine semihominem vocat.

Mandragora.

Quam-

Quamvis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores.

Multa eiusmodi passim, ut illa fabulosa finamus, arborem locutam, & Græcè ad Alexandrum in Curtio: Vitia autem & morbos plantarum Theophrastus copiosè descripsit in V. de causis plant. 9. & sequentibus, Plinius etiam sed in festinatione titulos is tantum reponit nobis. Theophrastus ut Philosophum decuit, quomodo ægrotent, quæ vitiorum initia & incrementa, corruptionum degenerationumq́; principia interna & externa in toto et parte, vel actiõe læsa, vel à materia copia, inopia, cruditate, imbecillitate, scabiem, siderationem, rubiginem, parum nodos & mille alia. Itaq; multa quæ accidere fœtibus solẽt animantium, eadem & plantis teste Hipp. lib. de natura pueri. Quas interdum enormes depravationes partium in figura, situ, quantitate, numero, monstrositates appellare nihil obstat, & sic videtur Aristoteles in 2. Physic. Minus tamen aut frequenter, aut facilè his quidem id malum accidere quam animantibus.

Theophrastus de plantis

Monstra minus frequenter in plantis quam animalibus.

Nam & seminum principium in his, quàm in plantis & mollius & humidius, ob id alterationi magis expositum, & longe operosior generatio animalis ob partium, & forma & usu differentium varietatem. Nam stirpium natura, quia stabilis est, non ex multis & varijs partibus

dissi-

dissimilaribus constituta est: quippe cum ad plures actiones paucorum instrumentorum usus requiratur 2 de causis 10. Animalium illis simplex & æquali affluxu: Minus resistere injurys ob mollitiem animantia possunt, magis ob soliditatem stirpes. Ex qua rariora necesse est errata contingere, in horum quam illorum ortu primo, quod quam bene negaverit Cardanus, suo loco dicetur.

An in animantibus omnibus monstra.

Supersunt animantia. In his quia monstra sunt, sed nec in omnibus; distinguenda eorum varietas. Triplicia constituit Aristoteles in 3. de gen animal. pro trium locorum vel Elementorum numero, in quibus vivunt. Pisces aquæ, aves aëri, cætera terræ destinavit. Cardanus in septem divisit. Apulejo etiam prius non placuit, quod in aere nihil nascatur, neq; nutriatur. Nam quod raras ajunt esse quasdam aviculas, quarum plumas in corona sua Turcarum imperator ferat, eas in aëre solo vivere nunquam terram attingere dum vivunt: Ova autem in mariti dorso posita excludere, fabulæ propius est. Nam si terra & aqua cibum præbet animantibus omnibus, quomodo hi soli aliter vivunt? cum & aves cæteræ vel è terra vel aquis, vel alibi in nidis tectorum & stirpium cavernulis, eò quod ex utroq; elemento colligunt, se sustentent. Sed nihil hæc in Philosophũ, qui locis, ubi vivere possint, voluit distinguere. Sed cur quartum præteryt? Negant in igni gene-

generari quippiam, nisi quod de Pyraustis in Cypri metalli fodinis per flammas volitantibus muscis magnis non dissimilibus, & qui, si ab igne removeantur, moriantur, retulit Aristoteles, in quo à Galeno oppugnatur, qui nihil tale ibi deprehenderit, cum fornaces illos vidisset. Et sanè quia difficile est credere in siccissimo elemento mistionem fieri ad generationem viventium, nec per se ignis vitæ effector est, sint tria illa perfectorum animalium genera, pedestrium, volatilium, natatilium: Imperfectorum autem aliud genus, quod sponte sua oritur, & insectum dicitur, quod ut nomen indicat parte sui una, vel prona vel supina, vel utraq; incisuras habet, nec osseum quicquam aut carneum, sed medium inter hæc. In his etsi multiformia sunt ob materiæ, unde gignuntur, infinitam varietatem, dissimilitudo aut nulla, aut non conspicua. Quis unquam vidit lumbricum lumbrico, pulicem pulici non similem? nisi quod pro locorum diversitatibus hæc aut plura sunt, aut malè insitata, unde in mirabilibus auscultationibus dicitur in Cyrene non unum genus muscarum esse, sed formis & colore distincta, alias latifrontes, velut mustelas, alias viperis similes, quas Echidnas vocant. Sed hæc naturæ ordinariæ opera sunt, non errata. In cæteris tribus perfectioribus incidere omnes eæ depravationes possunt, quæ monstrum efficiunt, in aliis aliter, & frequentius. Quo enim operosior in unoquoq; gene-

In igne nihil generatur.

Insecta non monstrosa sunt

ratio, & à multis, hoc facilior lapsus, ut in sanguineis, quorum genera digessit Aristoteles de Hist. animal c. 6. Homo, quadrupes, piscis cete, & si quid aliud vocans nomine. In avibus monstra fieri scripsit Philosophus in 4 de gen. animal, & causam in 10. sect. probl. 60. exposuit Cur, inquit, monstra parva quadrupedes pariant, homo autem grādesq; animantes omnes minus, ut equi et asini: an quod parvæ, ut canes, sues, capræ, oves, longè sunt fœcundiores, quàm grādes. illarum enim aliæ omninò singulas pariunt, aliæ magna ex parte. Monstra autem tum fieri solent, cum plura semina inter se cohærescunt, confunduntúrq;, vel cum prodeunt ex mare, vel cum se in fœmina commiscent. Unde aves etiam monstra edere possunt. Ova namq; vitello pariunt geminato. Monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla interjecta membrana distinguuntur. Avium monstra multa sunt, sed multa non verè sunt pro monstris habenda: alia quidem figura, alia generationis modo alia alys modo. In Hyberniæ insula narrat Fulgosius, & locis quibusdam mari imo arbores esse non dissimiles salicibus, in quibus ortæ parvæ quædam pilæ paulatim crescendo aves anatum formam habentes effigiantur, rostro ab arboribus pendentes, & cū ad nativitatis tempus pervenerēt, suo ipsarum nixu arboribus excussæ in mare decidunt & evolant. Mira res, si ita sit, & non potius nidi eum pullis intus latentibus. Monstrum tamen

Avium monstra.

Mira quædam de avibus.

men aliter, fructum solijs glomeratum, si oportu ne in aquam decidat, reviviscere, & in avem verti. Hi sunt anseres arborei Nolunt figmentum esse, quod à pluribus recitatum est. Negavit tamen Albertus & in arboribus nasci, & à ramis caudiceq; dependere, & à succo inter corticem nutriri, vidisse se av s coire, ova fovere, pullos excludere & alere. Illud mirum, ingentem bufonem in medio saxo dissecto sine ullo aditu vel ingressu vivum repertum, quod de se etiam Columbus recitat, & sub Pontifice Martino V. serpentem similiter ibi inventum. Vtut sit de his, in avibq monstra fieri certum est: Et vidit Albertus anserem bicorporem, duobus in dorso connexis corporibus, bicipitem, alis quaternis ac totidem pedibus, quæ iverit, in quamcunq; partem convertebatur. Pisces sequuntur. Hi vel in mari sunt, vel aquis dulcibus, & hi vel puris vel cœnosis paludibus. Admirabilis est & hic Dei solertia, ut in cæteris, in quo tam stupendæ formæ sese offerunt, ut contemplandi finis nullus sit. Ausus est hoc Plinius dicere, veram esse vulgi opinionem, quicquid nascatur in parte ulla naturæ, & in mari esse, præterquam, quod multa ibi quæ nusquam alibi. Non modò omnium animalium simulacra se ibi ostendunt, sed inanimatarum rerum variè prorsus. Causam autem tantæ varietatis exposuit luculenter Philosophus in 3. de gener. c. 11.

Anseres arborei.

Bufo in medio saxo.

Piscium monstra.

Quicquid nascitur, in mari esse.

In mari similiq́ humore mu[illegible] & va[illegible] gignuntur. Et quia vitalius est humidum quàm siccum, aqua quàm terra, hinc fit, ut multiformiora sint, quæ in humore gignũtur, quàm terra. Humor enim naturam habet ad efformandum effingendumq́ habiliorem, quàm terra. Nec multò minus corpulentam eam, quæ potissimum in mari habentur. Et paulò post: Mare humidum, multoq́ corpulentius est, quàm aqua potulenta, atq́ etiam sua natura calidum est, ut particeps omnium partium sit, videlicet, humoris, aëris, terræ. Ælianus πολυμορφίαν *multis exemplis illustravit. Mare, inquit, quod Tabrobanem ambit infinitos pisces & cete procreare ferunt, & eorum quadam habere capita leonum, Pantherarum & arietum; aliorumq́ animalium, & quod magnam admirationem habet satyrorum speciem cete. nonnulla gerunt, alia sunt muliebri facie, eiúq́ pro crinibus spinæ dependent. Addunt & alia reperiri absurda, quorum genera tam monstrosa, exactè explicari, ne à peritissimis quidem pictoribus possent. Ac in eodem mari beluas in utraq́ sede viventes audio, noctu segetes depasci & herbas instar gregalium, mare redire in mare. Sunt de piscibus multa in memorabilibus auscultationibus. Circa Babylonem in cavernis aquosis pisciculos latere; eos arefacto flumine ad areas pastum prodire, alarum subsidio, caudæq́ motu, cœterùm fugere persequentes, caputq́ humo mersum reliquo corpore*

Mare mirabilia.

pore tegere. Heracleæ esse piscium genus intra terræ cavernulas defossum maximè in paphlagonia altè in terram defossum. Volantium piscium cadavera vidisse se scribit Cardanus, alij vivos etiam; varia in libris varietatum de piscium monstris Cardanus. De cippis piscibus humana figura Scaliger, interdum sub aquis latitantibus, noctu in ripas exeuntibus. Ciprinum captum Hermaphroditum cum notis utriusq; sexus geniturae & ovorum Gesnerus scribit. Ad insulam Cimbriben referente Scaligero captus piscis est suillo capite, cum geminis cornibus, reliquum corpus unico esse compactum fuit. In dorso species pusilli ephippij. In mediterraneo mari alius piscis suillo capite. In Tachnide fluvio Scythiæ pisces humana ferè effigie, sine voce tamen, Inter rarissimas naturas & Hippocampus & Tritones & Nereides, de quibus locutus est Plinius lib. 9 hist. natural. ut pro vanis non castigentur prorsus, fecit Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 8 qui aliquot nobis Exempla gravissimorum virorum narrationibus excepta recitavit. Ea libet in hoc libro referre. Sic autem ille.

Cippi pisces.

Ciprinus Hermaphroditus.

Tritonem & Nereidas, hominesq; mari genitos, quos marinos appellant, præterquam quod apud Plinium naturalis historiæ nono legeramus, nostra quoq; tempestate conspicuos fuisse, multa documenta sunt. In memoria mihi est, cum adolescentulus ego in portica nostra Portanen-

Tritones & Nereides.

venſi Neapoli quandoq; diverterem. Draconettum Bonifacium Neapolitanum, patritiæ generis & inclytæ familiæ virum, ut in homine militari, facundiæ florentis, & multarum rerum cognitione clarum: tunc ſenecta venerabilem, & debilitate pedum invalidum, in conventu maximo, præſente atq; audiente me, referre ſolitaviſſe, ſe dum in Hiſpania militaret, marinum hominem vultu & corpore prorſus humano, abſoluta ſimilitudine pubetenus: poſtremis vero in piſcem deſinentibus vidiſſe, in melle ex ultima Mauritania & Oceani finibus ad regulos, ſub quibus ſtipendia faciebat, & honeſtum ordinem duxerat, pro monſtro allatum.

Fuiſſe autem facie hominis vetuſti, capillo & barba hiſpido atq; hirto, colore cæruleo, ſtatura procera, & maiore humana: Alis quoq; tenui cartilagine, quibus marinos fluctus ſecabat, & membrana paſſim interlucente munitum. Et hanc rem non ſibi tantum, ſed pleriſq; ſummæ nobilitatis viris, notam & conſpicuam fuiſſe, dicebat. Sed ne quis hoc vanum aut commentitium fortaſſe putet.

Gaza de Nercidibus.

Theodorus Gaza vir Græca facundia clarus, & philoſophiæ præceptis imbutus egregie, apud Iovianum Pontanum, ad quem frequens ventitabat, compluresq; noſtrates, ſcitè admodum & luculenter ratiocinabatur, ſe dum in Peloponneſo ageret, & fœda maris tempeſtate objecta, di-

ta, durissimo tempore anni nonnulla piscium monstra procellæ ad littus illisissent, inter cætera vidisse Nereidem in littore, fluctibus expositam, viventem jam & spirantem, vultu haud absimili humano facie quoq; decora, neq; invenusta specie, corpore squamis hirto ad pubem usq;, nisi quod cætera in locustæ caudam desinebant: ad quam properè visendam cum frequens concursus fieret, ipseq; & nonnulli e propinquis oppidis vicini affinesq; eò se contulissent, illam frequenti turba circundatam, mœstam & animo consternatam, ut ex vultu conjectari erat, in littore jacentem, crebroq; suspirio fatigatam conspexisse; mox cum à tàm frequenti corona inspiceretur, seq; in sicco destitutam videret præ dolore gemitus spirantes & lacrymas uberes dedisse: cujus misericordia motus ipse, ut erat mitis placiduq;, cum turbam decedere de via jussisset, ipsam interim brachijs & cauda, quo maximè modo poterat, humi repens tantem paulatim ad aquas pervenisse. Cumq; se præcipitem magno nixu in mare dedisset, ingenti impetu fluctus secare cœpisse, momentoq; temporis elapsam ex oculis, nusquam apparuisse. Georgius quoq; Trapezuntius vir multi nominis & magnæ eruditionis, aperta professione referebat amicis, se cum haud procul a litore in fonte quodam spatiaretur, puellam conspexisse eleganti forma undis extantē pubetenus, & quasi lasciviret, subinde emergentē summergentēq; se, quoadusq; cōspectum intelligens, haud amplius apparuit. Trapezuntius

Historia memorabilis.

Sed super omnia in nostro ævo haud absimile factum accepimus in Epiro, profectò Exemplum inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendum posteris putarunt, & actis quoq; publicis testamentum est: ad fontem jugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è spelunca, quam forte ibi nactus fuerat, observare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per litus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis & spelunca leni gressu tacitiq; vestigijs desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidijs aderiri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptamq; sub undis deferre consuevisse. Quod cum apud loci incolas percrebuisset, diligentius marinum monstrum observasse, & cum diutulè laqueos illi intendissent, haud multò post dolo captum, & laqueis vinctum cepisse: cumq; cibo abstineret, extra aquas vivere nequisse, squaloreq; tandem & tædio ad extremam tabem venisse. Tenet fama, venereos eos & flagrantissime mulierum amasios esse: propterea oppidi incolas edicto inhibuisse, ne qua deinceps ad fontem mulier, nisi viris comitata, accederet. Hæc nos & eiusmodi ab his qui diversa maria penetrarant, & eadem monstra placidis aquis colludentia vidissent, & in occursum nautis, exertis capitibus ab undis occurrisse, & voces audisse referebant, plerunq; accepimus. Hæc ille:

Sed multa alia marmoreo fert monstra sub æquora Pontus.

Pisces equis similes, ursinis capitibus, membris simiarum, vituli, Dæmonis, Referet aliquis eodem & Sirenes, quæ voce canera quaslibet admissas detinuere rates. Hæc tamen & hic magis mirabilia monstra dicere, & mare monstrorum parentem, non ferendum est. Pleraq; enim suis naturis certis constant, & ordinarijs motibus causarum principiorumq; existunt, formasq; habent sibi convenientes, quæ ob id admirationem concitant nobis, quia rarò offeruntur, & vastitate, mole, figuraq; absurditatem, qua ab usitatis, & nobis cognitis differunt, inferunt. Non enim quicquid abest à quotidianis formis, id necesse est monstrum esse. Quamvis esse ibi aliqua τέρατα *&* παρὰ τάξιν καὶ φύσιν *nihil impedit, sed in Elemento minus nobis familiari investigatio latentium difficilior, quam in Elemento, quod magis obvium est.*

Non quæ in mari sunt, monstra etiam sunt.

Postremum igitur est eorum, quæ circa terram. Horum alia supra, alia infra terram: subterranea vocant, quæ perpetuo ibi sunt, & latent, de quibus egit diligenter Agricola, ex quibus quædam ab insectorum natura non multum differunt: Is inter subterranea animantia ponit, oberrantes in fodinis metallicis homunculos. Eorum duo genera, aliosq; aspectu, truculentos & infestos, brutosq; vulgò vocari. Alios mites Cobalos homi-

Animantia circa terram duplicia.

Homunculi subterranei.

hominum imitatores motarios virunculos, innoxios tamen, nisi irrideantur, vel cachinno vel maledictu. Si dæmones sunt, non sunt animalia, & ne homines quidem, quis etiam eorum ortum unquam docuit? Ideoq; ne monstris annumeranda videntur. Quæ supra terram sunt, degenerare in monstra omninò possunt, etsi ut dicetur infra, alijs id frequentius ferè evenire soleat, alijs varius, nunc materiæ, nunc agentis, nunc loci vitio, aliquando causis similibus, à quibus motus solitur. Igitur quæ corpora degenerare in monstrosa poßint, expositum est.

CAPVT VIII.

De monstrorum differentiis, divinis, naturalibus, artificialibus, fabulosis. Distinguuntur naturalia in ea quæ speciem mutant: Et quæ intemperie, conformatione, soluta unitate talia sunt: Tum à causis, subiectis, accidentibus.

Differentiæ monstrorum cujusmodi sint, jam persequamur. Est enim doctrina evidentior, cum per species & differentias, ubicunq; id potest fieri, procedimus. Sicut autem à medio in virtutis actionibus aliud magis, aliud minus devi it: Ita fit in monstris, neq; uniusmodi est, quod in utero maximè præter naturam est genitum,

tum, sed digeri varietas utcunq; potest in ijs, quæ nobis nota sunt. Neq; enim omnia, & quæ unquam fuerunt, aut esse possunt, ob infinitam varietatem comprehendi numero possunt, sicut in perfectis etiam accidit, & sine læsione natis, ob id Auerrhoës animalium diuisiones, tradere operosum esse iudicabat. Cui enim omnes viuentium & animatorum species innotuerunt? è quibus si unam prætermittas, potest autem facilimè, quomodocunq; doceas, non satisfeceris. Idem cum hic in fœtuum maxima dissimilitudine fiat, notissimas differentias persequemur. Quadruplex autem videtur esse prima monstrorum differentia. Monstra igitur primum quadruplicia, reperio, diuina, naturalia, artificiosa seu voluntaria, fabulosa. Diuina primum ut typica, qualia multa in visionibus prophetarum, Danielis, Ezechielis, Apocalypseos, aries Verbi gratia immanis & pluribus cornibus uno eminentissimo. Deinde, quæ verè fiunt, sed maximè insolita, & à communi forma longissimè recedentia, quorum omnium finis triplex est, ut vel religionis mutatæ imagines sint, vel tyrannorum populiq; mores pingant, vel ut pœnas futurosq; euentus prænunctient: Huc illud numerabitur ante quinquaginta annos natum monstrum, cacodæmonem ore, oculis, naribus, auribus referens, proboscide Elephantina, manibus ac pedibus anserinis, oculis felium subter umbilicum, canino capite affixo, ulnæ utriq;, patellisq;

Cur differentias omnium differentiarum enumeratio.

Differentiæ monstrorum quatuor.

Diuina.

Diuinorum finis triplex.

cru-

crurium, ut quaternæ essent, simiarum faciebus in pectore, cauda scorpij sursum reflexa & recurva longitudine ulnæ dimidiæ. Editus is fœtus in lucem quatuor horis supervixit tantum, & his vocibus expirasse dicitur: Vigilate Dominus Deus vester adventat. Nihil tale ex cognitis in natura principijs existere potest, loqui autem ad vitæ introitum totum prodigiosum est, & sperari ad explicandum à Philosophia nihil potest. Naturæ monstra appello, quæ ex naturæ principijs orta sunt, si in agendo error intervenit, & sibi relictæ nõ sit, degeneratioq́; sequitur. De quibus post. Artis sua monstra sunt, sed duplicia, alia quidem ex erratis orta, ut cum violatur proportio in partibus necessaria ob artis ignorationem, aut voluntariè:

Naturæ monstra.

Artificiosa monstra.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Propius artis sunt ubi humana machinatione adulterium naturæ & quasi furtum admittitur, cujus autor fingitur Medus quispiam asinus, qui cum equam fortè vi gravidasset, homines postea AEliano teste hujus imitatores facti in consuetudinem procreandi adduxerunt. Sed excogitavit primos mulos Ana in sacra Historia, quanquam & illud aliter interpretati sunt Iudæi, ut infra docebimus. Nec Palladius tantum & Columella

Prima monstrorum origo.

Columella, quomodo muli (quos monstris annumeravit Philosophus) creandi optimi, robusti, veloces, nobis tradiderunt: sed & qua ratione Gallinæ bicipites, & variarum figurarum aves confusis aut separatis partibus fiant, laboriosè docuerunt, quæ res facit, ut in cogendis, jungendisq; animantibus variis artem aliquid posse, cum naturæ adjumentis minimè dubitandum sit. Certe Macrocephali initio non nascebantur, sed fiebant, ut est apud Hippocratem: Auxerunt artis monstra ij, qui Anaxilai & Alberti inventa magnificientes præcepta scribunt, quomodo abesse fœtibus humana membra, aut mutari in speciem aliorum brutorum possint adhibitis tum metallorum pulveribus, tum animalium, vel vivorum vel mortuorum excrementis. Tege, inquiunt, operculo ovum humano semine asterso, & erit semiferum animal humanum partim, partim gallinæ. Vtilis & salutaris profectò ars digna hac speciosa vanitas, cui pro præmio stercora, quibus ad has occupationes utuntur, copiosè docentur. Quod si discendi studium prætendunt, nihilnè est in tam vasto rerum ambitu, quod exercere ingenia possit, ut ad hæc magica decurrendum sit, qualia esse ostendit. Primum quod quibus hi utuntur ad alienas species gignendas deturbandas facies rerum; iisdem & lamiæ frequenter ad nefaria sua plerumq; utantur. Deinde quia rationem illi interrogati reddere nequeunt; an vi earum rerum, Ratio generandi monstra.

quæ

quas usurpant, naturali efficiantur. Quod si enim ita est, cur non cuivis eadem tractanti obsequantur, ut ex eo suspicari licet occultam vim conspirantium dæmonum ab his effectionibus non abesse. Sed hoc tertium est, in quod quatuor alia genera etiam transtulerunt. Primum. Quæ secundum artem, ut quadrigæ solis sub ala muscæ. 2. A materiæ dignitate, ut mausoleum. 3. Mole, ut turris Babylonica. 4. Specie & figura, ut Hippocentaurus. In arte autem Aristoteles ἁμάρτημα *agnovit, monstra non appellavit. Itaq; hæc non proprie, & nisi per transsumtionem monstra sunt.*

Artificiorum 4. genera.

Quartus *ordo fabulosa continet, & poëtis debemus, ut commentitia in universum, sive subsit doctrinæ quiddam, ut in Geryone, sive nihil, ut in multis, quorum historias ex metamorphoseon libris, & Virgilio VI. Aeneid. & poetis cæteris peti possunt. Assumpserunt autem nonnulla ex his etiam historici tùm Græci tùm latini aliquando, quibus minus fortassis, quam illis ignosci debet: Nam cum in gravibus studijs & legendis serijs defatigatus animus ad laxamentum aliquod declinet, oblectare nos poëtæ antiqui fabulis suis voluerunt, de immensis beluarum corporibus, unoculis, multorum capitum hominibus. Sed rudi populo si quædam hæc proponebantur, fidem invenerunt: Historici ysdem condire historias suas voluerunt, (quanquam & vera monstra) sed cre-*

Fabulosa monstra.

ditur fuisse illa in terriculamentis habita quasi minorum gentium & fomenta religionis, cui ut conservandæ prodessent multa eiusmodi si non fierēt excogitata sunt quasi ficta esse, eorumq́ interpretatio ad augures attinebat. Quanquam si publicè rebus interesset portenta credere, mirari aliquis possit; cur non modò qui de Republ. scripserunt, sed qui in ea administranda multum studiosèq; versati sunt, inter quos Ciceronem possumus numerare, illi tamen plerorumq́ futilitatem animadvertentes totum illud genus apertissimè irriserunt, quod vel è secundo de divinatione intelligi potest. Nam si stabilimenta essent regnorum, vanitates confictorum monstrorum, tacere sapientes istos æquius fuerat ad communem salutem. Ex his quatuor monstrorum generibus de solu naturæ monstru dicendum nobis proponimus. Divina enim scire utile est, sed explicari nō possunt. Artificiosa partim à natura sunt, partim nō propriè τέρατα. *Falsa attingere supervacuum.*

Cur historici & quo fine de monstris.



Monstrum igitur naturæ, aut circa corporum substantiam est, aut accidentia illius, cum aut animal nascitur deforme in partibus, aut in eo fit tantum aliquid prodigiose, illæsis partibus: quod accidit quidem aut in nascendi modo, aut proprietate aliqua singulari in primo statim ortu contracta. Communi autem vocabulo omnia sic appellari solent. Primi ge[illegible], monoculi, bici-

Monstrum naturæ duplex: Quædam fiunt prodigiose, quædam nascuntur.

bicipites, trimani, gibbi, valgi, qui sui sola ostentatione imperfectionis testimonium dicunt. Alterius, cum quid fit monstrosè, ut videre fœtum in partu, loqui, editum ilicò incedere, aut similia facere, quæ non solent in cæteris evenire, sive anticipent tantum, sive in universum iis nusquam competit. Loqui naturale est homini, quod primam eius facultatem in organorum constitutione habet, sed certi temporis ea actio est, quod si eo momento, quo editur in lucem, loquatur, & si peregrino idiomate, magis si de rebus mirificis id in monstris habetur. Non enim minus admirationis quàm cætera, habent: & quia peculiaris in his ratio est, quidam breviter difficultatem explicantes ad divina recurrunt, quod securissimum est in occultis & abditis rebus perfugium. Quanquam si in biennium gestatus sit infans, incipiatq; loqui cum editur, quæsi poterat, cum loquantur secundo pleriq; an id valdè mirum sit habendum. Illud tamen rarum, quod natus infans, non ut cæteri solent lacrymari, sed grunnire expressissimè ut sues cœpit omnibus stupentibus: etsi βάσκα-νος initio in causa esse putaretur, sed matris culpa id accidere compertum, quæ cum gravida esset, subitò aliquando à grunnitu tali territa dicebatur. Potest autem multum terror improvisus, multaq; imprimuntur, quæ in imaginatione matrum resederint. Quin & flens in utero puer natus est teste Fabritio, qui & versibus suis illustravit,

Fœtus editur loquens.

Infans grunniens.

Infans in utero flens

vit, & baptismo ipse astitit, Nostris etiam his paucis annis clarissimè vociferari auditus est à-ltus in hac ipsa urbe, homo in omni vita sua miserrimus postea factus. In Alpibus Noricis vagitus cujusdam diebus 14. ante partum exauditus est, infantis etiam vere monstrosi, quod cornutus esset.

Sunt & ἰδιοσυγκρισίαι & privati in rebus affectus, qui non modo, quia rari & insoliti, sed admirabiles eos in quibus sunt monstra appellarunt, quod caseum alij aversantur; alij carnes, alij vinum, nonnulli à medicamentis abhorrent, à Rhabarbaro, Cassia. Felium aspectum & odorem multi non ferunt. Novimus qui anguillarum non modò odorem, aspectum, esum non pati posset, sed ne esset quidem in ædibus absq; insigni anxietate, ubi occultabatur virus. A crescentibus abhorruit Scaliger. Canem habuit Pontanus, qui à carnibus Gallinarum tantoperè abhorruit, ut ijs oblatis fugerit. Demophoon in sole friguit, in umbra caluit, Quidam ad Phormyngis cytharaq; pulsatæ sonum mejere effluente urina nolenti etiam inter assidentium convivarum pedes coactus est. Quale est apud Hipp. in V. popul. Nam Nicanoris affectio erat, cum ad convivium progrederetur timor tibicinæ, cum sub initium vocis tibiæ in convivio tibia canere audivisset præ timoribus turbationes secutæ: Democles etiam accedere ad prærupium locum non poterat, neq; stans

Proprij quidam affectus.

Nicanor.

Damocles.

trans pontem, neq; minimi scrobis altitudinem transgredi poterat, sed per ipsum scrobem. Huic non absimile in clarissimi medici nostratis Laurentij Scholtzij cane non semel admirati sumus, misere gemente & cum ululatu, quasi qui cruciatus sentiunt & vapulant graviter, si quando in testudine nervi fidesq; intenduntur tantum ad concentum: At idem cum numerosè sonant, non tacet tātum, sed gestit etiam, quod eidem ad campanarum pulsus vehementiores accidit. Sanguinis aspectu in syncopam quidam incidere: Fuit qui solo aspectu medicamenti purgantis, quoties opus erat, etsi ne odorem quidem accepisset, sufficienter expurgabatur. Flent aliqui cum volunt, alij sudant, aliqui cum varia deglutiverunt, tanquam è crumena statim egerunt, nonulli equorum, ovium, suum, canum, & quascunq; alias voces imitantur, ut discerni nequeant. Fiunt hæc in paucis & admirabiles tamen affectus sunt. Omnium inter hæc admirabilissimum [illegible] de vitrivoracibus refertur, deq; eo inprimis, quem vidit Columbus, & cadaver Patavij, dissecuit, ut ex structura causam erueret. Hic igitur vitrū, saxa, lapides viva animalia, carbones, pisces vix extractos ex aquis, lutū, stipulam, & quicquid omnia animantis vorant, aut etiam quod non possunt, si offerretur, deglutivit, sine offensione, tāto copiosius etiam si merces esset proposita. Multa sunt omninò huic similia, sed an monstra appellari conveniat, non satis est manifestum.

Varia individuorū propria.

Vitrivorax.

Non

Non possunt quidem si illæsis partibus à sanguine tantum differentiæ, et certa temperamenti συμμετρία, mistionisq; modo oriuntur, quæ sicut varia esse possunt: Ita & affectus, ut ex alijs voluptatem capiamus, alijs offendamur, interdum omninò etiam insit, quod prorsus peculiare est. Non idem in omnibus sanguis, non crasis, sed ne in duobus quidem. Pro temperamenti autem sanguinisq; modo & qualitate, spiritus etiam tales inde procreati sequuntur, qui sive instrumenta sunt, sive vehicula facultatum animæ, infinitam morum, ingeniorum, appetitionum, aversationumq; varietatem exhibent animantibus. Ab hoc igitur sanguine, qui mutationes ita dissimiles individuũ suscipiat à prima statim naturaliq; formatione hæc plerumq; manare credibile est. Nã & si quãdo discrasia insignis orta in corporibus est ex morbo non minus diversis gaudent ægri, vel aversantur, ut in ijs, quæ pica laborant, quam quibusdam hoc à natura ipsa accidit. Sed sive natura hoc fiat, sive ex morbo, salva est reliqui corporis cum figura, numero, quantitate, & positu cæterumq; speciei convenientibus constitutione. At monstra sunt propriè, in quibus ab hac integritate disceditur. τὸ γὰρ ἐκλεῖπον ἢ πλεονάζον, τι τερατῶδες. *Vt igitur prodigiosa sint, si cui ita videatur, nolim tamen monstra simpliciter, & ad sensum philosophi, dicere, quorum characteres non habent.*

Vnde idio syncrasiæ

An ex eo monstra dicẽda, qui aliquid peculiare sunt.

De cœteris minus pugnarim, ubi vitium ex colligatione partium non naturali ortum est, quamvis initiò non apparet (quod tamen & ipsum Aristoteles videtur requirere) ut in natura mutis, angiglossis, mogilalis, traulu. Nam hic conformationis vitium est manifestum, à nervis partibusq́ cœteris, vinculis etiam brevioribus, longioribus, intemperatis, astrictis, aut aliter non benè ad necessitatem usus perfectis. Quæ vitia ut initio minus videntur, ita nec monstra dicuntur: sed apparent postea, à quo non malè monstrosi nomen merentur. Vtrivoracis autem affectus causam retulit Columbus, ad absentiam nervorum quartæ conjugationis, qui in cæteris ad linguam palatumq́ pertingentes gustandi facultati serviunt, unde nullo gustu præditum fuisse, non mirum est. Sed cur cætera membra his tam fœdis & à natura commum hominum prorsus alienis rebus offensa non fuerint, à nervo solo esse non potuit, sed à peculiari corporis totius œconomia & temperamento, spirituumq́ propensione à cœteris naturis dissimili.

Vere monstrorum divisio.

Hæc igitur monstrosè fiunt in corporibus: Sed corporum monstrosorum alia speciem mutant, alia non mutant. Quæ non mutant, ea vel in intemperie insigni, vel conformatione degenerant vel soluta unitate. In conformatione quadruplic iter: Figura, numero, magnitudine & situ. Atq; hæc quidem primæ à forma sunt differen-

tiæ, de quibus singulis peculiariter agendum. In specie mostra dicuntur, quæ μορφὴν & partium speciei convenientem constitutionem ex toto non habent, & repræsentant alienum quid, eaq; verè monstra dicuntur. Ex his alia toto genere dissimilia sunt, ut cum ex animali non animal nascitur, sed ut factum esse legimus, globus membranaceus aquosis bullis instar ovorum piscium refertus, quod recuavit Valeriola. Alia diversam speciem planè repæsentant, ut mula leporem pariens, aut glis ex homine editus. Hi enim partus sunt in alterius animalis naturam desormati. Alia mista ex membris diversorum animalium, qualia apud Aristotelem agnus bovis capite, & vitulus capite pueri, puer capite ranæ, & quod uno ejecit partu mulier caput humanum, serpentem bipedem, cui lucij caput, corpus ranæ, pedes lacertæ. Lucretio sunt duplicis naturæ ex alienigenis membris, potest & ἑτερομορφία esse & ex Hippocrate ἀλλόμορφα σώματα opposita solitis, quæ rerum naturis non competerent, sed alienæ formæ essent. Non enim carent omni forma & εἶδος habent quidem, sed debitam non habent, unde & poëta dixit: Monstrum, horrendũ, informe, ingens, cui lumen ademtum est. Aristoteles peregrinum quiddam vocabat. Iurisconsulti, quæ contra formam humani generis converso more procrearentur. Mulos Varro bigeneres, & insiti-

Monstra in specie.

Vnde in specie monstra. *stitios, non suopte genere ex radicibus, de quibus est & in 6. Histor. ani. c. 23. & alibi. Coeunt enim animalia, quorum genus diversum est; sed natura, ut vult Philosophus, non multum distans; maximè si par magnitudo sit, & tempora graviditatis æquent, fitq; in multis etiam alys ubi nihil monstrosum foris prater mistiones naturarum, ut cum canes, lupi, vulpes commiscentur. Canes enim bigeneres & mixti, & qui ex cane quidem utroq; parente, sed diversi generis, ut Laconico & Molosso celer nascitur & validus, quorum alterum a Laconici natura habet, robur à Molosso, ab his alij è diversis speciebus orti, cane & fera, sicut ex lupo & leone. Excogitata ea commistio multis de causis, primum quidem, ut vitiosas quasdam naturas in sobole abolerent. Deinde, ut conciliarent virtutes quasdam & haberes novos aliquando ut majores validioresq;, canes verbi gratia ad persequendas feras. Sunt mixturarum talium Exempla in autoribus multa.*

Causam commistionis diversorum specierum animalium.

Et patre Dictæo sed matre Laconide nati. Labros & Aglaides. Ovidius de Actæonis canibus. Semiferi verò illi erant, qui ex tigribus & vulpibus ac lupis, leonibus aut leopardis. Canes certe cum lupis coire certum est ex Aristotele, quod ex his nascitur, Mastinus est Alberto.

Sunt

Sunt qui hanc in commiscendis bestijs venatorum curam vehementer improbent, quod non modo æquè superflua sit, ac conditura ciborum. Sed quod Dei ordinem in propagandis similibus ex certa specie violare videntur, quasi natura animalis ad id ex se & suo proprio communiq; ortu satis non sit ad id obeundum, cujus gratia factum est. Horum autem etsi natura anceps est, sicut in mulo, monstraq; nominat Philosophus, ea tamen magis aliena à specie dicimus, si quæ ita nascuntur, ut aut ex toto, aut ex parte diversi seminij naturam referant, ut quod Romæ factum scribunt consulibus L. Scipione & C. Narbone ante Syllanam lanienam, cum ex fœmina non homo, sed serpens editur, & ex Alcippe, ut est in veteribus historijs, Elephantus. Sub Xerxe vulpes vel lepus ex equa, si modo vera sunt, quæ leguntur. Veriora tamen nostra. Nicolaus Leonicenus referente Montano vidisse se quendam asseruit, qui naufragio in insulam quandam cum devenisset ubi magna simiarum copia, unam, cujus amore captus esset, impragnaverit. Editam autem filiam aut filium, qui neq; homines essent, neq; simiæ, sed mixta animantia, & è diversarum specierum partibus confusa. Sed negavit unum in alio animal nasci Aristoteles, & formas misceri non admittunt Philosophi, cum substantiæ nihil sit contrarium, plus minusve non recipiant.

Mos committendi diversa improbatus.

Exempla monstrorũ in specie mutata.

Historia memorabilis.

Lucretius etiam in V. se opposuit. Qualia igitur sint hæc, & poßintne misceri animantium species, ut & ex toto speciem mutent, aut aliquid nascatur ex diversis animalibus congruentibus membris, quale est in poëta:

Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus.

Et:

Prima hominis facies, & pulcro corpore virgo
Pubetenus, postrema immani corpore pistrix
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Paulo post peculiariter in causarum argumento accuratius trademus.

Monstra in intemperie.

Cætera triplicia sunt: alia in temperie, alia conformatione, alia soluta unitate. In intemperie, si quæ ita nascuntur, vt in qualitatibus insigniter à natura recesserint: qualis infans diu gestatus in utero totus lapideus visus est, de quo infra. Conformatione monstra sunt specie quidem gignentibus non dißimilia, sed partium constitutione à congruente diversa. Vt si homo quidem sed bicorpor, aut biceps, pedibus pluribus, ut lineamenta tamen hominis efficiantur. Ea vitia quadruplicia sunt, formæ seu figuræ, magnitudinis, numeri & situs. Horum quippiam mutatur, aut intus aut foris, & in partibus aliquando omnibus, aliquando pluribus, nonnunquam una tantum ut in capite, manibus, dorso, oculis, cæterisq; similiter: sed omnia aut plurima depravari peßimum est, unde valdè monstrosum, si quid tale nasci-

In conformatione quadruplicia.

nascitur, sicut vitulus, de quo est in annalibus Poloniæ, Cracoviæ aliquando editus, qui biceps fuit, sed alterum in cauda. Cauda in medio dorso, in dextra parte pedes septem: In sinistra nullus. Corpus reliquum quasi ex geminis concretum. De figura primum, iusta & naturalis, quæ ad obeundas functiones concinna idoneaq; sit figura in meatibus, cavitatibus, levitate, duritie, asperitate consistit, quæ cum insigniter mutantur in monstrum fit degeneratio: sive in uno fiat membro vel pluribus aut toto etiam. In toto ut Thersites, In parte, ut gibbi, repandi. Capite monstrosi sunt, si vitiata figura eius sit, eminentijs aut perditis, aut suo loco non positis, anteriore vel posteriore. Eas post Galenum diligenter est persecutus Vesalius, ex quibus illam, qua utraq; eminentia ad latus spectat, dicit Galenus cogitari posse, & animo concipi, in natura autem & corporibus animantium non posse. Contra quam sententiam idem Vasalius sui temporis historiam recitat. Nam se Venetijs vidisse puerum scribit ea ipsa capitis figura, in qua latera ad utramq; aurem insignius quam in anteriore & posteriore prominuerint. Admodum autem amentem fuisse hominem. Idem autor Bononiæ medicum vidit, cui caput quadratum, sed latius paulò quam longum fuerit. Narrat & Genuæ puellum natum annos fermè tres à mendica ostiatim circumlatum esse, & paulò post in nobilissima Belgarum Brabantia ab histrio-

Monstrum Polonicũ.

I. Monstra in figura.

Capite monstrositas.

nibus propositum, cujus caput in utrumq; latus protuberans duobus virorum capitibus grandius extiterit. Huc referri possunt, & qui hirsuti eduntur toti; & qui plumati sunt Indiæ populi apud Plinium & Gellium lib. 9. cap. 4. Illi deinde quibus meatus necessarij non patent, quales sunt 4. de gen. anim. 4. πεπηρωμένοι orbati, quibus anus clausa. Nam hos ad monstrificos partus ibi retulit, cum Perinthi vacca, cui anus coaluerat, excrementumq; cibi extenuatum per vesicam transmittebatur, nec resecando vitium evinci posset: Atq; in hu figura peccat.

πεπηρωμένοι.

2. Magnitudine monstrosa.

Alterum est cum magnitudo monstrosa est. Ea duplex, vel aucta supra modum, vel nimis imminuta, idq; rursus vel in toto aut certis partibus, sæpe etiam sola, sæpe alijs juncta incommodis. Supra naturalem magnitudinem non solere corpora frequenter excrescere, sæpius verò minuta, & breviora, dixit Galenus. Sed utriusq; Exempla sunt & in 1. de differ. Morb. cap 9. Nicomacho Smyrnæo corpus ad tantam molem excrevit, ut loco moveri non posset, eumq; ab Æsculapio curatum. Vidit & linguam cujusdam supra modum, verum absq; doloris sensu, excrevisse.

Lingua monstrosa

Augustæ Vindelicorum à Vesalio, observatum in puella biennis caput, mensibus plus minus septem ita increvisse, ut nullum unquam caput viderit, quod non mole huic cederet, eumq; affe-

ctum

dum hydrocephalum vocant ob aquam, quæ ibi colligatur. Et certe magnam fuisse amplitudinem oportet, quod novem fere aquæ libras aut tres vini angustanas mensuras continuerit: Tota ea historia prolixè in eo autore descripta est. Hujus loci est portentosa magnitudo in nonnullis, communem excedens mensuram, qualis Titius in novem jugeribus teste Homero jacens. Habet multa etiam vera historia, ut infra. Parvitate corporis monstrosi Pygmæi, quorum tota cohors pede non est altior uno. Ita deesse & superesse aliquid monstrosum est in magnitudine. Hydrocephalus. Titius. Pygmæi.

Tertium est in numero vitium, cum partes in animali vel desunt quædam, vel abundant, sive plures sive una, & foris quidem interdum, interdum intus. Verum abundant aliquando partes, quæ secundum naturam inesse debent, ut caput, oculi, lingua, brachia, unde bicipites & sedigiti, & qui quatuor pluraq; brachia aut pedes habent. Nam digitus naturalis pars est, sed quia sextus, ideò monstrosus, quoniam nimius. Scribit Fernelius fuisse hoc cuidam familia proprium, ut omnibus in ea masculis tertius inesset testiculus, quod monstrum tamen quilibet non diceret, sicut quod Vesalius observavit in adolescente, cui duo in pene meatus. 3. Monstra in numero abundantia partium. Tertius in corpore testiculus.

Pli-

Plinius scribit & Theophrastus & Gellius in Paphlagonia bicordes perdices repertas: duplicem habens lienem, visum est Aristoteli, sicut & liene carens, & altero vacans rene. Iecore carens toto nullum notatum eidem, sed quod non totum haberet. Abundant alia, quæ toto genere præter naturam sunt, ut strumæ & tumores insignes, & si quid adnascitur, quod abesse debuit. Hydra illa Lernæa multorum capitum fuit inter labores Herculis, qui id clava, sagittis, igne interemit, numerosum malum. Sed illam vixisse æquè creditur, ac Plutonem inferno dominari, ex dentibus homines enatos vulneratos in prælijs Deos. Quanquam pictura extet bestiæ huic non absimilis, sed rei certæ non fabulæ. Quæ verò partes desunt, eæ vel ex toto, ut truncus sine capite, vel ex parte, ut semipes aut manus non perfecta digitis. Quibus verò necessaria desunt, στερητικὸς Græci vocarunt, & fit in στερήσει, quod in Ellipsi Grammaticorum, sicut abundantia Pleonasmus quidam est vel μακρολογία vel πολυλογία, cum quibus hæc naturæ errata conventientia habent.

Defectus partium.

4. Monstra in situ.

Quarta differentia in positu & collatione partium est, si quando facies in tergo est, & manus adnatæ scapulis. Aristoteles tradidit quendam in sinistra iecur, in dextra splenem habuisse. Hæc sunt in conformatione nostra, cum vitia in-

ſtrumentorum commoditatem deſtruunt. Horum quædam elegantiſs.mè deſcripſit Lucretius libr. V de natura.

Multaq; tum tellus etiam portenta creare Lucretij verſus de monſtris.
Conata eſt, mira facie, membrisq; coortu
Androgynum inter utra neutrumq; & utrumq; remotum;
Orba pedum, partim manuum viduata viciſsim;
Multa ſine ore, etiam ſine vultu cæca reperta,
Vinctaq; membrorum per totum corpus adhæſu.
Nec facere ut poßit quicquam, nec cedere quoq;
Nec vitare malum, nec ſumere quod volet uſus.

Eſt in tertio etiam genere morborum monſtrum, ubi continuitas ſolvitur. Natus enim infans aperto, hianteq; multum pectore ex ea ipſa parte, qua vulneratum maritum prægnans cum terrore & trepidatione ſumma ſubitò aſpexerat; quod in veriſsimis eſt hiſtorijs. Atq; hac prima monſtrorum ſit diviſio, à forma. Monſtrum in ſoluta unitate.

Altera ſequitur à cauſis: Ab efficientibus quidem oſtendimus eſſe vel divina, vel naturalia; vel artificioſa: etiam qualia ſint dictum eſt. Nos de medijs & quorum degeneratio naturæ principijs aſcribenda eſt. 2. Diviſio à cauſis efficientibus.

Sed cauſarum magna varietas digerenda eſt in ordines paulò poſt. Illa ſumma quidem Cum principia corrupta ſunt, & naturæ motus ſolvitur, & natura materiæ naturam formæ ſuperat. Errat igitur ὁ πλάσης cujus officium eſt formaré

mare materiam seminalem, sed aut imbecillior est, ut posit, aut avocatur impedimentis. Albertus Causæ monstrorũ quatuor. *generales quatuor causas recitavit: Aliquando causam esse in agentis qualitatibus activis, quæ formarum monstra sunt. Aliquando materiam esse superfluam, aliquando non sufficientem. Postremò continentis peccare malitiam; Continens verò vel proximum vel remotum. sed sunt multa alii, quæ intervenire possunt, ut est imaginatio cum terrore, aut motu aliquo, de quibus suo loco dicetur. A fine distinxit Isidorus. Quædam, inquit portentorum creationes in significationibus futuris constitutæ sunt, cum ventura Deus vult significare per aliqua noxia nascentium. Eaque etiam non diu vivere, sed continuò, ut nata fuerunt, occidere. Alia levem deformationem habere, & significare nihil, id discutietur postea. Atque hæc altera est.*

3. Divisio à subjectis. *Tertia à subjectis esto Monstra aut in plantis sunt, ut vitigenæ olivigenæ, hoc est, arbores ex una parte vitis, ex altera oliva. Aut in animalibus. Et in his quidem vel brutis, ut ovis vituli capite, aut homine, ut infans sex manibus. In homi-*Monstra gentium. *nibus, ait Augustinus, quemadmodum in singulis quibusdam gentibus quædam monstra sunt, ita in universo quoque genere hominum quædam sunt gentium monstra. De Macrocephalis supra ex Hippocrate: Gentium monstra alia habet Plinius lib. 7. c. 2. lib. 8. c. 54.*

Augu-

Augustinus de civit. Dei lib. 16. è quibus sunt Gigantes, Cynocephali, Sciopodes, Macrobij. Cynocephali autem sunt, qui caninis capitibus latratus edunt canum, bestijs similiores quam hominibus. Vives caniceptes vocavit. Solinus inter simiarum genera retulit, nunquam autem mansuescere, ut non sint magis rabidi. Diodorus in feris animalibus habet. Sunt Indiæ populi quidam unam in fronte media oculum gerentes. A victu ἀγριοφαγίται dicti, quod solis ferarum carnibus vescantur, sed ad monstri rationem non satis est. In Lybia trunci sunt sine capite, os & oculi in pectore. Alij sine cervicibus, oculis vero in humeris positis. In ultimo orientis monstrosæ gentium facies & multiplices. Aliæ sine naribus, ait Isidorus, æquali totius corporis planicie informes habentes fœtus. Aliæ labro subteriore adeò prominenti, ut in solis ardoribus totam ex eo faciem dormientes contegant: Alijs concreta ora modico relicto foramine, calamisq; immissu potum haurientes. Nonnulli sine linguis nutu seu motu pro sermone utentes. Artabatitæ in Aethiopia proni ambulant, ut pecora. Sciopedes quasi umbripedes singulis tantum cruribus, celeritate verò admirabili. Sic dicti, quod sub æstum in terra resupini jacentes pedu magnitudine adumbrentur. Antipodes in Lybia esse scribuntur, plantas habentes inversas post crura, & octenos digitos in plantis.

Cynocephalus.

Sciopedes.

Antipodes.

Sunt

Sunt & multa alia, quæ vulgo in monstris habentur, sed quædam ex fabulis orta & ficta potius quà vera, etsi certam ad certas res interpretationem habent, ut de Geryone, quem senis manibus, & ternis capitibus hominem scriptores faciunt. Tres autem significari amicos ita copulatos, ut communiter omnia gererent, sicut fieri solet in his, qui amicitia sunt conjuncti. Sunt autem gentibus familiares quædam deformitates, quemadmodum Charinthys, & alpium incolis congenitæ strumæ, steatomata, Brencocele, Danis stomacacia.

4. Monstra ex accidentibus. *Quarto & accidentibus monstra differunt. Tempore, ut quæ ultra certum terminum naturæ consuetum in gravitate in alio detinentur. Iam enim post alterum annum quidam editi sunt, & sceleton mortui infantis mater annos tredecim gestavit, ut ad tactum situs ossium deprehenderetur, ut est in Epistola ad Cornacem Medicum. Monstrosum habuit Sananarola, puellam à se visam grauidam, 9. ætatis anno, qualem & Ioh. Capella medicus Francisci regis doctiss. vidit.*

Alia locus mira facit. Longius abortum anno decimo per anum excretum recitat. Et cum ex lateribus aut ventre eximuntur fœtus, de quo est in Benevenio. Hoc etiam monstrosè, si verum est, equos à vento concipere, sed parere non vitales, & biennium non excedere, neq; generare posse. Plinius hæc tradidit, ut alia multa hujusmodi. Columella

lumella autem c. 26. l. 6. Varro l. 2. cap. 1. Videntur in his esse, qui cani nascuntur, barbati, dentati, & dentium ordinibus, aut osse continuo uno. Iuvenalis Satyra 13. habet pro monstro pisces, sub aratro repertos. Sed sunt etiam pisces fossiles non monstrosi, si unde eo deveniant, exponi potest. Potest autem: sic ranæ diopetes Plinio l. 32. c. 6. & 10. Si ea lectio retinenda est non dryophyles. Creditũ est cũ pluvia ranas decidere, etiam interdũ sine aqua: quanquam negant aliqui decidere, sed apparere, si aqua eorũ cava abluerit, ut quæ latuerunt, partibus absterfis cernantur. Sed obstat his, quod doctissimus Scaliger de pluvia ranarum commemoravit: Est inquit Mirambellum oppidum Santonicæ præturæ, in eius agro tantum pluit ranarum, ut cumulatim tota via tegerentur, oppidani neq; domo efferre pedem, neq; ubi vestigium ponerent, haberent. Quod si totius penè aquitaniæ ranina ova convecta essent, vix ille numerus expleri potuerit. Tale propemodum nostris temporibus in cicadis ita effusis accidit, quod est in historijs plenè expositum. Victu monstra sunt Anthropophagi. Non placet inter hæc collocare nativitatem insolitam salvatoris nostri ex virgine. Profanum enim videtur, quæ arcano numine, & miraculosè fiunt ea monstrosa (quod semper fœdum est, & cum errore) appellare velle. Non libet secare minutius, & præter necessitatem entia multiplicare: De singulis au-

Pisces fossiles.

Rana pluviarum.

tem paulo post rursus evidentior doctrina subsequetur.

CAPVT IX.

Quod est de causis monstrorum. Ostenditur quatuor universales rerum causis considerandas esse, non aliquas tantum, ut prisci: Quæ monstrorum materia, forma: Finem in monstris nullum: Principium efficiens multiplex Deus, Spiritus, cœli influxus, natura, casus.

Omnia fiunt à causis.

DIfferentias quidem in universum quæ essent, percurrimus. Superest, ut de causis omnium agamus, methodo primum generali, mox etiam propria cuiq; monstro, quoniam etiam singula peculiarem observationem habent, omnia igitur fiunt à causis suis, etiam mala, in quibus quoniam discessio quædam à bono est, necessarium videtur etiam esse, quod illa de naturali statu dimoverit. Homo etiam ex suis principijs naturalibus saltem quoad corporis substantiam, quoniam creatus ne animus immittatur, an educatur is etiam è materiæ potentia, ambigitur, & huc quidem parum refert. Is igitur sive perfectus, sive imperfectus editur, est, unde extiterit.

4. Causarum genera.

Et quia quatuor sunt causarum genera Philoso-

losophis, omnes in rebus corruptibilibus considerandas monuit Aristoteles 8. Metaphys. Verba autem ipsa illustria sunt. Cum quisq; quænam sit causa quærat, quoniam multipliciter ea dicuntur, omnes contingentes causas dicere oportet, utputa hominis, quæ causa, ut materia? nonne menstrua? Quæ verò ut movens? Utrum sperma? Quæ verò ut forma, quod quid erat esse? quæ autem ut hujus causa, finis? Fortaßis autem hæ ambæ eadem sunt. In naturalibus igitur & generabilibus substantijs necesse est ita procedere, si quis rectè procedet, ob id antiquos reprehendit in 1. de par. 1. quod contenti fuerint materia & efficiente solis, cæteras neglexerint. Nam Empedocles materiam posuit quatuor elementorum corpora, Efficientem verò litem & amicitiam. Anaxagoras materialem & dividentem. Formalem & finalem non animadverterunt usq; ad Socratis tempora.

Veteres aliquas causas male præterierunt.

Dicebant enim formam & finem insequi materiam ex neceßitate, facta, scilicet, sequestratione partium terrestrium in semine latentium. Cuem ex partis aquosæ neceßitate, quæ suis corpori innataret. Sed Aristoteles materiam ostendit propter famam esse. Posteriorem enim hac generatione, atq; ut lapides & lateres propter domus formam, sic similaria membra ob organicorum formam, hæc rursus propter ultimam hominis formam.

Non igitur sufficere id, unde motus principium, sed & cujus gratia res gignatur, rursus etiam quæ prima, quæ secunda haberi debeat, arbitramur enim, ut ex Philosopho dicit Averrhoes, nos carnem tum scire, eiusq; naturam intelligere, si ex quo sit orta, & quo pacto, & cujus gratia sit in animalibus, didicerimus, cujus rei similitudo in artibus est. Scire debet lignarius, ex qua materia lectos fieri conveniat, & quomodo, & cujus gratia. Similiter scientiæ naturalis professor id ignorat, cujus causas omnes non assecutus est. Cætera scire parum interest, ubi hoc abest. Apes aculeis infixis perire, norunt & vulgares, cur fiat, non norunt, sed illi tantum, qui aculeum sine intestini eruptione dimitti non posse didicerunt. Ex quibus patet causas notas esse oportere & omnes, & proximas, & quas quæq; habent. Nam aliâ alias. Igitur in monstris etiam ex quibus causis sint scire convenit primum communes, deinde particulares singulorum. Cœterum rem prius adumbremus. Subjectum materia est, in hoc differens, quod subjectum ratione accidentariæ formæ dicatur, vel motuum. Materia ratione formæ substantialis, sive ea præsens sit, sive adhuc absit. Animantium igitur corpora hic quidem subjectum monstrositatis eius. Expressius materiam vocabimus in generatione seminale principium ex utriusq; sexus in utero facta commistione: Maris tamen semen τὴν πρώτην ἔχει ἀρχὴν κινήσεως

Subjectum monstrorũ & materiarum.

ἄῤῥενος: fœminæ θήλεος. Ex utroq; constat κύημα, & est, ex quo fœtus nascitur, hic quidem integer, ille imperfectus. Hæc propria materia, sicut Phlegmatis dulcia aut pinguia, choleræ amara, aut quædam alia. Formam propriè id quod malum est habere non videtur, cum sit formæ privatio, aut depravatio potius. Habent tamen formas monstra sed alienas, & quas in differentijs ostendimus. Forma.

Ob eam causam ne finem quidem in ijsdem assignare possumus, quoniam cum omnes species in natura formas suas habeant, eas si in ortu non assequuntur, finem non attigisse dicuntur. Itaq; hic nullus est, sed interceptus ab impedimentis, quæ motum solverunt. In perfectis finis datur: at in ijs, quæ præter naturam sunt, quorumq; Essentia in imperfectione est finis quæri non debet. Sequitur enim perfectionem, in qua res veram Essentiam suam habet, vel ipsa potius perfectio finis est, & eadem cum forma, quem cum agens non attingit, non potest dici in re inesse, à qua abest: Et sic Aristoteles loquitur, cum naturam negat in monstris finem assequi, sed ab eo aberrare & digredi, unde monstra ab eodem παρεκβάσεις dicuntur. Non fiunt privationes à natura finis gratia, nec mali alicuis finis est, quia diminutio est privatio, ob id etiam, cum definiret hæc, finem non addidit. Quis errorũ finis est? ἁμαρτήματα Finis nullus in monstris.

 appella-

appellavit Philosophus, quoties ὁ πλάστης, aut cætera generationis principia conturbantur. Id cum non fit, perfectum animal molitur natura, cui nulla in parte neq; deest, neq; abundat, quoniam frustra nihil molitur, modò sibi agere permittatur. Aliò tendit, aut discedit potius ab instituto ob ea, quæ iniiciuntur impedimenta. Monstri causa monstrum non gignit, sed quod ex opposita perfectionis defectu oritur. Ea mens est Aristotelis 3. Physic. 7. Perfectum nihil est, quod finem non habeat. Finis autem terminus. τέλειον δ' οὐ μὴ ἔχον τέλος. τὸ δὲ τέλος, πέρας: ὅταν μὴ περαίνη ἐκεῖνο οὗ ἕνεκα ἦν, καὶ ἀποπέφυκε. *Finis igitur eius, cujus est finis, perfectio est, & forma cum fine in idem recidit: Neq; mortem* τέλος, *sed* ἔσχατον *appellavit idem. Profectò his de causis, sicut in morbis, ita in monstris malè finis quæritur (quatenus ad naturam respicimus) quoniam boni rationem semper habet. Quod si quidam finem in his quærunt, ut faciunt, qui excellentiss. Moreanum ob id iniquissimè flagellant tenuissimis argumentis, aut nullis potius, iidem etiam Solœcismis Grammaticorum, cujus gratia in arte fiant, quærendum sibi existiment. Finis igitur in hoc naturæ turbatæ opere nullus. Nam qui altius philosophantur, & decerni monstra volunt à Deo, non accidere, iis finis concedendus sine lite, sed ex longè aliis, quàm sunt hæc naturæ prin-*

Et in morbis & monstris propriè non finis est.

principia. Ac de tribus causis res se habet ad hunc modum. Restat quarta, principium videlicet id à quo res est τὸ ποιητικόν. Quis ergò monstra efficit? Non una sententia est, quoniam varia sunt, & alij aliud sequuntur: Efficiens omne aliud universale est, aliud particulare. Vniversale, quod movet, sed non movetur ab ijs, quæ moventur. Estq́ duplex: Vnum infinitum & summum, & primum, ut Deus, alterum finitum, ut intelligentia, & cœlum. Quanquam hoc movetur: sed non ab alijs sub se contentis. Remota hæc sunt & universalia, quia communia αἱ προτέρως αἰτίαι, quoniam plures effectus specie differentes possunt efficere agendo, in quæ influunt, & suo modo omnium rerum naturalium causa sunt: Particulares causæ & specialia agentia tria sunt. Aliud semper simile cum suo effectu, & est univocum agens, & vel eiusdem speciei, ut homo ab homine genitus, vel generis tantum, vel multus cum equo. Aliud semper dißimile à suo effectu, & æquivocum agens dicitur, ut quæ ex putri materia ortum habent. Aliud partim simile, partim dißimile, ut quæ à diversis causis, sicut ignem non modò ignis producit, sed & motus. Proximum semper in causis quærit Philosophus, & nimis remota prætererit. Igitur efficiens hominis homo est: Homo dico pater & mater, ipsaq́ natura deinde. Natura intelligenda est de principijs, quæ ab his fluunt, & annexorum legitima constitutione, ut seminis sit

Causa monstrorũ efficiens.

Efficientium varietas.

Agens univocum & æquivocum.

optima substantia, quantitas, qualitas, locus commodus & in cœteris non modò animalis semen, sed & hominis, ut simile ex eo, quale gignens est, possit produci, Ideoq; in 1. de part. an. 1. dixit Philosophus. Principium & efficiens rei, quæ gignitur semen est. Sunt hæc enim natura, & proinde ex hoc enascuntur. Et in 2. de gener. ani. 3. disertè facultas qualis esset in generatione exposuit. Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idq; non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum: Hoc igitur hominis generati principium est, imò animalis cujusq; perfecti. A generante semen proficiscitur: in semine spiritus est & natura, quæ animal format, perfectè quidem cum rectè se habet, malè cum motus eius solvitur: & sic ortus est humani generis, ortus etiam brutorum. Sed nulláne præter hanc causa alia? certè Aristoteli nulla, cui nunquam cœperunt esse homines, sed fuerunt semper. Hoc fidei repugnat Chtistianæ. Et videntur non posse in universum removeri multa alia, quæ in universalibus numeravimus. Ita multæ natæ sunt de monstris sententiæ. Quinq; autem potissimum advocantur. D E V S, spiritus, cœli influxus, natura, casus: D E V S quidem, quoniam omnium autor est, è cujus providentia rerum ad certum finem ordo

Hominis principium.

Causæ efficientes monstrorũ quinq;.

1. Deus.

ordo manat per media destinatus. Removerunt alij à monstris Deum, quod maiestati tantæ tàm fœda, & in quibus error, & imperfectio est, minimè conveniant. Nec si agit omnia, propterea non agit per alia, sicut ipsi placuit: Igitur addiderunt dæmones, quod hi hostes Dei & hominum, quicquid ad pravitatem possunt perducere, ab integritate removent, & conspurcant. Sed nec isti recipiuntur, quoniam spiritibus non quodlibet licet, ob superiorem potestatem, neq; in generationis opus jus ullum ijs est, alioquin nemo sine macula & labe prodiret, totaq; natura in contrariam conditionem ad autoris contumeliam verteretur. Igitur alijs placuit ad oculis manifestas causas decurrere, & cœlo hæc adscribere, cui id non modò propter summum ordinem, sed magnitudinem facultatemq; siderum competere videtur. Recipitur enim, nihil absq; cœli calore vivifico, eiusq; lumine & motu generari, ad variam autem caloris luciq; commistionem, occultumq; influxum specierum omnem varietatem provenire. Cœlum etsi à generationibus Philosophi non removent, proximius tamen agens requirunt, non quod ita commune sit, idq; naturam & vim in semine plasticam vocant, quæ quarta est sententia. A casu autem fieri quomodo accipi possit infra docebitur. Et quia singulæ habent sententiæ, quo refugiant, rationesq; & patronos reperiunt, operæ precium fuerit considerare singulas, & cur alij

2. Spiritus.

3. Cœlum.

4. Vis plastica feminis.

5. Casus.

aliò ortum hunc traxerint: Neq; mirum est, tantam, ut ea est, extitisse varietatem opinionum. Nam qui se totos uni disciplinæ dederunt, solent omnia ad eam referre, quam solam contemplantur, quibusq; nihil aliud occurrit, sicut qui per nives ingrediuntur, alba putant omnia. Quisq; ad canones suos res examinat, qui theologus est, is sicut omnia ad Deum refert, ita causas ab hoc uno deducit. Chaldæi ad cœlum, & siderum potestatem. Mathematici ad figuras, & numeros, medicus, Physicus, & Metaphysicus ad ea, quæ singulis propria. Quoniam autem verum est, in uno varia esse agentia, sed non uno modo & ratione, qui ex quinq; illis singula possint, videamus: Imitati in hoc Aristotelem, qui & vera & non recepta assumit. Deinde quod fateri convenit, ut est in 2. de part. c. 2. eos etiam qui contraria dicant, tamen aliquid dicere.

Fons dissidentiæ crepantur in causis.

CAPUT X.

Deum in monstrorum ortu non in universum removendum: & cur: Neq; omnia tamen eò referenda imprudenter: Neq, rebus naturæ vires inditæ adimendæ.

Deus cur non videatur causa monstrorũ

DEum ut à cæteris rerum vitiis, ita à monstris etiam removeri oportere, videtur ob id consentaneum, quoniam bono & perfectissimo non

non competit malum, & imperfectum producere. Vt enim à malo malum, ita à bono bonum tantum: Ex quo non unum, sed duo principia constituerant, quibq ita visum est. Nam si à nullo principio fieri, dici non posit: boni autem naturæ repugnet malum, aliud à bono dari necesse fuit: sed unum esse tantum in 8. Physic. demonstratum est, ab ipso visum fuit Philosophis manare bona quidem omnia per se, sed ex accidente mala; materiæ vitio in rebus naturalibus, qui unicus fons est anomaliæ multiplicis in iis, quæ habent materiam. In cæteris partim rationem, partim voluntatem accusandam. Hæc amplianda sunt ex Theologia. *Fuit tempus cum homines non essent, non igitur æterni, & fuit primus aliquis, sed à causa se superiore & priore.* Non fuisse homines ab æterno patet, cum æterna esse ea species nequeat, in qua singularia ipsa alia post alia intereunt. Parva est eius temporis mensura, quantacunq; est, in qua vivere hic licet, postea iacent, & sunt singulorum certi termini. Quod si ita est, quis æternos dicat? Ridicula etiam futura erat propagatio, quæ solis servit corruptibilibus. Igitur quia periit primus, & reliqui quotidiè, nullus æternus. Quod enim nunquam cepit, etiam non interit, quoniam hæc æterni natura est, cujus terminus nullus. Iuvat igitur scire, à quo principium suum & homo & animantia omnia ceperint: Etiam saniores id viderunt sine luce peculiari divina in

A Deo nil nisi bonum

Mala unde.

Species nō æterna cujus individua corruptibilia.

Propagatio tantum corruptibilium.

fide

fide nostra, qui ita colligere didicerunt: ubi plura sunt, ad unum tandem primum deveniatur necesse est. Vbi enim medium & infima, ibi & summum. Infimum nullius causa est, medium aliquorum: primum omnibus causa est. Vt ergo in materia, in fine, sic & in moventium genere ad primum deveniri necesse est. Omnis enim res, inquit, Thomas, in libro de natura & Essentia rerum, cujus esse à sua natura distincta est, oportet id quod est, ab alio habeat. Et quia omne, quod per aliud est, reducitur ad id, quod est per se, sicut ad primam causam, necesse est, ut sit res aliqua, quæ omnibus subsistendi causa sit, eo quod ipsum sit esse tantummodo. Alias in infinitum iretur in causis. Quod autem verè primum dicitur, eius vis se extendit ad omnia entia non modò incorruptibilia, sed ad corruptibilia etiam, neq; ad specierum tantum principia: sed ad individuorum, unde res quocunq; modo sint, à primo motore sunt in genere, in specie, in individuis. Hoc primum autem Deus est, quem cum illi definire volebant, non aliter poterant, quam ut causam primam omnium appellarent. Non malè quidem, sed Deus esset Deus, quamvis causa non esset: ac si condidisset nihil, esset tamen. Verum cum quid in se esset, non intelligerent, id expresserunt, quod est à respectu ad alia. De hoc plenissimè sic nostra religio. Omnia illum portare verbo potentiæ suæ. Hic universorum, quæ vsqtam sunt & fuerunt causa prima & summa

In causis deveniatur ad unum primum.

Quod sit verè primum.

An Deus bene per causam definiatur.

summa est sive Physico motu, sive alio. Hic autor & rector re non nomine, à quo ut infinitæ virtutis, sicut omnia orta sunt, ita ab eodem reguntur, conservantur. Ab eodem quippe est existentia & eius conservatio, quæ est existentiæ in rebus continuatio, ut sit porrò, quod cœpit esse. Nihil tam parvum aut magnum, pulcrum vel deforme, quod potentiæ eius subtrahatur, lex & regula omnibus est. Nihil adversus voluntatem hujus & providentiam, quam qui negat, ipsum negat: Hominis autem gubernatio tota divina, ab eo primus formatus homo est, hodiè etiam concipitur, formatur, vivit, in lucem prodit, agit, ægrotat, valet, moritur. Accipit hæc religiosus animus, ut verissima. Ergo in morbis etiam & corporum depravationibus D E I *voluntatem meditatur, à quo non minus, quæ mala nobis videntur & lædunt, quàm quæ juvant, eveniunt: sævit pestilentia, ingruit calamitas, agri sterilescunt, parentes, uxor, amici moriuntur, liberi aut non nascuntur, aut mutili & deformes, aut his etiam deteriora eveniunt, manus* Dei *moderatrix agnoscenda est. Nunc si quæras ex theologo: à qua causa monstra fiant: Deum nominabit, qui vel suæ gloriæ servire ea vult, vel hominum malitiam justè ulcisci. Sic cœcus ille natus, non quod parentes peccassent, sed ut restitutio integritatis gloriam divinam illustraret. Immitti autem divinitus morbos, cum irascitur, multa ostendunt: atq; ut sterilitas ablata in*

Ab eodem existentia & eius continuatio.



In morbis manus divina.

Deus in monstris.

ta in Sarah, & alijs divinum est, ita fœcunditas mutata, aut generationis integritas inhibita ab eodem est, sicut & res salutares & noxæ ab uno sunt, pisces & serpentes, remedia & venena, oves & lupi, fruges & tribuli. Patet ex his quomodo monstra à divina providentia, ut universalissima causa removeri minimè debeant, quod cum fit vel non omnipotens, vel otiosus aliqua in naturæ parte constituatur necesse est. Sed adest ille operi formationis nostræ, & manus eius membra distribuunt, vitam, vitæq; instrumenta pro arbitrio suo donat, adimit cum vult. Vt igitur peccato morbos debemus, ita monstra non ἁμαρτήματα tãtum, sed τῶν ἁμαρτημάτων pœnas esse, quas infligat inobedientibus statuendum, sicut hoc puniendi genus cæteris etiam disertè adjectum est in Mosaica politia. Nisi observaveris, inquit, omnia verba hujus legis, quæ scripta sunt in hoc libro, omninò mirabiles plagas immittet Iehova tibi & semini tuo, plagas magnas, & constantes, morbosq; malignos. Maledictus fructus ventris tui, fœtus boum tuorum. In libro autem Esdræ 4. ut vulgò inscribitur c. 5. prædictum hoc etiam disertius: Mulieres mensibus laborantes parient monstra. Ergo & monstra esse interdum D E V S *vult, & ut sint facit, duas ob causas. Primum quidem, ut nominis eius gloria illustretur. Deinde ut in puniendo justitiam suam patefaciat: Addi tertia potest, quod inso-*

Monstrositas in pœnis est.

lita

lita eiusmodi argumenta sunt, & potentiæ divinæ, & liberrimæ voluntatis eius ad naturæ leges non astrictæ ullo modo, quæ ne cœlo quidem aliquando pepercit. Hæc & mens Augustini, *qui cum ostendisset, non esse contra naturam, cum in re aliqua, cujus natura innotuit, aliquid ab eo, quod erat notũ, incidit diversum, hæc verba addidit*: DEVS *creator est omnium, qui ubi & quando creari id oporteat, vel oportuerit ipse novit, sciens universitatis pulcritudinem, quarum partium vel similitudine vel dissimilitudine contexat, sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat, & quò referatur, ignorat*: Hactenus *omnia sana hæc*: Hippocrates autem, *quanquam à Deo non putat corpora inquinari, sordidissima à purissimo, sed esse humanum quiddam in lib. de sacro morbo, si modo is liber genuinus, in libris tamen præsagiorum divinum quiddam agnoscit in morbis.* Augustini sententia. Hippocrates.

Galenus item 1. Epid. & *hic quidem arti ficium corporis quoties admiratur in libris de usu partium? Aristoteles in libro de mundo quàm religiosè de Deo & alibi.* Celsus *etiam, morbi qui abditas habent causas & pestilentes sunt, divinitq immittũtur. Hieronymus autẽ cũ tot locis videret prohibitã viris cũ menstruosis consuetudinem hæc addidit: viri abstinere tam ab uxoribus debent. Tum enim concipiuntur membris damnati, cæci, claudi,* Galenus. Celsus. Hieronymus.

claudi, leprosi, ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, eorum peccatum patenter & apertè cunctis redarguatur in parvulis: sed negant medici, tum concipi, quod semen in illo effluxu fiat dilutius & consistere nequeat, fiatq; imbecillius, nihil tamen impedit, sisti menstrua, retineri semen & concipi, quod cum impuritate excrementorum & fœdatur & agitatur, & hæc, quæ ille dicit, & alia posse fieri, nihil absurdi est: Ex his utile est vitæ rationes nostræ inire, inprimisq; dare operam; ne inobsequentia Deum irritantes his malis ullam à nobis causam præbeamus: Et nos nostrosq; etiam dum geruntur à matribus ipsius providentiæ piè commendemus.

1. Non omnia monstra tegenda Dei nomine.

Sed hic cautione opus est, & quidem duplici: Primum quidem, ne in eam dementiam incidamus, ut sub cœlesti hoc pallio omnia ea, quæ ex nefaria commistione orta sunt, & oriuntur aliquando monstra, & portentosæ bestiæ, excusando tegere audeamus, & in majestatem divinam impiè reijciamus, quod nostræ malitia est, & ferro ac igne puniendum:

2. Rebus creatis vis sua non tollenda.

Alterum est, ne rebus creatis cæteris vim suam propriam ad agendum ex naturis suis adimamus. Tribuit enim autor singulis in ortu tantum facultatis, quantum ad finem assequendum satis est: Omnia movet DEUS, *sed per ea, quæ ad motum omnibus tribuit, aliàs enim motus unus tantum esset voluntarius, & cæteræ formæ frustra*

stra essent, si non movent ipsæ etiam, & moventur tantum. In quam insaniam inciderunt illi, qui ita Deum primam causam faciunt, ut cæteris omnem prorsus agendi vim stultißimè ademerint. Hi lapidem negant à sua forma deorsum moveri sed à Deo: nec ignem urere, sed Deum in igne, non leonem rugire, sed Deum, & cætera, & hæc agere, nihil res creatas ex se. Quorum sententia valdè absurda est, & ratio, qua utuntur absurdior. Frustra, inquiunt, fit per plura, quod potest fieri per pauciora. At potest Deus à se omnia. Præterea qui agendi potentiam rebus istis tribuit, idem & creandi facultatem adscribet, sed male. Hoc enim Deo competit soli. Non igitur res aliæ, sed DEVS formas creat: Quid hoc aliud est, quam unam tantummodo causam in mundo, unumq; agens non multa constituere, ita nec ordo erit quispiam inter agentia, non erit prima causa aliqua, non secunda, Ergo unum tantum agens, cætera patientur omnia. Convellit etiam hanc evidenter autoritas sacra, cum describitur, quomodo primi agentis immensa vis res plurimas creando constituerit, sed efficaces naturas ad certum agendi munus, non ad otium. Cœlum ut luceret, ut calefaceret, esset in signa, dies & tempora, animantibus ut generando mundum implerent, seminibus suam vim indidit, ne qua species interiret. Est ergò vis cœli, elementorum, plantarum, animantium. Thomas Aquinas in libro con- Thomas de Aquine

L tra

tra gentes & prima parte quæst. 105. art. 5. contra hos disputavit pluribus, cum quærit, utrum Deus operetur in omni operante. Nam cum Gabriel, illam quam diximus sententiam tueretur: Thomas se opposuit validè, alicubi etiam homo modestissimus acerbius tamen insectatur. Ac primum quidem inquit, si ita est, ordo causæ & effe-
1. *ctus subtrahitur à rebus creatis, quod ad creatoris impotentiam spectaret. Ex virtute enim agentis est, effectui vim agendi communicare. Quod si nihil agunt, nihil acceperint necesse est facultatis. Quæ verò esset ea creatio? Deinde si nihil a-*
2. *gunt, ad quid condita sunt: omnia certè usus & actionis alicujus gratia, quandoquidem Deus & natura nihil frustra agunt: Si actio finis rerum est, agere verò non possunt, imperfectæ sunt. Quæ*
3. *enim perfectio eius, cujus nulla est actio? Tertiò Quæ ipse primus motor solus agit & movet, optimè peragit, quoniam nihil obstat, multa verò passim in natura præter ordinem & bonum, quantum est in ipsis singulis naturis, videntur accidere. Ea, quia Deo errata ascribi nequeunt, rebus*
4. *ipsis agentibus tribui convenit. Deniq; quid est omnem scientiam & cognitionem tollere, si hoc non est? Nam cum ea ex apparentibus rerum effectibus & actionibus singularum eliciatur, si causas proprias in se actionum non habent, quomodo earum addisci natura potest? Certè quæ nihil agunt, eorum Essentia, quæ & qualis sit, sciri*

non poteſt. Non ollam ſi pulſes, non avem, niſi cantet noveris: Agunt igitur cauſæ particulares per formam inſitam materiæ, & pro ſuæ naturæ conditione ſimile producunt, quæ res ita manifeſta eſt, ut Thomas non modò ſtultam, ſed erroneam etiam atq; impoſsibilem eſſe pronunciarit. Immediate multa fieri à Deo, in quibus nullius creaturæ miniſterio utatur, aut etiam contra eorum vim agat, negari non poteſt; ſed cum ordinario modo agit naturalium cauſarum miniſterio utitur, quas ob idipſum condidit. Agit ergo in natura Deus, & in rebus à ſe creatis, ſed agunt ipſæ etiam ſuo modo, quam primæ & ſecundarum cauſarum connexionem non tamen neceſſariam, ut ab ea diſcedere nequeat, multa teſtimonia ſacrarum literarum oſtendunt, quæ tum diſſolvitur, cum ei placet, qui eius autor eſt, & agere abſq; his poteſt, ob idq; ea opera miracula dicuntur, Et extra ordinaria. quæ nulla eſſent, ſi actio creaturarum nulla eſſet. Quid enim contra naturam fieret, ſi naturalia nihil agerent? Dicuntur autem ob id ἀντιφυσικὰ, quod rerum naturalium vires communes & inconſuetas excedunt, aut prorſus his contraria ſint. Producit Deus fœnum, producit cœlum, producit deniq; terra, ſed ſuo modo & ordine & hominem format DEVS, cœlum & vis illa in ſemine. In poſteriora iſta vi primæ cauſæ influit, quæ cum in ordine prima eſt, ab ea cæteræ ſeparari non poſſunt. Itaq; diſtincte de his

loquendum, neq; in hoc capite, quod tradit Aristoteles, à religione dissentit. Vnumquodq; docet à suo univoco & in specie simili ortum habere, canem à cane, lupum à lupo, & cœteras formas substantiales particularium naturarum similium, quoniam ut est in 2. de gen. anim. cap. 1. Vnumquodq; perpetuitatem desiderat à Deo assimilari, sed quoniam singula corruptibilia sunt, specierum propagatione permanent: Horum particularium effectiones solis virtus inprimis & cœli adjuvat. Inferior enim, mundus ut superiori contiguus est, ita ab eodem vim quandam influentem accipit: his duobus in metaphysicis etiam Deum adjunxit, à quo omnis natura dependeat: sed nihil implicat, ut isti existimant, creatas res agere, & Deum agere: Nam Deus causa omnium est tripliciter. Primùm quidem, quia vim agendi singulis & singulorum naturæ convenientem initiò attribuit, igni ut calefaciat, aquæ ut refrigeret.

Deus tripliciter rerum causa est.

1. tribuit, igni ut calefaciat, aquæ ut refrigeret.
2. Deinde, quia eiusdem facultatis, quam omnia ab
3. ipso habent, conservator est. Tertio finis ratione, quæ omnia in loco, quē annotavimus, prolixiq; persequemur. Ad ea verò, quæ in contrariū afferebāt,

Ad objecta responsio.

nō est difficile respondere: Nā quod dicebant frustra fieri per plura, quod per pauciora possit fieri,
1. id eatenus verum est, cum nihil interest, ad id quod agitur, per unum ne an id plura fiat? Placuit autem Deo bonitatis & sapientiæ suæ vestigia in eo patefacere, si id per sua opera efficeret, quod

absq; illis posset. Quoniam igitur hunc agendi ordinem probavit, non fuit satius per unum effici, quod aliter voluit.

Ad secundum expedita responsio est. Nam non creat secundum naturam agentia, quoniam ex aliquo formam educit; Creatio verò rei est ex nihilo productio. Quid verò Galenus in hominis formatione Deo tribuerit, ex eo loco cognosci potest, qui est in libro de fœtus formatione cap. 17. Quemadmodum, inquit, ego demonstravi structuram corporis nostri summam ostendere opificis sapientiam, sic opto ut ostendant mihi Philosophi formatorem. Nam DEUS est quispiam sapiens & potens, ut excogitant quidem prius, qualiter singulorum animalium corpus fabricari conveniat, deinde verò ipsius potentiam ostendant, juxta quam, ea quæ proposuit, fabricavit, aut anima quædam alia præter Dei. Neq; enim eius quæ natura appellatur, substantiam, sive incorporea ea est, sive corporea ad summam sapientiam venire dicunt. Quam sanè omninò habere negant: ut ita artificiosè fœtuum formationem effecisse credendum sit. Eatenus igitur in monstrorum causis Deus collocandus esse videtur, salvo utroq; cognitionis principio. 2.

CAPUT XI.

Dæmonum potentia in monstris an ulla sit: Eorum natura, differentia,

vires, officia, sententiæ diversæ, num lædere fœtus possint. Concluditur posse, & quomodo.

Dæmonum natura occulta. SVnt qui monstra Dæmonibus attribuunt, quorum naturam cum investigat hominis ingenium, non potest se ita ut satis est, cognitione explere, cum ita pauca de his constent, ut intellectus tantum non vacuus relinquatur, & quia fugiunt hæ naturæ obscuritate sua mentis captū, si quando error contigerit, venia danda est, cum

Quod sint & quales sint. impingitur. Esse patet non minus, quàm animos: Res autem verè subsistentes non animorum in nobis dispositiones, factos etiam non æternos. Multa verò quorum manifestiores causæ non conspiciuntur ad Dæmones ferè referri communiter solere, aliquando non malè, nonnunquam sine ratione ex multis evidens est. Inprimisq́; quod de sacro morbo tradidit Hippocrates, nos in hoc loco illud quærimus, num Dæmones fabri monstrorum sint. Hic etiam variè sese offerunt sententiæ, ut

Sententiæ tres diversæ. fit in alijs. Nam Paracelsus disertè hoc ijsdem ascribit. Alij ab his etiam gigni homines docuerunt. Negarunt alij in universum, & hoc illud. Inter priores nondum convenit, corporei ne sint, an incorporei. Et quia magnus eorum spirituum numerus, omniúmne hoc sit, an aliquorum tantùm.

Num corporei. Thomas de Aquino & cum hoc plurimi eos in corporeos censent, ab omni concretione materiæ separatos. Augustinus, Gregorius, Nazianzenus,

Basilius, Apuleius, Cornelius subtiliter corporatos statuunt ex purissimo Elemēto constantes, materiæ non prorsus expertes, quod præter Deum nihil incorporeum esse sibi persuaserint, & quia corporeis formis nonnunquam se ostenderint. Ex neutro tamen elici hoc videtur posse, quoniam & animas hoc modo corporeas facient, & malè ex imaginibus natura corporea concluditur, quandoquidem quod assumtum fuit, & quidem non verè, nec ad diuturnitatem, nihil ad probandum facit. Quod si ut cætera corpora formas in se haberent, easdem semper non alias aliam repræsentarent, nihil etiam impedit dicere esse aliquid incorporeum, quod infinitum non sit. Multitudinem spirituum etiam sacra historia confirmat, nomina autem, officia, dignitatumq́; differentias, perinde sicut stellarum soli Deo notas esse verisimile est, & certè de his non multa revelata sunt, quæ scire curiositas humana desiderat. Placuit tamen multis Hierarchias eorum instituere, & in choros ac tribus digerere, definire ex magicis Iudæorum tabellis officia singulorum, ut alij terrenis præsint, alij Deo adsint, alij cœlum & orbes moveant, unde & malos spiritus cœlo vim inferre nō posse, sicut cæteris, quod hi resistant eorum conatibus, Ita primum tres gradus eorum fuerint, divini, cœlestes, & Elementares. Hos posteriores in quatuor ordines distribuerunt. In igneos circa Lunæ orbem, aëreos, aqueos, terreos. Auxerunt hæc Psellus,

Contra corpoream eorum naturam.

Numerus & officia latent.

Spiritus triplices.

Iamblichus, Plotinus, Platonici. Commento autem simile videtur has eorum scenas introducere, cum nulla ratio vel autoritas id nos credere iubeat; Nam ut ordo aliquis sit, ita tamen exquisitè exprimere officia Idolatricum est, Deo adesse ex his aliquos verum est, eosdem non emitti, aut falsum, aut ambiguum est. Iam enim missi sunt ex assistentibus etiam. An cœlo præsint. *Cœlo deinde præesse ad motum orbium & imperandas generationes corruptionesq; in natura, ne quidem videtur necessarium. Quod si enim cœli natura, ut cæterarum rerum perfecta est, cur non in se motum habeat, & motus sui in se principium, ut externo motore non indigeat? Aristoteles hoc universe observavit, naturales in rebus formas neq; extra subiectum suum existere posse, neq; ante subiectum subsistere, at hic secus esset: Cur ita iners cœlum fingunt, ut quemadmodum currus quiescens, ab equis trahitur, aut navis à vento; Ita aliunde motum suum accipiat? Quin & hic motus localis naturæ est, non ad spirituales istas naturas & intelligentiarum officium attinens* Spirituum duo genera. *Duo autem omnino eorum genera sunt: Alterum bonorum, alterum malorum. Illi Dei & hominum ministri. Hi defectores, hostes, noxij, Erynnes. Etsi autem omnium rerum Deus causa est, & ubiq; est, & satis ad omnia est* Deus utitur ministerio spirituum. *sine adiutore, & ministerio nō eget, tamen ita visum est ei, vim suam quandam per illos alicubi non sine illis demittere, sicut per solem, lucem & calo-*

calorem, habentq; in homines dominium ex domini sui arbitrio utriq;. Nam & percutit exercitus, & primo genita per bonos, & Iobum examinat per defectores. His posterioribus Manichæi disertè etiam monstrorum ortum attribuebant. Eos secutus est in sua Philosophia Theophrastus, cujus sententia est eiusmodi. Nam ut porrò de monstris doceamus, sciendum quod monstra in animalibus aut specie animalium ab alijs rebus, non à suæ speciei nascuntur, rarò diu vivant, præcipue si cum alijs & inter alia esse coguntur. Nam & ob nascendi modum, & divinum judicium monstra in odio sunt cæteris, qui legitimè nascuntur. Ita monstra ex hominibus nata, rarò vivunt, & quò magis mirifica & terribilia sunt, hoc citius moriuntur, ut plerumq; inter homines tertium diem non attingant, nisi ilicò in occultiore loca abligentur & ab hominum conspectu separentur. Sciendum etiam Deo abominationem esse monstra, & nulla salvari cum imaginem Dei non habeant. Nam à Diabolo ita formata sunt, & magis in ministerium impuri Spiritus, quam Dei.

Theophrasti sententia de ortu monstrorum.

A nullo enim unquam monstro boni aliquid factum est, sed mala omnia & technas Diaboli exequuntur, cujus symbolum gerunt. Etenim perinde ut carnifex solet facinorosos suos notis signare, resectione aurium, excæcatione, ustione malarum, resectione digitorum manus vel capitis.

Omnia monstra mala.

Ita signat diabolus suos imaginatione mulieris, quam ex illegitimis cupiditatibus in conceptione concipit, propterea metuendi, quibus deest vel abundat membrum aliquod, cum sit præsagium & certus character exquisitæ malitiæ & perversitatis securturæ, ex quo vel carnificis gladium iubeunt, vel ab eo stygmate aliquo publicè notantur. Hæc ille.

Argumenta non esse monstra à diabolis. *Qui ex altera parte negant, id diabolo tribui oportere, his argumentis uti posse videntur.* Primum: *Nullum ei jus ingenerationis leges datum. Nam si quid possit, nullum esset dubium, quin*

1. *ad depravandum aut jugulandum fœtus in utero promtissimus futurus sit. Tantum illi in homines odium, tanta libido nocendi. At sit tantum in paucis, & rarò, & quod evenit, alias habere causas*

2. *potest.* Deinde *opus formationis Dei opus appellari, quod si posset hic degener Spiritus interverte-*

3. *re, major eius, quàm Dei potentia foret.* Præterea, *si obstare non potest, quo minus edas, bibas, ambules, dormias, cur magis in hanc unam natu-*

4. *ræ actionem, quam cæteras potest? Nullum quinetiam Deo cum his spiritibus commercium esse, quandoquidem nulla sunt pars divinæ Reipubl. Nec illorum ministerio, quemadmodum carnificum in puniendo, uti solet, hostes enim non mini-*

5. *stri.* Deniq. *non illum condere quicquam posse, non muscam, non pilum, & si quid sit his tenuius; ne quidem depravare posse, quod velit hostis hic,*

quia

quia potentior, qui resistat. Ac si quis dicat, posse illum hæc & alia, si Deus permittat, occurri potest, ita illud à Deo fieri, non à diabolo, quemadmodum bellum infert non miles, sed Imperator. Postremò obstat Augustini autoritas, qui ait. Vrbes Romam & Alexandriam non dici ædificatas esse à fabris & Architectis, sed regibus, quorum voluntate conditæ sint; Ita Deum conditorem dicendum omnium naturarum, non quos adhibeat operarios. Atque eius modi est inter hos controversia, quorum neutri probandi videntur. Certum enim hoc & indubitatum, magnam spirituum potestatem esse, non in reliquam tantùm naturam, sed etiam in hominem, quamvis in illos nihil potest natura, sed afficiunt tantum & agunt, ut cœlum in inferiora; Nihil patiuntur vicißim. Quod si quis nihil posse contradicet, ostendat necesse est, quid illud sit, quod potestatem legitimus tributam Apostolis in hos spiritus? Quid lex etiam de non immolando dæmoniis? tum qui negant potentiam esse ullam, iidem in universum negare eos existere videntur, sicut qui providentiam negat, Deum negat. Exerit se eius imperium aut furor potius in aëre, aquis, terra, & ubicunque iis consistere concessum est. Quas in alto aëre tempestates, turbines, procellas concitant, aërem vitiant, fontes durant, vexant animalia, ludificantur homines, fatigant & perstringunt sensus, simulacris spectrorum, terrent mauri nigri, aut hirci specie,

6.

Multa posse spiritus.

ſpecie, formiſq́ abſurdioribus, qualicunq́ ſpiſſorum opacorumq́ vaporum coactorum condenſatione. *Lædunt etiam gravius pulſando, præcipitando, quin & corpora invadunt & obſident, affligunt morbis, nulli ætati parcunt, ac ne quidem morientibus. Quod in nuptias & generationis leges nihil dicunt valere potentiam ipſius, haud ſcio, an falſiſſimum ſit. Nam ſi occidere poteſt in totum & parentes & fœtū, quid in aliis etiam modis lædere? Quodq́ poteſt amatoriis poculis, herbarumq́ viribus, à quibus propria virtus dæmonum abeſt, perſæpè effici, ut generandi actio infringatur, quid ni ſapiens ille ſpiritus, cui omnis natura nota eſt, facilimè id effecerit? Plena præterea Exemplis vita eſt in tantum, ut ob tot experientias ætatum omnium certiſſimas inane videatur idem velle argumentis comprobare, ſunt in promtu multorum confeſſiones, non ignoti modi, quibus conjugia ſolent potiſſimùm affligere. Nam in* Furiæ amantium. *multis conciliant non amores veros, ſed ardores libidinoſos, & quaſi furias flagitioſorum incendiorum prorſus mirificas, & inextinguibiles, de quibus neq́ ratione, neq́ alio modo poſſis aliquid detrahere. Alibi inter conjuges diuturna, imma-* Odia. *nia, acerba odia, ſed occulta & non juſta commovent, ut oderint quidem pertinaciter, ſed cur oderint, dicere nequeant. Ex utroq́ affectu obſervatum eſt, quamvis nulla alia cauſa motuſq́ præceſſerit, corpora non modo viribus amiſſis frangi,*

ſed

sed lentè tabescere, & manifeste diffluere. quam sæpè compertum est, multis annis partium usum adimi, impediri corporum ipsorum copulationes, sive id interposita re aliqua fiat, quæ non appareat, sive membrorum refrigeratione, sive spirituum interceptione, aut deniq; imaginationis errore, aut quovis modo alio. Vtq; minus mirêre in conjuges tàm validas esse eius insidias, libidines id faciunt, ut quoniam ijs frequentissimè, gravissimeq; peccatur, vel eo nomine plus in puniendo jus hic hostis noster acceperit: estq; disertè in Tobiæ historia scriptum: in libidinosos dæmoni potestatem tributam esse. Non igitur deludit tantùm hos imaginibus vanis, quasi absit, quod non abest verè, sed ineptos ad officia illa reddit, aut impedit, ne conceptus fiat, aut abortiant gravidæ, aut vivus in utero fœtus, multipliciter deformetur. Quatuor sunt hi modi frequentes, sunt etiam alij. Modi lædendi varij.

Memorabilis est historia, quam ut verissimam ex Saxone Grammatico recitat Langius medicus, aliquando dæmonum præstigijs hoc effectum fuisse, ut mares cum fœminis canum more cohærentes divelli non potuerint, nisi perticis utrinq; appensi ridiculo spectaculo distraherentur. Testes sunt & Cambiones illi seu mutati liberi, macri quidem sed graves, & inexsatiabiles, de quibus etsi non satis apparet, lateántne ipsi dæmones sub ea forma puerorum specie, an translatitij Ridiculæ præstigiæ. Cambiones.

titij sint, dæmonicum tamen quiddam esse, & ex horum cum magis familiaritate ortum publica fama receptum est. His igitur de causis non videtur mihi à monstris malitiosa diaboli potentia prorsus esse removenda. Nam si affligere editos potest, & corpora ipsa famula sibi facere in ἐνεργουμένοις, cur non & aliquid in fœtus iuris habeat? Rursus si in omnem sævire ætatem possunt, cur non in primam etiam?

Vis diaboli aliqua in monstris.

Omnino autem definita eius potentia est, neq; quod vult potest, sed quod permittitur. Fallitur ipse, & non potest omnia, scit & potest omnia DEVS tantum. Neq; ille ex quovis quidvis, neq; quodlibet in quodcunq; potest convertere. Verè etiam nihil creat, omnia cum motu facit, & vel modo naturæ poßibili, vel saltem ex naturæ medijs, quia non potest etiam in quosvis, sed in aliquos tantum, & hoc tantum, quod superiori domino visum est. Tantum autem ei conceditur, quantum mundi libidines, diffidentia, curiositas, credulitas merentur; Bonis cum nocet ferè corpori & fortunis solis, improbos totos poßidet. Modus etsi occultior est: illum tamen reijcimus, quod ex consuetudine hominũ creduntur incubi gignere, itemq; succubi. Hominis hoc est non spirituum: Et corpora vel nulla habent, vel ad gignendum non idonea. Deinde, quoniam indubitatum est, hunc externum motorem ultra naturæ vires nihil à se posse, quoniam solius creatoris est, magis

Potentia eius definita.

Modus quo fœtus lædat.

vide-

videtur probabile cum aut corruptis naturalibus generationis principijs, aut facultatis plasticæ motu, quo figura introducitur, quoquo modo distracto, aut turbato invehere in materiam conceptus formam, quæ generanti dissimilis sit, aut deniq; inhibere perfectionem, antequam ad terminum perveniatur, non secus, quàm in jam formatis & editis, quavis ætate ex facultatum, humorum, & spirituum agitatione affectus varios excitare solet motis morborum in natura jam verè latentibus principijs. Non videtur aliter in hoc genus posse agere. Posse autem hæc, tria fidem faciunt. Primum, quia argentium omnium Physicorum & patientium vires, omnesq; naturas exactè habet cognitas. Deinde, quia formarum ortus productiones rerum, consensus ac dissensus, proportiones, ac modos mistionum applicandiq; principia pro κρᾶσιν *& formæ eductione exquisitè novit. Tertiò, ea ipsa principia & agendi instrumenta potestati eius in aliquibus ita subjecta sunt, ut hoc quod vult, si naturæ dominus admiserit, facilè efficiat: Eo tamen prorsus modo, quo agere nata sunt. Igitur ut ex collectis vaporibus in aëre aut elementis cæteris certo modo agitatis tempestates subitas concitare potest: Ita ex principijs in corporibus intus latentibus & ad fœtus primam constitutionem, nutritionem, & augmentum necessarijs vel corruptis, vel confusis, perturbatisq; violata proportione, motuq; ordina-*

Axiomata tria pro fi de sentent tia.

diuario, antequam ad statum perventum sit, perturbare ita aliquid potest, ut ex quo potuit perfectus edi fœtus, ex eo monstrosus, turpis & horridus fiat, aut claudus, contortis partibus, aut læsis aliter, materia vel necessaria subtracta, aut infusa aliena, aut per δυσκρασίαν corrupta, aut motu perverso, matribus fœdas figuras objiciendo, corpora excrementitijs humoribus commotis turbando. Naturalisne is motus, an violentus dicendus dubitari video. Naturalem esse doctissimus Bodinus negat; Quod si tota naturæ vis in universum nobis cognita est, hoc est, tria hæc omnis agendi facultas, omnis materiæ aptitudo, & universa applicationis varietas, tum si agere quippiam sine his, contraq; naturam omnem potest, spiritus hic, aut etiam in contrarium pellere, contra naturam motus hi esse plerique videntur. At quia
1. maxima sapientum pars de naturæ obscuritate ingemit, consentaneum est plus naturam posse,
2. quam posse videmus, neq; aut rerum vires, aut agendi modos, applicandiq; principia penitus per-
3. spicimus, certumq; itidem, non esse majorem hujus, quàm naturæ ordinariæ potentiam, nihil absurdi fuerit, naturalem motum dicere, qui non tantum medijs naturalibus, sed modo etiam ipsis conveniente, quanquam occulto, absolvitur. Novit enim hic arcana universa, latentes rerum efficacias, quomodo oriantur, serventur, pereant, cũ quibus similitudines & contrarietates habeant,

ex quo

ex quo unire potest, hæc instrumenta naturæ & incitare ad motum, ut hoc ipsum agant, quod ex se possunt, non quod ipse de novo indidit, in quo opere etiam celeritas modi observationem ademit. Igitur non quicquid ad apparentiam mirum fit aut secus à consuetis totum supra naturam est, sed tantum supra cognitam, quodq; latet, facit ut aliunde esse existimes, quod ex iisdem est, ut in medicationibus multa à vulgari medendi ratione eveniunt artis quidem opera, sed quæ vulgò magica creduntur, artifex nihilominus, qui penitiores causas introspicit, ne admiratur quidem, nec verò hic motus non naturalis ex eo dicendus, quod ab externo agente prima fit ad talem motum impulsio, quoniam sic nec assatio, cum igni modus ponitur, naturalis fuerit. Nihil autem posse præter hæc spiritus, non facilè affirmaverim, maximè cum sint quædam naturæ ipsorum propria, moveriq; sine corpore possunt, loqui sine ore, & facere alia, quæ, ut possint, instrumenta habeant necesse est, diversa quidem à nostris, sed aliqua tamen. Nos hic de certi generis affectibus loquimur, cum in nos vel naturæ partes agant, an supra hanc possint aliquid. Quæ si ita sunt nullum inde patrocinium habent, qui magos & sagas excusant. Sive enim id natura potest, ut verisimile est, sive non potest, pacti tamen conventio cum Apostata illo, reos hos omnino nihilominus & flagitij & pœnæ facit. Nam in agendo spiritus istos

M natu-

naturæ aptitudinem ſequi ex eo probabilius eſt, ne nimiam ei potentiam tribuere cogamus.

CAPVT XII.

An cœlum faber monſtrorum, ut ſentiunt Aſtrologi: Docetur multis argumentis falſum id eſſe: Reſpondetur dubiis: cœli vis quæ in ſingulis ſpeciebus ſit, exponitur.

A cœlo corporum varietas aſtrologis.

Aſtrologi pro Deo & dæmonibus cœlum nominant, cauſam ut Deo inferiorem, ita ſublimiorem cæteris, à qua, ut omnem in alijs rebus varietatem, in corporum differentias, & peculiariter monſtrorum deducunt, referuntq; ad certos ſiderum poſitus, ſolis inprimis & Lunæ ob vim, copiamq; lucis, affectionesq; eorum, tùm communes, tùm proprias. Multa igitur de cœlo viribusq; eius loquuntur, nec tantum, quod ambitu ſuo omnia contineat, ſed in ſingula influat, penetret in abditiſsima, in ſaxa & terræ venas, magis in hominum corpora & animantium alterando, diſſolvendo, aliudq; pro diverſa irradiatione, luminum multiplicatione, angulis, quadrangulis, diametris, ſchematibus, non ijs ſolum, quæ cerni oculis poſſunt, à vulgò etiam, ſed inviſibilibus alijs ſapienti tantum cognitis gignere. Nam in prima Cancri facie formoſum aſcendere juvenem benè amictum

Facies cœli manifeſtæ & occultæ.

ctum, sed in facie & digitis obliquitatis aliquid habentem, reliquo corpore equo similem, in aliis factebus alias imagines, æthiopes, mulierem, bestiam, singula operari volunt, suis formis consimilia: Mares ibi esse & fœminas, ex quorum congressu dissimili rerum productio vel impediatur vel juvetur. Steriles fieri coitus, si fœmina fœminam intueatur. Sin contra virum fœmina, aut fœminam vir fœcunditatem expectandam: sin plures congressus, etiam monstra. Id nos sapientes isti fortasse ex Ægyptiorum schola docuerunt. Neq; igitur ægritudines solas à cœlo manare pro signorum virtute & radiorum vel solitariorum vel conjunctione aliqua conspirantium, sed & animantium in corporibus figuras, & ipsarum specierum commistiones posse existere. Patrem enim verbi gratia, instrumentum esse stellarum, quæ sub tali constitutione dominentur, ac quemadmodum calor, ut calor est, calorem gignit, sic homo hominem, sed ut calor, quatenus igneus, ignem generat, ita homo, ex quo cœli organum est, talem gignit, qualem esse cœlum finit, hoc est tali corporis dispositione, inclinatione, ut benè vel malè formatus, ut Philosophus vel gladiator, tristis, avarus, facilis, & quod in singulis est proprium, etiam quod anser lactucam porrigentem sequitur. Sed quod ad corporum monstrositates attinet, si quando exemplis se declarant, ita ajunt, Saturnum in perniciosis locis constitutum, perni-

Quæ sidera monstra gignant. *ciosa etiam moliri, cæteros similiter pro diversa accessione aut universione ad alia. Signa certis partibus præesse, primum primæ, secundum secundæ, caput arieti, collum tauro subijci. Fœminas lunæ subijci, quod id menstruæ purgationes manifestent, & habent pro se ut putant, locum Philosophi lib. I. Hist. c. 2. quod tum si ita esset, necessario menstrua omnibus eodem tempore fluerent, non fit autem; sed alias alijs ubicunq; luna sit, pro diverso corporum & habitu & naturæ, materiæq; & humorum conditionibus, ut sola illa irregularitas & anomalia tanta, à cœlo esse non videatur admittere. In judicijs autem, ut vocant, nativitatum ita disertè loquuntur. Mutus nascetur, si dominus ascendentis & exaltationis, & dominus triplicitatis, Mercurius & Luna insignis*

Signa muta quæ. *mutis convenerint. Muta appellant, piscem aquarium, cancrum. Cætera fortassis fari possunt: Rursus Mercurius in piscibus & gradibus puteosis natum faciunt insipientem & mutum. Linguosus fit, qui conjunctionem Mercurij & Saturni in ascendente habuerit, Contractus & Paralyticus nascetur, si luna corporaliter juncta Saturno fuerit in Martis aspectu. Quid multa? claudos, gibbos, quos inter monstra numeramus luna facit cum in altero nodorum fuerit, aut insignis infirmitatum, ariete, tauro, cancro, scorpione, capricorno. Muti lationes puerorum Veneri in certis angulis constitutæ attribuunt. Sunt & configuratio-*

rationes non modò sterilitatis, sed & hermaphroditas facientes & androgynos, cum nimirum Mercurij stella versatilis promiscua est, vel Veneri copulata vires eius ad progignendam fœminam augeat. Hinc sexus incertitudinem & communitatem illam promanare. Consulendus de eo Pontanus l. 10. de rebus cœlestibus. Sed nihil attinet cætera etiam recensere ubiq; obvia; Ptolemæum audiamus in prædictionibus astrologias l. 3. in capite de læsionibus & morbis corporum. Ptolomæi sententiam. *Gradus, inquit, cujuslibet signi infortunatus in Horizonte, minabitur membro corporis cui præest, & quali læsione aut morbo, aut an utroq; afficiat illud possit, indicabit. Causas verò & species læsionum seu morborum Planetæ indicabunt. Et ut distinguat læsiones à morbis, læsiones, inquit, generaliter plerumq; accidunt, cum malesicæ stellæ, quæ causam præbent, sunt orientales: Morbi verò accidunt è contrario, cum causæ sunt occidentales. Differunt enim inter se: læsio semel corrumpit membrum, nec affert postea circuitus intensionem. Morbus verò assiduè aut per intervalla correptos excruciat. Et ne videantur longius à Philosophia recedere, illud allegant ex 2. Phys.* ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος. Læsio à morbis differt. *Non prætereunda etiam Cardani ratio in consilio de difficultate spirandi, cur quædam monstrosa fiant in genitis: Perspicuum est, inquit, quod sol & cæteri Planetæ, cum sunt in piscibus* Cardani ratio.

decernant surditates & mutitates. Pisces enim parum audiunt, & voce carent. Hæc isti & quædam alia. Ex quibus licet conijcere membrorum in fœtibus corruptelas, quales & in monstris, à cœlo, non ut matre, sed noverca esse, & sideribus ut causis non modò salutaribus, sed & corrumpentibus. Habuit Astrologia patronos suos multa ante secula, neq; paucos et ignobiles sectatores, illa alias credo ob causas, tum maximè quod futurorum præsentia ad id studium vehementer animos excitat. Quis enim futura scire nō desiderat? Sitne ars vel non sit, vitaq; necessariam utilitatem afferat, non dicam, & scio ego bonis artibus etiam multa inesse falsa, multa ambigua. Facit etiam ne damnum, quod doctissimos viros eam coluisse ex tot monumentis licet conijcere. Et quia agunt in nostra hæc astra, etiam prævideri possunt quædam à peritis, & si bella, pestes, incendia, morbos pronunciare possunt, multum illi humanis rebus commodant, modo quæ ostendunt, vitari & declinari à nobis possunt. Nam si nequeunt, quid scire interest? Non fuit tamen à plerisq; semper recepta horum disciplina. Primum quidem, quod videantur Chaldæi ea sumere, quæ nec certis ullis rationibus, nec evidentibus experimentis, nulla deniq; Philosophorum autoritate munire possint. Deinde, quia quorum causas tàm longè à cœlo deducunt, eæ propiores apparent, & cum rebus ipsis junctæ, quod plus ad cognoscendum, quam illud valet, si ad re-

Patroni astrologiæ.

Astrologia cur repudiata.

notissima devolvimur. Quod si ars causis naturalibus constat, & à principijs aliquibus vel per se notis, vel alibi demonstratis, aut certis experimentis ortis dependent, hæc autem in Astrologia non admittant, non apparet, quomodo autem dicere possimus. Ex quo alij tantum ut ambiguam abjecerunt, alij ut ineptam riserunt, alij ut impiam & magicam damnarunt, à diabolo ortum ausus est Lactantius dicere. Mittamus litem illis. Ars quæ dicenda.

De monstris hujus loci est ostendere, quod ipsi affirmant, cum peripathetica Philosophia, & cum rei ipsius veritate, non consentire. Cœli enim nusquam Philosophus meminit, ubi de monstris prolixè, materiæ, loci, facultatis, uteri, motuum meminit: Saturni, piscium, lunæ, angulorum non meminit. Tum enim læsiones illas ait fieri, cum naturæ motus solvuntur, in semine, cum superest in materia aliquid, aut abundat, cum confluit quippiam, & continuatio impeditur. Habet in se materia motorem suum proximum, & progressum proprium omniq; in generatione inferiores causæ proximæ possunt plurimum, itaq; ex alio aliud nascitur, leo, lepus, asinus, non quia nunc & sub tali cœlo, sed quia ille ex leone, hic ex lepore, alius ex asino, sicut & quod non modo ex homine homo, sed & taliter affectus ex parentum potius & principiorum constitutione, quam ullo habitu cœli oritur, qui rei externus est, & communis & momentaneus. Ac ut maximè cœli vis, & Solis in infe-

Monstra non gignit cœlum.

Particularia ex causis particularibus nō universalis.

inferiora multipliciter influat, potestq́ ne in perfectorum animantium ortu tantum, ut ipsa proxima illorum principia, motusq́ qui in ipsis fiunt, in contrarium vertat. Non æqualiter Sol aut lucet aut calefacit, nunc abdit occultatq́ se nunc prodit rursus, visq́ eius modo lanquida, modo vehementior est, non deniq́ ita blandus, æqualis, constans, qui tàm varijs tàm delicatis partibus fingendis constituendisq́ sit satis idoneus. Aliud est in seminibus illorum, quod formam inducit, dissolvit, liquat, cogit, fingit, & ad absolutionem certam producit. Ad hæc potius, quam ad illa respiciendum fuit. Ergo & in libris qui de plantis Aristoteli inscribuntur, solis in perfectorum generatione non magnum momentum esse scribitur. Sic enim ibi. Cum marem esse dicamus, qui gignit in albo: Fœminam, quæ ab illo, e quidem si in planto hæ duæ sexus differentiæ essent, eam animali perfectiorem esse fateri oporteret; Hoc verò qui fieri potest cum animal nullius opis externæ ad propriam generationem indigeat, plantis verò anni tempestatibus opus est, & sole aliisq́ ejusmodi, tum maximè cum exoritur. Possumúsne colligere, cur in his & tot & tã varijs astrologiæ ne meminerit quidem? Fortassis vetera illa Ægyptiorum & Chaldæorum figmẽta nondum ita recepta, ut postea fuerunt, sive quod figmenta & opinionum monstra ne attingenda quidem sibi esse putaverit. Et omnino ijs ipsis locis, quibus

Solis vis in perfectis.

com-

commodissimè potuit in libris de cælo, hanc disciplinam, cum totam vellet nobis sapientiæ methodum relinquere, planè præteriit tamen. Ignoravit, inquiunt. Atq; contra Eudoxum in Metaphysicis disputat: Et credine potest, ea quæ stolidissimis asinis, pictoribus, fabris, Architectis nota hodiè sunt, tantum ingenium, quantum Aristotelis fuit, qui ad cætera omnia aditum sibi perspicacitate sua fecit, id assequi non potuisse? ideo abjecit, quod neq; ratione vidit constare, neq; conjecturis ullis, a quibus certitudinem speraret se posse consequi. Id igitur in monstris præceptum secutus est, quod 2. Phys. 3. tradiderat, ut quoties de causa quæritur, quæ nominanda est, propriam, proximam, particularem nominemus, à qua proximè & immediatè effectus dependeant. Nam alias esse universalis docuerat, alias particulares, itemq; remotas nonnullas, alias proximas. Externa, inquit, cujusq; rei causa quærenda est, quemadmodum in alijs rebus solet, velut homo ædificat, quia architectus est. Idem in 4. de gener anim. c. 3. valet semper in generando magis, quod proprium, & particulare est. Coriscus enim & homo & animal est, sed propius à proprio distat homo, quàm animal. Generat autem & quod particulare, & quod genus est, sed magis quod particulare.

Aristoteles astrologica præterijt & cur.

In causis quærenda proxima.

Causæ duplices.

Et paulò post. Hi sunt in seminibus eiusmodi omnium motus, propinquius semper quod par-

ticulare est, particulare dico, Coriscum vel Socratem. Sic & Averrhoës cum dixisset, conceptionis facultatem aut minui, aut tolli, idq; fieri aliquando propter intemperiem cum materia, aliquando sine materia. Eam verò quæ sit sine materia esse à principio generationis, & dici sterilitatem, addidit hæc. Quidam dixerunt fieri hoc propter dispositionem corporum cœlestium: sed hoc ego non video, neq; affirmo. Propiores autem causas deinceps in utero, testiculis, spermate, & facultatibus naturalibus esse censuit. Hoc igitur primum his videtur obstare: sed urgeri possunt his etiam. Cum monstra dicunt à cælo oriri, quæram illud primum, omniane an aliqua. Si omnia dicent, mentiuntur. Nam de seminibus in diversis speciebus animantium in Mose longa querela est, & his denunciata omnia extrema divinitus. Quid erat necesse, si cœlum gigneret? Refellentur deinde jurisconsultorum legibus & pœnis, qui quod monstra genita à naturæ adverso concubitu animadvertissent, igni adjudicarunt autores. Non igitur omnia. Quod si dicant, quorundam tantum, ratio fuit monstranda, cur certi generis solummodo inde oriantur, non universa. Præterea figurationes illæ, si fabri sunt monstrorum, vel rarò vel sæpè eadem recurrunt: Si raræ sunt, mirari possumus, quomodo ex raris & insuetis artis regulam & axiomata firma constituerint. Vt enim quippiam ex arte concludas, sæpius

Averrhoes.

An omnia monstra à cœlo vel aliqua.

Monstra aut rara aut crebra

pius observasse effectum talem & à tali causa esse ortum necesse est.

Nam quæ rarò fiunt, plerunq; per accidens eveniunt, ut verò ab eadem causa fieri certus sis, idem sæpè & eodem modo fieri oportet. Iterata observatio experientiam facit, quæ si paucis nitatur, imperfecta est, quoniam ex unius atq; alterius particularis rei experientia particulari universale malè infertur. Vinum credimus calefacere. Omne enim calefacit, & semper. At aqua frigida calefacit aliquando, non semper, neq; in omnibus. Imò non modò quæ rara sunt, experientiam non constituunt, & de causa judicium informant, sed & quæ sæpißimè fiunt: Scribimus quotidiè, etiam Sol quotidiè oritur. An Sol scriptionis causa est? De ijs igitur, quæ rarò fiunt, artis regulam constituere non convenit. Restat ergo, ut crebræ eæ constellationes sint, quod si dicent, respondeant, cur adeò rara monstra gignantur? Toties etenim monstra generari oportebat, quoties figuræ eædem recurrerent, sicut toties dies est, quoties Sol oritur, toties æstas, cum in suo certo signo est: Rara autem esse monstra, quis negaverit? Quod si una in urbe aliqua centena millia hominum nascuntur, equorum plura, & ovium & canum & hædorum, vix unum atq; alterum monstrum gigni observatum est. Ne longè abierimus, vel in hac ipsa nostra Bresla populosißima civitate intra annos Rara non faciunt regulam.

totos viginti, quibus multa millia hominum nata sunt, vix unum atq; alterum monstrum editum est: At interea, quot stellarum positus, & illi ipsi, quas nominaut?

Quomodo agat cœlũ ad monstrorum ortum. *Porrò si præstare hoc posse regiones cœli volunt, aperiendum fuit, quomodo id efficerent? Num qualitatibus illis primis? At illæ in cœlo formaliter non sunt: & si essent ullæ, iisdem sese destruerent, & affici etiam ab Elementis possent. Si effectivè eas in cœlo esse dicant negabimus, formationem partium diversissimarum his solis qualitatibus asscribi posse. Si influentia, res eodem recidit: si quæ alia vis est, nominare oportet.* Tum

An una cõstellatio in omnes fœtus agat. *si quando talis constellatio in cœlo præsidet, cur non omnes fœtus in uteris, qui tum aut concipiuntur, aut gestantur, ad inusitatam formam traducuntur, sed unus aliquis ex tàm multis. Certè quo die monstrum nascitur, imò & concipitur, nascuntur & concipiuntur plures: pleriq; tamen integri & perfecti, absoluti. Quid in hunc plus juris habuit, quàm in cæteras? Nam quod subjecti varietatem opponunt, non vident agentis majorem hic rationem esse. In tanta deinde siderum tùm varietate, tum numero, quantum esse vide-*

Vires stellarum paucæ cognitæ. *mus, potestne quispiam omnes illorum vires & naturas peculiares cognoscere? spiritibus, qui creduntur cœlum gubernare, datur hoc fortasis. Nobis, quibus neq; ætas neq; oculus, neq; ingenium satis est, non item. Certe cum infinitæ stellæ sunt*

vix

vix supra mille, ut placet quibusdam innotuerunt hactenus. Sed quid hoc valde mirabimur? Herbarum quas attingere, gustare, & alijs modis experiri possumus, vires, facultatesq́; quales sint, vix audemus trepidè per omnia pronunciare, & de stellis audebimus? Quod si jam manifestum id non est, etiam hoc fuerit difficile docere, quid quæq́; vel seorsim, vel alteri conjuncta posit. Demus autem intereà, cœlum id posse, quanquam dari non debet, quoniam tanta est eius in motu velocitas, tamq́; celer circumgyratio, quantam esse prædicant, & nos libenter credimus, ut quovis momento multæ & diversissimæ configurationes emergant, ex quo tot ijsdem autoribus lineamentorum & figurarum in hominibus formæ sunt (quod ipsum tamen aliundè est) quomodo scire poterunt, ad quam è tam multis, & ad mutum recedentibus figuris monstri generatio sit referenda? Fac autem sciri eam, quæ in nativitatis momento fit, potestne illa cœli figura, quæ ne tantillum quidem duret, fœtui cujus tum lenta formatio est, uno momento figuram imprimere? Citat ipse conciliator Arabem quendam, qui scribat qualibet hora ascendere viginti quatuor millia robuth hoc est, decem millium stadiorum spatium, quorum singula momentorum contineant 10000. At momentum quodlibet suam naturam habere propriam, verum ita subtilem, ut nullo sensu humano investigari posit, nec sciri, nisi à Deo. Motu autem

Cœli in motu velocitas.

Motu ig- norato, ig- noratur & fignatio.

tem ignorato, multo magis quæ ex eo deducitur significatio ignoretur necesse est. Sed quid istos sophos latet? Fatebatur Salomon, in quo summa fuit sapientia, nescire se quales esset habiturus hæredes. Hi astrorum consiliarij norunt quando, & quot & quales, cæteraq; omnia, quæ vix angelis nota sunt, quid ante nuptias, in nuptijs, & primis illis familiaritatibus, & postea futurum sit, deniq; quod rex reginæ in aurem, & quando dextro pedi sinistrum Iupiter impositurus sit; Et ne omnia sciant, quod Dei est, in solis suis rebus plerumq; cæci. Neq; enim vident, quæ ipsos attingunt.

Historia memorabilis.

Narrant regem quendam Angliæ ad hujus ordinis quendam, qui multa eventura regi & regno audacissimè pronunciaverat, dixisse, scirétne ubi circa proximum festum Paschatos esset futurus, cumq; negaret is se scire, quoniam magna esset aspectuum vicissitudo, Ego, inquit, te multò doctior sum, scio enim te in carcere futurum. Nostra ætate etiam paucis ab hinc annis cum varia ex astris alijs conjecisset, non prævidit miser in Austria se frigore periturum. Quid quod illud mirum est, si quod cœli schema est, è quo periculum fœtui immineat in formandis partibus, quoniam maleficium, cur alterum subsequens in progressu, si benignius sit mutare nuper impressam speciem & tribuere aliam nequeat? Sicut si una cœli facies terram frigefaciat, alia calidam faciet. Cur major vis prioris, quam subsequentis? Nec illud

satis manifestum est, cur sidera una in regione posita & angulo peculiari aliam naturam habeant, quam alibi si locum mutent. Quæ ratio nos cogit credere, stellam cujus idem ubiq; lumen & motus est, si in oriente sit, salutarem esse, si in occidente malignam, & ut incogitanter loquuntur, Diabolicam? Quod si in rebus elementaribus, quarum natura maximè mutabilis est, non mutari videmus vires, naturasq; cum loco, quantò incredibilius id cœlestibus corporibus evenire. Etsi enim accessu, recessu, vicinitate & propinquitate pro luminis etiam, ut in luna fit, incremento & decremento, proq; varia medij permutatione, rerum deniq; in quas agunt inexplicabili varietate, faciunt multa, vires tamen ipsas insitas neq; mutant, neq; à locis mutuantur. Purgat Sena in occidente & oriente. Sudores ciet Guajacum hic, non minus quàm in India, nec si illic sudorificam facultatem accepit, nobis sistet sudores. Non fit igitur hoc in mutabilibus, illa verò perpetua corpora, Sol, Venus, Mercurius, naturas quasi vestes suas abijcient, & formas alias atq; alias Chamæleontis instar assument. Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt, dixit Poëta & verè: Vniformis est stellarum natura; non benefacit uno in loco, in altero pestis est, adulterata alterius coitu, vel solo aspectu etiam. Quod si etiam cum angulo mutatur, faciet uno tempore contraria. Nam cum nobis est in triangulo constitutus, Stellæ cum loco naturas nō mutant.

alijs

alijs terris non item, hic alias vires, & illic alias sparget, quod absurdißimum.

Et quomodo erunt illa corpora incorruptibilia, si amittunt, quod habuerunt, accipiunt, quod non habebant, quæ ratio totum de domorum differentijs commentum delet: Facit contra eandem sententiam & illud, in quo dissolvendo frustra laborant, quod simul in utero concepti, editiq; duo fœtus eodem sub cœlo, ijsdem parentibus, alter tamen perfectus, naturaliq; figura absolutus, nulla parte mutilus prodit, alter vel mutilus vel aliter monstrosus. Cur non uterq; læsus vel integer? Negare id esse factum non possunt. Albertus ait duos fuisse editos ita coniunctos, vt dorso cohærerent, diversæ tamen complexionis, alterum mansuetum, alterum furibundum. Vives annotavit Neapoli Italiæ, & Flandria Belgica à mulieribus uno eodemq; partu edi beluas multiformes, sæpè quidem solæ, alias cum infante. Duo nonnunquam monstra, sed forma dißimili. Gemini item nascuntur forma, & naturis discrepantibus. Rectiùsne Philosophus diversitatem fœtuum à principiorum, & materiæ seminalis, motuumq; varietate esse pronunciabunt, & integros quidem fœtus ex naturalibq speciei principijs, bestias verò ex craßißimo putridq humore, quo eæ fœminæ plerunq; ex braßicarum alimentis, crudu fructibus potuq; non commodo, abundant? Valuit tantum apud Augustinum ea ratio, ut lib. 7. c. 6.

Diversi fœtus sub uno cœlo.

con-

confeß. eosdem etiam auctores liberius irrideret: cujus sententiam placet audire expositam elegantißimo Epigrammate Guilhelmi Xylandri V. C L. quod eiusmodi est.

Vna eademq́; dies, eadem quoq́; protinus hora
Atq́; idem minimi temporis articulus:
Humana in lucem duo corpora protulit almam,
Patria sic natis una duobus erat.
Fulserunt eadem nascentibus astra duobus,
Atq́; uno radios conseruêre modo:
Idem sideribus positus, respectus & idem:
Diversum mundi nil habuêre plagæ.
Iam quæ natalis pars sit violentior horæ,
Quo cœlúmve illis ordine fata dicet.
Desine scrutari numeris Babylone petitis,
Atq́; polos bis sex stringere cardinibus.
Alter ad eximios maturè evectus honores
FIRMINVS fati munere magnus erit,
Nobilitate, opibusq́; potens: augebit heriles
Alter in attrito tegmine verna lares.
Atqui non alius respexit Iupiter illum
Non alia effulsit Luna, Venúsve domo:
Non alios cœlo satus, aut Cyllenius ignes
Extulit, aut aliam Martia stella facem;
Excepit radijs Titania lampas ijsdem
Impositum gremio matris utrumq́; suæ.
Non alios vitæ cardo, non porta planetas
Infera, non densæ, janua noctis habet.

N Non

Non media cuspis lucis, non templa potentis
Fortunæ, genijs siue dicata loca.
Nil non ambobus commune volubilis æther,
Affictaq; astris continuere domus.
Quod sit fata hominem facie natalis olympi
Monstrantur nulla vana futura die:
Cur in Firminum nil cælum iuris habebit,
Seruitio collum quod premit alterius?
Cur miser obscenos tolerabit verna labores,
Firminum fato tot cumulante bonis?
Cur simile est illis, eadem quos astra tuentur,
Totius in vitæ conditione nihil?
Scilicet æterni, quæ sint decreta parentis
Arbitrio ostendet linea ducta tuo.
O vani studiorum, ô sese fallere sueta
Pectora, & infami decipere arte rudes:
Quid duodena poli templa, astrorumq; meatus,
Et formidatos, quid fatuis radios,
Cogitis in numerum? & mortalibus ardua fata
Ambiguis trepidi quæritis in tabulis?
Gratia, fama, valetudo, genus, & pudor, & res
Et status, & vitæ conditio, soboles.
Et quæcunq; homini contingunt, aspera, siue
Prospera, mortali dum pede calcat humum.
Soli nota Deo sunt: quem penes omnia solum,
Nutibus hic fatum temperat omne suis.
Non illos stellæ, aut genitabilis angulus horæ,
Aut positu variant astra nouata suo.

In corpus mentemq́; tuam quod fingis, & horres
Nullum is corporibus, jus dedit æthereis.
His quis detulerit, liquet. ipsaq́; nomina rerum
Priscæ relliquias impietatis habent.
Autoris documenta suiq́; amplissima præbent
Vnum non potuit, qui tolerare Deum.

Idem in 5. de civitate Dei in quæstione de duobus fratribus simul ægrotantibus Hippocratis *præfert sententiam, alteri, quam astrologi afferebant à constellationis identitate.* Cicero *in 2. de divinatione contra hos luculenter admodum. Illud nescio, inquit, quid tenue est, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest, quæ à luna cæterisq́; sideribus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere: Quid? quod non intelligunt seminum vim, quæ ad gignendum procreandumq́; plurimum valent, funditus tolli, mediocris erroris est? Quis enim non videt & formas & mores, & plerosq́; status ac motus effingere à parentibus liberos, quod non contingeret, si hoc non vis & natura gignentium efficeret, sed temperatio lunæ cœliq́; moderatio. Quid? quod uno eodemq́; puncto temporis nati dissimiles & naturas & vitas & casus habent, parumne declarant nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi fortè putamus, neminem eodem tempore ipso & conceptum & natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit? Et de mon-*

Cicero in astrologos

stris addidit hæc. Illud ne dubium est, quin multi cum ita essent nati, ut quædam contra naturam depravata haberent, restituerentur & corrigerentur à natura, cum se ipsa revocasset, aut arte aut medicina, aut quorum linguæ sic inhærerent, ut loqui non possent, eæ scalpello resectæ liberarentur? Multi etiam naturæ vitium meditatione atq; exercitatione sustulerunt. Quod si hæc astro ingenerata & tradita essent, nulla res ea mutare posset: Multa ibi & alia in hunc sensum: Rectè tamen hoc, naturales in animantibus δυνάμεις *à cœlo non esse, quoniam omnibus in tota specie individuis insint, ut anseribus omnibus, lactuca delectari.*

Quæ à cœlo sunt non mutātur Ciceroni.

Multa occurrunt adversus hos præterea, sed hoc imprimis. Si hominem format cœlum, æquivoca erit eius non minus quàm ranarum generatio. Nam animatorum ortus duplex est, unus qui à communi causa, & cœli virtute dependet. Alter univocus, cum quod generatur, eiusdem est speciei cum generante, uti perfectiorum est, & equis, asinis, homini competens. Alter semper à Philosophis tantum imperfectis assignatus est, cum ex putrescente, aut certa illis destinata materia, solis & astrorum virtute producuntur, cuius id signum, quod non sub quovis cœlo, sed Sole in certo loco constituto gignuntur, unde cum recedit, pleraq; intereunt: Vnde Aristoteles dicebat in

Ortus animatorum duplex.

sect. 10. probl. 15. Tum maximè oriuntur minuta, cùm mutationes temporum incesserunt. Hominum non eadem ratio est, nec peculiarem ad suum ortum cœli situm desiderant. Oriatur Sol, vel occidat hyeme, æstate, vere, autumno, quocunq; in loco constiterit Sol, Venus, Luna concipiuntur, nascuntur, moriuntur homines. Non igitur à cœlo ita animalia hæc ut minuta, atq; ita ne monstra quidem. Patet ex his Astrologorum de ortu monstrorum sententiam falsum esse, quod non est apud me dubium.

Nam quod de imaginibus loquuntur, primum in cœlo re vera non sunt, & fingi ab iisdem stellis non modò aliæ sed contrariæ etiam possunt, & ubi gladium formant, priapum quis posset: De invisibilibus formis ridiculum est, & verba falsitatem produnt. Nam si quæ sunt invisibiles, qui sciunt illas ibi esse? Quo autore eas credunt. Si viderunt, non sunt invisibiles. Si ratione hoc ita esse invenerunt, à sensu ad argumenta transeundum fuit. At multa sunt. Æquè verum est, quod de duodecim signis nugantur, quæ præcipuis duodecim in corporibus nostris partibus præsint. Nam primum plures sunt partes quàm duodecim: si præcipuas dicent, arguentur à medicis, quibus tres sunt, aut quatuor tantum. Tum quæ ratio est, cur pedes piscib. potius subijciantur, quàm geminis aut leoni, aut pisces oculis non additi vel Imagines in cœlo fictæ. Nugæ de duodecim signis.

vesicæ potius, in qua natare, ut in mari possent. Quæ est inter hæc communio? superstitio est, quæ & ratione caret, & omnem nobis Philosophiam contaminat.

Experientia quid & an pro astrologis.

Vnum pro honestamento prædictionum habent, Experientiam, quæ tantum prodest istis, quantum chiromanticis. Sciant hoc primum omnes ab experientia ratiocinationes ferè principium petere, quoniam incertum plerumq; ut certum ponitur. Est experientia vera eiusdem rei eodem modo factæ observatio, quæ ne fallat, tribus opus est. Primum ut aliquod sæpè fiat per se non ex accidente. Deinde, ut causa nulla alia extiterit, á qua idem effectus oriri potuerit. Tertiò, ut neq; sensui, neq; rationi adversetur, effectum eum á tali causa extitisse. Sumsit aliquis senam, gustavit, alvus postea soluta est. Facerétne hoc sena, vel non faceret, nondum constabat. Sumsit alius, & tertius, & plures alij, pueri, senes, adulti, viri, mulieres, sani, ægri, in omnibus idem subsecutum est. Iam igitur affirmare licuerit: Senam vim purgantem habere, quod si quis neget, dices, expertum esse. Eiusmodi experientiam si afferre possunt astrologi, non sunt vituperandi, qui eò confugiant. Sed difficile est. Nascitur monstrum sub tali cœlo, inquiunt. Ergo cœlum genuit. Audient. non quicquid antecedit rem quampiam, id etiam illius caussa sit, necesse est. Ambulo, bellum gero, pere-

Experientiæ certitudo, á tribus.

Antecedens nō est necessariò causa eius quod sequitur.

peregrinor, equum ascendo, cum Sol oritur. An ob id Sol causa est, ut ascendam? Fit puer Epilepticus, cum Luna obscuratur: non est necesse à luna id fieri. Male scribit Grammaticus, perdidit causam in foro advocatus, cum plueret, pluviáne accusanda? Vulgus ita decipi non mirum est, cæteris ratio subvenit, & aliam causam suppeditat. Deniq; quod maximè necessarium erat scire, & omnium illorum apotelesmatum fundamentum, conceptionis momentum, id illis maximè obscurum, quin & ijs ipsis, qui generarunt. Quod enim aiunt locum lunæ in natiuitate eundem esse, qui in conceptione fuerit, Picus jampridem accuratissimè refutavit & causam aperuit: Sanè multa sunt, quæ partui tarditatem inferunt, aut tempus anticipant solitum, quo è numero sunt morbi puerperarum, diarrhææ, renum, calculiq; dolores, febres, corporis macilentia, in aliquibus tusses, infantis habitus, eiusdem in utero situs, robur, moles, errata deniq; omnia, quæ in sex rebus non naturalibus admitti possunt: Conceptionis momentum ignotum.

At divinant quadam Astrologi: Fateor, id enim unum agunt & semper prædicunt: De Melancholicis dicebat Aristoteles, eos sæpè divinare, quia semper loquantur. Si pauca dicerent, nunquam divinarent. Seneca ita istos in Claudij morte irridebat: Patitur Mercurius eos aliquando verum dicere, omnibus mensibus, omnibus an- Astrologi quædam divinant.

nis mathematici Claudium efferebunt, ut mortuum, & vixit tamen diutißimè.

Habent in ore id perpetuò: cœlum semper moveri. Quid tum postea? semper movetur aër, semper mare. Influit etiam cœlum, non movetur tantum, sed pro universalis causæ ratione, quæ efficientiam cœterarum adjuvet, non mutet. Individuus effectus ab individua causa proxima oritur, rerumq; differentiæ non á cœlo, sed á causa definita propinqua dependent. Hæc á Philosophia mutuari possumus contra eos, qui ortum monstrorum cœlestem nobis faciunt. Sed nec Theologi in eam sententiam abierunt, ut ex Augustino, Ambrosio, Theodoreto, Tertulliano, Nemesio, Basilio, alijsq; licet conijcere. Vindicaruntq; cœlum ab injuria, & quia nota sunt illorum sententiæ, nihil attinet recitare. Basilius certè in 7. Homil. Exaemeri divini multa graviter pro stellis dixit, cum ferre non posset, maleficas dici stellas, quod tamen isti strenuè faciunt. Fieri enim non posse, quin malignitatis illius effectorem Deum statuant. Marsilius verò egregiè ad hunc locum. Nefas dictu est stellas ullas reguli serpentis instar nobis aspectu nocere, pium verò credere stellas omnes naturaliter struthij more radiorum intuitu omnia favere, perinde, ut in animali ipsa totius membrorumq; principalium vita, membra omnia fovet. Sic Solis lumen suapte natura confert ad vitam

Individuus effectus á causa individua.

vitam & sensum, quamvis interdum ob subjecti debilitatem, humorisve defectum videatur obesse. Videtur igitur falsò vel Mars furorem, vel contra stuporem vel pavorem induxisse Saturnus. Deme nimium bilis excessum, tolle copiam atræ bilis, neq; Martis, neq; Saturni aspectus furiosum aut pavidum efficiet: Eadem Aristotelis sententia 9. Metaphys. & Platonis in Epinomide, & Galeni & Hippocratis Avicennæ sententia est: & in hoc quidem cum Theologis consentiunt. Sed hi posteriores etiam acerbius sæpè ob impietatem in Astrologos invehuntur, quod ipsum iracundius egissent, si legissent, quæ ab his hodiè scribuntur, martyrum constantiam in ferendis cruciatibus & illum intrepidum animum à cœlesti esse siderum influxu & atro humore Melancholico, unde stupor quidam existat, quo referre malunt, ne videatur contrariorum esse autor D E V S, *si in hæreticis etiam & fœdissimis sacerdotibus eadem insit constantia, quod in 2. de varietate scriptum est. Tantum cœlo tribuimus, ut ne religionis nostræ principijs, unde fundamenta certitudinis solent peti, parcamus.* Impia sententia de martyrum constantia

Dices: *Nulla ergo cœlestium in inferiora virtus est, nihil ad ortum conferant? Cur ergò dixit Philosophus Sol, & homo hominem generant? Ad quid illa tàm infinita siderum varietas, loco, magnitudine, motu, lumine differentium &* Quæ vis cœli in inferiora.

Quid ille non modo uniformis motus sed perpetuus? An circumvoluit se cœlum, in alia loca, ut otiosi cum urbem circumeunt, aut custodes, qui propugnacula custodiunt? An se exercet Sol, ut calorem in se excitet, & non putrescat? Nam ita jocos faciunt. Non est Sol ut lucerna in tenebris: Neq, nihil potest cœlum, neq, omnia, etsi reperti, qui utrumq, defenderent. Negabant olim etiam nonnulli, quicquam præter lumen á cœlo influere. Alij contra vim eius tuebantur. Qui agendi facultatem adimebant, solem & sidera credebant ad ornatum universi nullius necessitatis gratia facta esse, non ut quicquam producerent, producta conservarent: Hanc sententiam à Mahometica gente profectam docent, fuitq, Arabum nonnullorum, è quibus & Rabbi Moses, ex posterieribus ut apparet, Gabriel, contra quem Thomas copiose disseruit; Fuit eorum sententia, quàm paulo ante fregimus, Deum omnia in natura immediatè agere, nullis rebus inesse vires peculiares ad agendum, non ignem urere, non solem lucere, sed Deum, etsi id minus appareat, id sua legi Averrhoës in com. Metaphys. ascripsit: Qui verò cœlo vim aliquam tribuerunt, in duas sectas divisi sunt. Quidam omnia posse cœlum in omnia dicebant: Quidam aliqua tantum non omnia: Priores subijciebant sideribus omnes inferiores motus tùm speciales seu intentionales, tùm reales,

Cœlum neq; nihil, neq; omnia potest.

An cœlestia tantum ornatus gratia.

An cœlum omnia efficiat.

sed

sed singula astra peculiare quid habere. Sed quia multis rebus, & animo non dominari ex meliore Philosophia verum est, ideò & hi rejecti sunt.

Postrema sentententia verissima est, non omnia à cœlo gubernari. Sol magnum naturæ est seminarium, & certè fœcunditatis in terra principium, ut est in 2. de ortu 10. cujus signum, quod quo longius à terra distat hyeme, eò minus se prodit fœcunditas, iis etiam in locis, quæ sole plerumq; viduata sunt, & ob id sterilia. Sed cum ad nos oculus ille mundi redit, gignere incipit, & ad ortus rerum sese accommodat, fiuntq; vere omnia gravida, æstate pariunt: Ex eo Platonici cœlum maris, terram fœminæ habere rationem dixerunt, & Poëtæ terram cœli conjugem nominant. De cœlo Peripatetica sententia.

Inde motus illi Physici generationes, corruptiones, augmentationes, decrementa, & vicissitudines aliæ, ut rector ille perpetuus inferiora hæc variè agitat: Necesse est, inquit, Aristoteles totum hunc mundum, qui terram ambit cum superis conversionibus sic continuatum esse, ut omnis eius virtus inde gubernetur. Nam unde omnibus motus est principium, prima illa debet haberi causa. Disertius est in loco altero 4. de gener. ani. c. ultimo, cum docuisset graviditatum generationum, & vitarum dimensionem, circuitibus deberi, Aristoteles de cœlo.

Aristoteles de cœlo. *deberi, addit: Circuitum appello, diem, noctem, mensem, annum & tempora, quæ ijs describuntur, atq; etiam lunæ trajectiones. Sunt enim lunæ circuitus, complementa & silentia, & interpositorum temporum sectiones. Ita enim coit cum Sole. Mensis namq; communis amborum circuitus est. Luna autem principium est propter Solis societatem receptumq; lucis. Fit enim quasi alter Sol minor, quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. Calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione verò corruptiones efficiunt. Terminũ autem principij tum finis qualitatum earum, motus horum siderum obtinet. Vt enim mare & omnem humorum naturam subsistere mutarive pro flatuum motu, & quiete videmus, aërem verò & flatus pro Solis Lunæq; circuitu affici, sic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur sequi necesse est. Nam ut rerum minus principalium circuitus, sequantur circuitum magis principalium, ratio est: versionis verò siderum alia fortaßè principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, ut eorum numeris generationes & obitus numeret., sed exquisitè id facere nequit propter materiæ indefinitionem, & quod multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam & corruptiones sæpè impediant, atq; ita causa sit eorum, quæ præter naturam eveniunt. Ergo ita censuit Philoso-*

losophus & generationes in terra & terræ partibus, & motus naturæ eò referendos esse, mutationes ipsas etiam tempestatum, omnesq́ in aëre constitutiones cum ijs quæ meteora vocavit. Addamus etiam ortum muscarum, ranarum, insectorum, reptilium, & si quid est hujus generis, quod è nullo propemodum certo semine, sed cœno, & cadaveribus, aut simili materia oritur, in quam cum se solis calor insinuat, infinito numero ea animalcula prodeunt. Quamvis in his effectricem etiam aliam causam agnovit, nimirum mixti putrescentis calorem residuum, qui materiam disponit, formamq́ ex materia traducit, virtute tamen cœlestis corporis. Nam ut in perfectis animantibus cum generantur, calor agit quidem, sed animæ beneficio, ita mixti calor in putrescente vi cœli substantias illas producit. De metallis positne in ijs aliquid calor Solis externus, dubitavit tam audacter doctißimus Agricola, quam confidenter alij id asseruerunt. Sed valeat in his esse cœlum. Insecta à cœlo & putrescentis calido.

Plantas evidenter Sol adjuvat, cujus auxilio cum destituitur illa anima, quiescit, ut in hyeme, his omnis vita est à cœlo, & quem calorem habent, soboles eius radij sunt, qui à cœlo defluit, & ipsis assotiatur intime & ἔξωθεν totus est, quoniam tantum plantæ de vita decedit, quantum à Sole deseritur. Nam ut aliquis plantæ calor tri- Plantæ Sol creat.

buatur,

buttur, tantus esse non potest, qui vel incheare generationem aut fructuum, aut frugum, aut uvarum, vel absolvere possit. Dominari igitur hic ambientem calorem pro cœli ratione in aëre receptum finamus. Cœlum gignendi vim habeat, elementa verò motui hujus subdita effectibus eam dant causam, quæ ὕλη dicitur.

Restant animalia perfectiora, quorum ortui etsi non tribuit nihil cœlum, non id tamen quod in insectis. Nam sic etiam hæc cum Sole & orirentur & occiderent, & essent homines, ut insecta, annui. Non his definita sunt certa ortus tempora, ut imperfectis, non coitus, non generationis. Homini, inquit, in 5. hist. c. 8. Oportunus est omnibus temporibus coitus, sicut & pedestribus alijs, quæ cum homine vivunt, coitum nullo tempore aspernantur, videlicet, propter pabuli ubertatem & teporem, quorum tempus etiam gerendi uteri breve est, ut suis, canis, volucrum. Ergò & concipiunt hæc & pariunt, quovis tempore non solem expectant, neq; lex eis posita una cum vegetabilibus: At Sol, inquies, & homo hominem generat: Ita est, sed non quocunq; modo. Cœlum ut generalissima est causa, ita remotissima, eorum, quæ sub luna fiunt, quoq; remotior causa quælibet est, hoc generalior tantum, & quoniam indeterminata est, & uno modo ex se agit in omnia, easdem vires omnibus communicat, non alias alijs,

Cœlum causa generalis.

aliis, quas tamen ita singulæ res accipiunt, ut diathesis cujusq; finit. Quippe sicut agens agit, quomodo & quantum potest, ita patiens, ut natum est recipere, ita recipit. Ergo conditio propria est universalis agentis, ut effectum, in quem communi ratione tantum influit, non determinet, nec distinguat (hoc enim particularium efficientium est, à quibus certi & definiti motus principium est) sed influat tantum. Proximæ causæ proximorum effectuum causæ sunt, eæ ut variæ & differentes sunt, ita ab iisdem effectuum omnis varietas dependet; Ex quo manifestum est, cur hæc aut illa, talia & non talia individua nascantur, & hoc vel illo modo non cœlo, ut causæ instrumentali, sed proximis, ut materiæ & agenti vicino, quæq; in his proximè in motibus valent, asscribendum.

Agit cum omnibus cœlum, cum equo, equum, cum cane, canem generat. Nam id utriusq; seminis natura patitur, non cum cane ursum, aut cum lepore equum, contra id quòd ex se possunt, quoniam pro patientis natura influit, & actionem excitat propriam, non tribuit aliam, aut diversam. Ex quo nulla cœli cõstitutio impedit, quo minus ex pisce piscis nascatur, ex avi avis. Quicquid igitur nascitur, ex communi quidem cœli favore adjuvatur ad ortum, ut autem vel homo oriatur, vel equus, id neq; ex communi influxu fit, Cœlum adjuvat naturas seminum, non tribuit aut mutat.

neq;

Particulare non est à communi influxu.

neq; ex particulari aliquo. Sub quolibet enim nascuntur homines pariter & equi. Nam ideo homo nascitur, quia ex homine, & equus, quia ex equo. Vt autem homo sit talis & talis, cholericus, sanguineus, magis, minúsve, formosus, procerus, brevis, non tàm videntur à cœlo habere, quam à parentibus. Est in juvencis, est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Vi veritatis coactus Ptolomæus ipse confitetur, esse inconsentaneum de solo cœlestium intuitu de nato judicare, jubetq; parentum & nutrimenti & loci naturam atq; consuetudinem diligenter considerare: Addidisset rectè etiam cætera imaginationem generantium & multa alia. Certè ad ipsam substantiæ naturaliúq; qualitatis proprietatem natura tùm speciei, tùm individui multò plus, quàm cœlestes omnes influxus valent. Communes illæ cœlestes causæ circa communissimas conditiones autoritatem habeant, propriæ causæ circa proprias plus possunt, præsertim cum quæ á superioribus causis inferuntur, ea pro natura subjecti & determinatione causarum propinquarum accipiantur. Homo igitur, ut á causa sit ex seminaria ratione concipitur, & ipsa seminis insita facultate, & cum deterior sit ortus eius, ex proprijs causarum impedimentis fit maximè. Cur non & monstra fiant similiter á proximarum causarum agentis, materiæ, loci consti-

stitutione, quam ab illis influxibus? Nam proximè agentis, ut infinitis modis varia sunt, ita eunt ex se varios effectus naturam causarum redolentes. Non ita universalia, & res exemplis patefiet. Vinum hoc potest, ut inebriet, si sumtum ac largius, at ut qui ebrius est, rideat, ploret, litiget, garriat, pugnet, non id vini, sed bibentis naturæ, quæ vino excitatur, asscribendum est. Agit vinum hoc tantum quod potest. Cætera à crasi corporisq; constitutione dependent. Ex quo fit, ut effectus tales ex communis causæ consideratione prævideri prædiciq; nulla ratione possint. Nam ut multos scias ex eodem vino uno die futuros ebrios, ignorabis tamen, quis risurus, quis litigaturus sit. Clarius ex hoc etiam universalis causæ ratio depromi potest. Si plura sint ova diversa, sed integra, neq; inutilia uni gallinæ subjecta, gallinarum, anatum, anserum, ea uno incubata eodemq; calore fota æqualiter, aliud tamen proferunt, ex anatum ovis, anas, ex gallinarum, gallina prodit, ex alio aliud. Quod si quæ corrupta sunt opposita, corrumpuntur magis, non potest gallinæ calor ex quolibet, quod volumus, producere, sed id, quod potentiæ inest, quia pro subjecti natura agit. Ova diversa sunt, calor idem, ergo diversa animalia gigni necesse fuit, neq; id tamen calor facit, sed proximi principij natura, quam sequitur id, quod inde enascitur. Hinc aliud natat, aliud

A proximis agentibus rerum varietas.

Vini in diversis diversi effectus.

Ex ovis diversis differentia animantia.

volat, aliud ingreditur, ut cujusq; forma fert, talis & cœli calor; qui in subjecta corpora omnia calorem lumenq; suum insinuat, eodem modo, sed ab alijs aliter recipitur. Itaq; illud est cœlum cæteris rebus, quod cor in animante membris, à quo unus idemq; calor in omnes partes influit, non aliam facultatem oculo, aliam manibus tribuit, partiū sua quæq; natura est et actio, cui idem ille influens inservit. Ita particulares effectus particularium agentium sunt, universales universalium. Quæ si vera sunt, varij cœli & syderum tùm positus, tùm irradiationes non magis in causa sunt, ut monstra in utero gignantur, quàm ut sub tali cœli statu qui scribit, malè scribat, qui metalla fundit, malè fundat: Manant à proximis agentibus vires rerum, & proprietates omnes non à cœlo, cum nec inde materia nec forma veniat. Quod igitur divinatores isti cœliq; interpretes non modò morbos à qualitatum nimio excessu inde deducunt, sed monstra etiam, id absurdissimum bis quidem causis videtur esse. Dixit Philosophus errata esse naturæ, & cum motus in materia solvitur, ad cœlum nusquam retulit, & ne potuit quidem: Et de his quidem etiam jam satis hoc fuerit.

Cœli & cordis analogia.

CA-

CAPVT XIII.

Recitantur veterum Philosophorum de ortu monstrorum opiniones, Aristotelis, Auerrhois, Empedoclis, Democriti, Stratonis, & Alberti Magni.

Ergo superiores isti aut non proximas videntur causas attingere, aut ut Chaldæi falsam. Non probant Philosophi cum valde à longo petitur causa, sed accedendum ad rei primas, proprias, proximas, quoad maximè potest fieri. Ea verò in principiorum, quibus constant animalia, natura & modo positæ sunt. Nam causa, quò universalior, hoc remotior à proprijs principijs. Sed quia Philosophi potissimum, & hos secuti medici eas investigarunt, eorum etiam sententias audiamus. Prius autem loca quædam ostendenda, unde pateat mens eorum, neq; tamen omnium, sed aliquorum. Plurimi enim sunt. Verba autem ipsorum prius ob id afferam, quod sapientum oratio vetustatem redolens mirificè per se delectat. Deinde quod commodum est scire, quid de eadem re plures sint opinati. Igitur in 3. de gen. ani. c. 3. de causis hoc modo Philosophus. Proximum est ab ijs, quæ diximus, ut causas de monstris reddamus. Ad extremum enim, cum motus solvuntur, & materia non superatur, remanet, quod maximè uni- Proximæ causæ quærendæ sunt Causa quò universalior & hoc remotior. Aristotelis loca de monstrorũ causis.

versale est animal. Sequenti autem capite & falsam Democriti & suam tradidit: Democritus, inquit, monstra fieri scribit ea de causa, quod duo subeunt semina, alterum ante, alterum postea, quæ cum in utero confunduntur, evenit, ut membra coalescant, atq; dissideant. Avibus verò quoniam coitus crebro agitatur, idcirco semper & ova & calorem variari autumat. Sed si ita sit, ut ex uno semine unoq; coitu plura generentur, ut patet, præstat, non circum ire brevi & facili via omissa. Iis enim tùm maximè accidere necesse est, cùm semina non distinguuntur, sed simul subeunt. Quod si semini maris causa tribuenda sit, hoc modo dicendum sit: Sed enim ex toto potius causam in materia, constituendisq; conceptibus esse censendum est. Quamobrem monstra eiusmodi raro admodum fiunt, in ijs quæ singulos pariunt, crebrius in ijs, quorum partus numerosus est, & præcipuè in avium genere, earumq; potissimum in gallinis. His enim partus numerosus, non modò quod sæpè pariant, ut columbæ, verùm etiam, quod multos simul conceptus intra se continent, & temporibus omnibus coëunt. Hinc gemina, etiam plura pariunt. Cohærent enim conceptus; quoniam in propinquo alter alteri est. Quomodo interdum fructus arborum complures. Quod si vitelli distinguantur membrana, gemini pulli discreti, sine ulla supervacanea parte generantur:

Democritus.

Monstrorum causa in materia.

Monstra in avibus frequentia.

tur: Sed si Vitella continuantur, nec ulla interjecta membrana disterminentur, pulli ex ijs monstrifici prodeunt corpore & capite uno, cruribus quaternis, alis totidem, quoniam superiora ex albumine generantur, & prius (Vitellus enim pro cibo est) pars autem inferior postea instituitur, quanquam cibus idem indiscretusq; suppeditatur: & paulò post: Vnde apertum est causa talium eventorum in materia esse putare oportere. Vt enim in ijs, quæ plura pariunt, magis, sic in ijs, quæ pauciora, minus id accidit, quoniam homini id minus. Singularem enim perfectum quis parit. Item in ijs, quæ pariunt plura, tùm ea ipsa eveniunt, tum verò copia partus impedit alter alterius perfectionem, & causam genitalem. Huc ille locus, quem ex 2. Phys. allegavimus, ubi causam ad principij alicujus corruptionem, ut seminis, retulit. In multiparis crebriora.

Quod verò monstra retulit, ad naturæ motus solutos, id planißimè explicavit in cap. 3. lib. 4. de gen. anim. cum omne, quod mutatur, non in quolibet, verum in sibi oppositum transeat. Ideò & quod in generatione non superatur, transeat in oppositum necesse est, pro ea facultate, quæ non superavit, quod generat, moveatq; quod si qua in ijs fiant, non potuit, fœmina, gignitur, similiq; modo in sequentibus facultatibus agitur: semper enim in sequentem & proximum transi- Motus naturæ soluti.

 tur.

tur. Motus enim, qui creant, solvuntur in propinquos. Causa autem, ut motus solvantur, est, quod omne agens patitur etiam à patiente, ut quod secat, habetatur ab eo, quod secatur, quod calefacit, refrigeratur à calescente, deniq; quodcunq; movet excepto primo mutuò movetur aliquo motu, verbi gratia, pellitur quodammodo, quod pellit, & quod premit, reprimitur. Degenerat autem quod patitur, nec superatur, aut defectu facultatis eius, quod coquit, & movet, aut copia frigiditateq; eius, quod concoquitur & distinguitur. Cum enim partim superet, partim non superet, facit multiforme, quod constituitur. Et quæ sequuntur. Rursus in problem. sect. 10. probl. 60. Vbi quærit, cur monstra parvæ quadrupedes pariant, homo autem & grandes animantes minus, ut equi & asini. Monstra, ait, tantum confici solent cum plura semina inter se cohærescunt confunduntur q; vel cum prodeunt ex mare, vel cum se in fœmina commiscent, unde aves etiam monstra edere possunt. Ova namq; vitello pariunt geminato. Monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla interjecta membrana distinguuntur. Averrhoës sententiam Philosophi secutus breviter sic: Causa eius rei est, alterum duorum vel debilitas agentis, vel inobedientia recipientis, ut contingit in artificialibus, quibus evenit corruptio in figura propter horum duorum

Vnde solvatur motus.

Degeneratio duplex.

Averrhoës.

rum alterum, aut propter utrumq. Excessus verò & defectus contingens in materia, in mensura & numero est, eadem causa, ob quam aliqua animalia multa pariunt: Plutarchus lib. 5. de placitis Philosoph. cap. 8. triplices sententias attulit: Empedocles ait, monstra propter seminis redundantiam, aut defectum, aut propter motus perturbationem, aut propter divisionem ipsius in plures partes, aut propter mutationem gigni pronunciat: Atq; hoc modo ferè omnes excusationes aut causas præoccupasse videtur. Strato propter oppositionem, aut ablationem, aut transpositionem, aut inflationem. Quidam ex medicis propter distorsionem uteri, tunc inflati, gigni monstra arbitrantur. In historia Philosophica Galeno ascripta eadem & verba & sententia, ut exscripta videantur. Omnium autem sententias Albertus ille Magnus dilatavit more suo, & exposuit fusius, cujus ipsius de monstris opinionem hoc etiam in loco breviter referemus. Ita autem de ijs censuit, ut quatuor potissimum judicaret causas esse in genere, unde monstra manarent. Sed ut ita singulis aliæ rursus essent subjectæ. Ex ijs prima est materiæ paucitas: deinde abundantia: tùm qualitates tertio loco utriusq; generis activæ & passivæ, proportionem non habentes, ut loquitur, ad materiam. Postremo malitia continentis:

Empedocles.

Variæ causæ monstrorum.

Alberti sententia.

§. Materiæ defectus.

Ac initio quidem si materia pauca sit, nec tanta, ut perfecto fœtui gignendo satis sit, monstrum fieri ex eo posse non uno modo docet. Nam cum pauca est, tripliciter peccari potest, aut totius vel partis magnitudine, aut numero membrorum, aut utroq; modo.

Pauca peccat tripliciter.

Quo enim minus materiæ est, hoc minus convenientem suæ speciei magnitudinem, maximè si & virtus debilis sit, assequitur: fitq; fœtus paruus, unde sunt, quos nanos vocant seu pygmæos.

Nani unde.

Sed non hoc solum à defectu materiæ malum in mole nascitur, verùm & illud, quod abest nonnunquam, res aliqua naturalis, quod cum fit in numero peccatur. Non sunt enim partes omnes, quæ ad totius corporis complementum, & absolutionem requirebantur: Id enim perfectum, cui nihil deest, quale monstrum unius oculi vel manus, aut digitorum paucorum, quàm satis est. Hoc autem potissimum à materiæ defectu est, accedente & agentis debilitate, quæ etsi adest, totam materiam informare non potest, sed partem tantum, cujus signum est, quod membra plerumq; ea desunt, quæ à corde & separate longius, hoc est, à facultatum origine recedunt: Tales autem sunt manus & pedes imprimis.

Quæ membra potissimum absunt.

Nonnunquam in utroq; simul exceditur, & ex eadem causa ita peccatur, ut & moles tanta non sit, quanta debebat, nec numerus integer, Ergo à paucitate materiæ hic triplex error admittitur.

Ac etsi idem fatetur, fieri nonnunquam posse, ut ex agentis debilitate, hoc est, formativæ virtutis imbecillitate, utrumq; malum oriatur, si materiam non superet & elaboret, & ut molem naturalem non assequatur, & numerum, frequentius tamen fieri docet ex materiæ subjectæ paucitatis, quam agentis peccato.

Altera monstrorum causa est in eiusdem materiæ copia & abundantia, e qua & ipsa tripliciter impingitur, aut sola magnitudine, aut numero, aut utroq; simul. Nam materiæ copia totius corporis aut partis vastitatem efficit, ut supra naturæ modum excrescat, grandiusq; aliquid appareat, quàm secundum naturam esse soleat. Hinc capita enormiter magna, aut pars alia, verbi causa, pes toto corpore grandior. Quod si totius corporis moles inusitata est, ad formativæ virtutis robur refert Albertus, posita tamen & materiæ affluentia. Neq; enim alterum sine altero esse potest. Si enim sola materiæ est copia, membra deformia sunt. Si virtus valida, etiam forma pulcra. Quod si materia est dissimilis, quædam partes erunt habiles, quædam inhabiles. Habilem semper facilius format virtus quàm ineptam. Ab eadem copia in numero erratum triplex est. 1. *Editur enim infans habens partem quidem naturalem, sed ante tempus justum, ut qui dentes omnes secum afferunt:* 2. *Aut membrum abun-*

2. Abundantia materiæ.

A copia in numero tripliciter erratur.

dat, & nimium est: 3. Aut duo corpora adnascuntur. Nam in aliis aliud fit. Aliquando rei naturalis exuperantia est, ut caput secundum, digitus sextus, aliquando res præter naturam, ut tumor informis. Huc geminorum generationem, & concrescentia corpora refert, quorum quædam exempla adscribit, scribitque inter cætera vidisse sese monstrum, quod ora habuerit undecim, & viginti quatuor labia in completu, et linguas undecim. Natum tamen non esse vivum, sed extractum mortuum.

Cur plura concrescãt. *Tum autem corpora plura concrescere ait, cum seminis in uterum immissio inæqualis fuerit: Quod si æqualiter dividatur, fieri geminos. Si materia tamen una parte diffluat, ex altera conjuncta maneat massæ, fieri bicorporea supra vel infra pro ratione seminis distracti, unde alii brachia plura habent, alii pedes, alii capita, aut ventres.*

3. Causa in qualitatibus activis. *Tertiò monstrositatis causa est, qualitas activa primò quidem calor proportionem debitam non servans, qui si nimius fit, nimiam fœtui pinguedinem conciliari, sicut à nimio frigore, maciem. Nonnunquam in utroque semine masculo & fœmineo qualitates contrariæ sunt, differentibus corporum utriusque temperamentis, quod cum fit, & virtus utriusque sexui formandi sufficit, nascitur fœtus utrumque sexum repræsentans, qualem Hermaphro-*

phroditum se vidisse Albertus narrat, ita in utroq; perfectus, ut à sapientibus vix discerneretur, uter alteri prævaleret.

Postrema causa est. Continentis loci malitia & αἰσχρα λία. Continens autem geminum est, intrinsecum & extrinsecum. Intrinsecum immediatum pellis ea est, quam secundinam vocant, qua fœtus involvitur. Mediatum uterus. Extrinsecum aër est & aqua, in quibus fiunt generationes. Iam si intrinsecum continens hoc est, pellicula rumpitur, diffluit semen & diffusum spargitur, curvantur membra, discontinuantur, dislocantur. Aut si non diffluat, rumpatur tamen nihilominus illa, irregularis fit membrorum formatio, cum materia alicubi minus extenditur ob laxitatem ea parte, qua patet. Exterioris continentis malitia est, si à cœli influxu eam dispositionem aër vel aqua accipiat, quæ formativam vim pervertat & perturbet, unde aliæ atq; aliæ figuræ diversorum animalium seminali materiæ imprimantur, ut porcus humano capite, & vaccæ illæ Empedoclis prodeant, de quibus est in 2. Physicorum. 4. Continentis malitia.

Hæc ut existimo Alberti sententia est, ita contracta in summam, accurata quidem, neq; pauca complectens, sed quæ non videatur tamen, sic etiam omnium in monstris differentiarum causas communes & proprias, alicubi veras etiam invenisse Albertus non satis dicit, & universalia tantùm.

nisse & exposuisse, & per se universim tantum de toto genere, non quid de singulis speciebus sentiendum, apertè indicavit, affectiones autem in iisdem planè præteriit. At scire Aristoteli est non τὸ ὅλον ἔχειν *& confusè, generatimq; aliquid* cognoscere, *sed* τὸ μέρος ἔχειν, *& particulatim naturam rei propositæ inquirere, quin & ex his ipsis nonnulla dubitationem habent, quemmodum ex iis patet, quæ paulò ante de cœli & siderum in monstris potestate disseruimus.* Pontanus. *Pontanus eloquentissimus Philosophus in 10 lib. de rebus cœlestibus cum de configurationibus sterilitatem facientibus & Hermaphroditos multa ex Astrologorum sententia tradidisset, etiam Physicorum rationes, & quæ ab Aristotele ex disciplina illa naturali dici potuerunt, sigillatim persecutus est. Sed quia sententia hujus partim quidem ad observationes astrologorum referenda est, partim à communi Philosophorum sententia nihil aut diversum aut peculiare habet, nihil attinet hoc loco inserere.*

Cæterorum etiam, quorum aliquod nomen est in literis, poteramus sententiam hic adjungere, sed quia nec dissentiunt ullibi ab his, nec pondus augent, præteriri possunt in hoc loco, & alibi, cum necesse fuerit, mutuabimur ab his quoq; Licet hoc in œconomia peripateticorum, quod in familia Xenophontis. Si à me, inquit, ignem quis, aut

aut aquam forte non habente popoſcerit, locum unde haurias, oſtendam, huc etiam in muſica diſcenda nos adeuntem ad peritiores mittam; jure id facere videar. Lex iſta indigentiæ noſtræ favet. Certe ſi plura non attulerimus, at hæc tamen, quod magni iſti & nobiliſſimi.

CAPVT XIIII.

In genere cauſarum varietas diſtinguitur ſecundum principia, Facultatem, Materiam, uterum: Et externa multa: à quibus fœtus degenerant.

Placet igitur hos ſolos ſequi in monſtrorum cauſis inveſtigandis, quoniam proprias tradiderunt, quarum cùm magna varietas ſit ad certa capita methodo redigamus, & primum quidem communes, tum etiam proprias ſingulorum. Omnia quæ oriuntur motu oriri perſpicuum eſt. In motu autem actio eſt 4. Phyſ. 13. γίνεται γὰρ μηδὲν ἄνευ τοῦ κινεῖσθαι, πῶς αὐτὸ ἢ πράττειν. *Actio motus agentis eſt ad opus. Ea verò, qua animalia producuntur, generatio eſt; quæ ab uno contrario in aliud progrediens ex eo quod poteſtate eſt, id quod actu eſt facit, hæc in natura quippe lex ita definita eſt. Eſt autem res tum, quando perfecta eſt, id fit actione abſoluta: Fieri au-*

Animalium ortus ex generatione.

Res est, cum perfecta est. ri autem dicuntur, dum id, quod est, ab agente suo accipit, & juncta cum effectu causa est. Ita aliud est fieri, aliud esse. Res dum fit est, quasi

Aliud fieri, aliud esse. quod est, & quod non est, potestq́ adhuc variè affici, antequam perfecta sit. Quod perfectum est, consistit jam. In ortu igitur duo termini conside-

In ortu duo termini. rantur: Vnus à quo fit principium, alter ad quem fit progressus, in quo si secundum naturam se habent omnia, in quibus, ex quibus, in quæ ac per quæ motus fit, etiam id, quod fit secundum naturam, perficitur. Sin quid in principijs motusq; intervenerit, antequam ad terminum perveniatur, solvitur, & distrahitur opus: sæpè etiam in aliam naturam fit transitus. Intervenire autem

Motuum impedimẽta varia. & in omnibus & omnibus momentis possunt, quæ vel moventis vel mobilis vel annexis motui obsistunt, unde effectuum dissimilitudo emergit. Id fieri in quovis motu potest, nos hic de animalium constitutione tantùm loquamur. Igitur quoties monstrum generatur, vitiatum fuisse quippiam necesse est: id vel in corpore & instrumentis, vel cœteris principijs fit necesse est. Ab integra & sana parte, actio fit justa, à læsa contrà: sic qualia sunt, ex quibus unumquodq́ fit, tale & illud est.

Vnde causæ oblæsionis sumendæ. Ergo oblæsarum actionum causæ partim quidem in corpore, partim in principijs, & quæ his adjuncta sunt. Iam quoties in agendo peccatur, plura autem ad id requiruntur, si omnia contempla-

mur, quomodo ſeſe habeant, tùm erroris cauſa rectiſſimè eruitur. In monſtro etiam olæſio, & peccatum: peccare autem eſt à rectitudine actionis deflectere. Actio omnis primum à facultate dependet: Facultas hic animæ quædam vis & potentia eſt, movere & agere apta nata, ab anima ipſa non eſſentia, ſed operis & effectus ratione differens: Eius tres ſunt facultates, ut communis eſt opinio, ſed diverſæ, naturalis, vitalis, animalis, quæ tria genera animantium deſcribunt, plantarum, brutorum, hominum. Addunt quartum, quod loco moveatur. ſed ſpecie non differt à ſentiente. Neq; enim ſenſus ſine motu ad vitam ſatis eſt, & ab eadem facultate animali, eodemq; principio fluit, à quo ſentiens, iiſdem etiam inſtrumentis & defertur & exercetur. Itaq; ſimul inſunt ſi ab iiſdem ſunt, facultate dico, principiis, organo. Facultas animæ quid & quotuplex.

Naturalis facultas ſola hujus loci eſt, cujus tria ſunt in viventibus opera, nutritio, augmentatio, generatio: quas una voce vegetatricem virtutem dixère. Et Ariſtoteles 2. de anima c. 3. Quomodo alatur & augeatur monſtrum in utero, alia quæſtio eſt. De generatione tantùm quærimus, à qua tamen neq; nutritionem neq; augmentationem excludimus, cum ad eius abſolutionem omnes ſint neceſſariæ, ſicut & cùm corde & epate colligantiam fœtus habet. Et una eademq; ipſa vis eſt, ratione tantùm differens. Nam quatenus Facultatis naturalis tria opera.

Nutritio. nus subjectum sibi materiam elementarem, immutat, & appositam partibus similem reddit, servatis iisdem in magnitudine terminis, eatenus vis ea nutrire dicitur.

Augmentatio. Quatenus verò ampliat, & partium terminos diducit, majoremq́ in molem attollit plus apponens quàm decessit, auctrix dicitur.

Generatrix. Eadem si superfluam alimenti partem partibus non unitam in semen commutat, aut seminis materiam, eamq́ postea in utero informat, in partes figurat, eatenus diaplastica, & generatrix appellatur.

Quid ea sit. Hæc ea est quæ simile sibi in specie procreat. Hujus actio est generatio: opus ipsum fœtus, & animal si in utero, planta, si in terra.

Necessitas. Eius generationis necessitas est in iis manifesta, quæ sempiterna non sunt, & esse possunt & non esse. Nam cum natura eius generis sempiterna esse non posit, quomodo fieri potest, eò sempiternum est, quod gignitur. Numero non potest, substantia enim rerum in singularibus est, quæ si talia essent, sempiterna essent, specie verò potest. Itaq. genus hominum semper & plantarum & bestiarum est 2. de ortu c. 1.

Generationis perficiatur duo principia. Generationis aut principia in perfectu duo mas & fœmina, in quibus omnia generationis tùm extrinseca, tùm intrinseca sunt primordia. Hæc non quocunq́ modo constituta esse necesse est, sed tria hac: Facultas efficientis, materiæ habilitas, & debita applicatio requiritur. Facultatis duo officia sunt, alte-

rare

rare & formare: illud prius, hoc posterius est. Forma non est, nisi in disposita materia & commoderata primarum qualitatum mensura, & idonea ad agendum subjecti præparatione. Neq; esse neq; agere in corpore anima potest quoquomodo temperato, ideoq; mutato tandem ad extremum temperamento morimur. Adjuvat enim temperamentum formæ actiones, sicut serra fabrum. Ita in omni generatione substantiali ab agente primum in materiam qualitates introducuntur, quibus ad formæ susceptionem instituitur, ex cujus cum materia unione fit ipsum compositum: Ex eodem est, quod in interitu ortui opposito qualitates eæ primum corrumpuntur, quæ vinculum sunt materiæ & formæ, eoq; ablato, & qualitatibus illis destructis, forma abit, & compositum etiam dissolvitur. Igitur facultas hæc seminis materiam primum alterat, tùm primis tùm secundis qualitatibus, ita sicut singularum partium & organorum ratio postulat: Os ut aridum & siccum est, à primarum qualitatum actione habet; Sicut quatenus os, ab informante. Ea autem est subactio quædam & quasi molitio materiæ seminalis, ad eam, quæ postea introducitur, formam. Membra alia sicca esse oportet, alia humida, alia mollia, alia dura, densa item, rara, levia, aspera, & si quæ aliæ sunt eorum differentiæ, eas omnes hic alterationis motus efficit, dissimiliter materiæ

Facultatis duo officia.

Alteratio cur prior cæteris.

Quid sit alteratio seminis.

partes immutantis. Aristoteles 4. Meta. c. 1. Videntur, inquit, in omnibus rebus calor & frigus determinare, tùm copulare, tùm mutare, tùm humida reddere, tùm exiccare, tùm durare, & mollire, tùm ea, quæ eiusdem sunt generis, quàm quæ diversi. Siccitatem verò & humorem determinari, aliasq; affectiones accipere. Hæc alteratio est.

2. Facultas plastica. Sequitur secunda agentis facultas, quæ certam induit materiæ partibus formam, non omnibus eandem, aptat inter se seiuncta, unit, componit, alligat, facit cavitates, & sinus, aliaq; efficit, quæ monstrorum ratio in forma, magnitudine, numero, situ expostulat. Perforat cutem, arterias spirituosas facit, nervos porrigit, torvat oculos, diducit labia, rotundam facit calvam, stomachum, vesicam, deniq; omnem varietatem ad certam pulcritudinem transfert, qualem licet oculis aspicere, & admiratur Hippocrates in lib. de natura pueri: Pulcerrimum hoc naturæ miraculum, & oblectabile spectaculum artificem omninò admirabilem arguit: sed dubitarunt sapientes quid

Naturæ miraculum.

Sententiæ de facultate formativa duæ. esset: Alij divinam virtutem & divinum opus, ignem artificiosum, alij naturam communem vocant. Duæ autem in ea re sententiæ: Alij externum motorem constituebant autorem præclari

1. operis, qui sine moveatur, & vel Deum, vel intelligentiam, vel colchodeam, ut Avicenna & Plato, à quo motore extrinseco foris in materiam

dist-

dispositam forma introducatur: Alij vim seminis internam agnoscunt, quoniam semen quod ex perfecte generante deciditur, & ab eo separatur, habet in se ea omnia, quæcunq; illud, à quo emanavit. Esse autem spiritum & calorem, & vim plasticam. Differre autem in eo, quod illud actu est, in semine est potentia. Excitata autem ea vi in utero & loco proprio, agere vim illam formantem per calorem spiritumq; ut instrumenta determinare humidum, attrahere, segregare, fingere, & cœtera præstare dum ad motus terminum perveniatur. Ita Aristoteles, Averrhoës & Philosophorum plerią; Galenus in lib. Met. ignorare se fatetur, & à Philosophis desiderare, multosq; se super ea re audivisse, nihil ab omnibus profecisse: sed videamus utrinq; rationes. Nam & his & autoritatibus utuntur: Galenus dubitat.

Primi igitur volunt, à forma separata, seu agente separato, sive mundi sit anima, sive colchodea formam produci & perfici animalia. Calorem verò materiam pro formæ introductione tantum disponere, pro materialis agentis conditione. Nam non omnia ex semine fiunt certo, sicut quæ spontaneum ortum habent, quod si verum est, quomodo virtus informans in materia est, quæ nulla est? Falsum igitur in semine esse formæ principium. Esset enim in omnibus. Rationes prioris sententiæ. I.

2. Secundo: dicere efficientem causam esse intrinsecam, eius causa naturæ videtur repugnare. Nam ut ex causis materia & formæ inest tantum, ita efficiens & finis extra rem sunt.

3. Tertiò: Axioma receptum est in Philosophia: nullum accidens producere substantiam: Ita enim agens præstantius esset suo effectu, sed contra imperfectior est accidens omne quam substantia: Est autem calor, & virtus in semine, quoniam inest, accidens. Non igitur animal generabit.

4. Quartum huic affine quodammodo: Nulla elementaris qualitas, quæ homini cognita sit; figuræ tùm variæ, magnitudinis & numeri definiti, situs convenientißimi, œconomiæ deniq; partium omnium causa esse potest, quoniam in cæteris naturæ actionibus nihil potest tale. Referri videntur Philosophi verba in 2. de gener. ani. c. 1. Quemadmodum non securim, non aliud instrumentum dixerimus factum esse ab igne solo, sic non pedem, non manum, eodemq́ modo ne carnem quidem. Nam eius quoq; aliquod officium est. Dura igitur mollia, lenta, rigida, & quicunq́ alij affectus sunt in partibus animatium à caliditate frigiditatéve effici possunt: At ratio, quâ jam caro aut os est, non potest, quomodo in iis quoq; agitur, quæ arte efficiuntur. Ferrum enim durum aut molle efficitur, calore vel frigore. At

vero

verò ensis á motu instrumentorum, qui artis obtinet rationem. Galenus etsi varius est in hoc argumento, sic tamen in eundem sensum: 2. lib. de temper. Quo mihi minus videntur rectè facere, qui tàm temerè de rebus magnis pronunciant, & soli qualitatibus formandarum partium causam assignant. Consentaneum est enim has qualitates organa esse formatorem verò alium & alibi. Artificium video, artificem non video. Quid? quod & cæteræ plurimæ actiones non videtur posse calori tribui, quod tamen fit vulgo. Alimenti in viventibus attractio, si à solo calore elementari fieret, quidlibet attraheret. At partes videmus attrahere aliud atque aliud, quamq; quod sibi familiare & conveniens est. Ignis, oleum stipulam, lignum indifferenter, & nullo delectu.

Autoritas Galeni.

Calor non videtur esse causa naturalium actionum.

5. Quintò tuentur se primum Platonis autoritate, qui negat materiam seipsam informare, sed informandum se alteri extrinseco subycere. Deinde & Aristotelis, ut patet ex loco jam citato, & in lib. de mundo ad Alexandrum, & in t. de anima c. 5. Atq; isti quidem sic; Sed Græci & peripatetici omnes contrarium; apertè dissentit Aristoteles in 7. Metaphys. ubi inter alia docet: Idem agens esse disponens materiam, & ipsam formam in materiam inducens substantialem, ut nihil absurdi sit calori attribui non soli, sed qui virtute animæ ut agentis principalis seminalem

Rationes alterius opinionis.

Facultas plastica nō est extra semen.

materiam & disponit, & informat. Non ab agente separato, qui cum incorporeus sit, ut intelligentiæ omnes, contingere materiam non potest, nec transmutare, quoniam sine contactu hæc non fiunt: Contactus autem inter corpora est. Creari verò de novo non concesserit Philosophus, qui illum existendi modum non recipit, ob illud, quod alibi tuetur dogma, omne quod de novo fit, per motum fieri. Ita externum motorem separat, & ponit internum. Verba ipsa sunt in 2. de gen. cap. 1. Hoc loco non ex quo oriantur partes, sed à quo generentur, quærimus: Aut enim extrinsecum aliquid, aut in semine insitum agit, idq; aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam. Sed ab aliquo extrinsecus agente effici quæq; aut viscera, aut alia membra, remotum à ratione videtur.

Non movet quod non tangit. *Fieri enim non potest, ut moveat, quod non tangit, & quicquam ab eo, quod non moveat afficiatur. Igitur in ipso conceptu aliquid jam inest, quod aut pars eius sit, aut seorsim cötineatur. Sed aliud quippiam esse adjunctum, irrationabile est. Multa ibi præterea arguté. Eadem in 1. de Elem.*

Galenus. *Galeni videtur esse sententia, qui nullam videtur in rebus aliam formam à temperamento agnoscere, quod sensit, & in eo libro, in quo ostendit mores sequi constitutionem corporis. Dubitavit autem de anima l. 2. de causis symptom.*

c. 6.

c. 6. & l. 3. de locis affect. & lib. de subst. facultatum naturalium, & l. 15. de usu partium, de fœtus formatione c. 22. & comm. 5. in lib. 6. Epidem. Accedit his ratio. Naturæ & artis opera differunt, quod sicut ars principium est in alio foris: Ita natura principium in ipsa 2. Phys. quo sublato idem erit artis & naturæ principium. Ars inquit 2. de ortu c. 1. principium eius, quod efficitur, sed in alio. Motus autem naturæ in ipso est, ab altera perfectus natura, quæ actu obtinet formam. Averrhoës ibidem in paraphrasi sua: Quod est, inquit, quod fœtum gignit? Est vel extrinsecū. vel intrinsecū? Extrinsecum pōere falsum est, cum impossibile sit quicquā extrinsecū aliquid movere, quod non tangat, & ubi non est tangens, ibi nec alteratio. Quod si quæras, quæ ergò ea vis sit in semine, explicat se ulterius 2. de gener. 3. Inest in semine omnium quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idq; non ignis, sed Spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum, quamobrem ignis nullum animal generat, neq; constitui quicquam densis vel humidis vel siccis videtur: At verò Solis calor & animalium non modò qui in semine continetur, verum etiam, si quid excrementi sit, nunquam diversum à natura, tamen id quoq; principium habet vitale. Patet

Ars & natura differunt.

Averrhoës.

Aliud agit calor ex se, aliud animæ additus.

ex his, non calorem per se, sed ut animæ est instrumentum, & minister hæc tot & tanta in generatione animalium perficere. Quatenus calor est, agit, quæ caloris naturam insequuntur. Sed calor animæ additus in coctione generationeq; fœtus certam definitamq; in agendo mensuram accipit, quod item Philosophus assignavit 2. de anima. Omnium natura constantium, quæ augentur, terminus est incrementi, id autem animæ est & formæ, non autem ignis. Hæc igitur vis superior est in toto opere, quæ calore cæterisq; qualitatibus utitur quidem, sed cum lege, & hoc modo producendi substantiam, manum, pedem, quam ex se non haberet, accipit ex semine subjecto, totamq; animalis constitutionem absolvit. At si ab anima sejunctus esset cum nihil ultra gradum proprium agat, condensaret, molliret, rarefaceret, substantiam verò non produceret. Simplici enim formæ dum servit, actio eius simplex est; sed cum se ei accommodat formæ, cujus facultas nobilior & multiplex est, multa agit, eaq; omnia, ad quæ illum forma principalis deducit, qualis est anima: Alius igitur hic calor est in vivente, alius in Elemento. In elemento enim intemperatus est, & vehemens, adurens, absumens, non generans, in vivente moderatior jam & ad temperamentum reductus. Deinde ut calor ignis ab ignis forma agit, quæ procreationi non est idonea, ita agendi mensu-

Simplicis formæ simplex actio.

Calor alius elementi, alius viventis.

mensuram & modum in vivente habet ab anima, à qua & vita & ipsa viventia generantur. Vt igitur generationis autor est, accipiendus eiusmodi calor, qui virtute animæ dirigitur, cujus instrumentum est, quod itidem de eo elementari igne fit, qui in foco cibis coquendis adhibetur. Nam si suæ naturæ relinquatur, aduret & corrumpet cibos, sin ita ut debet, & quantus ac qualis arte applicetur, ne modum utrinque excedat, sine vitio coquit. Quæ si rectè accipiantur, apparet, non esse absurdam Philosophi sententiam, de intrinseco agente naturali, maximè si naturam & caloris & spiritus investigamus. In eodem sunt duo hæc: ratione discernuntur, dum coquit & alterat, calor dicitur, cum distinguit, format, & ἀνάδεσιν efficit, spiritus vocatur. Hunc spiritum architectum agnovit Hippocrates articulationis in lib. de natura pueri. Hæc omnia á spiritu, inquit, articulantur. Nam inflata dissparantur omnia juxta cognitionem. Addidit elegantissimum simile. Si velis fistulam vesicæ alligare, & per fistulam immittere in vesicam, terram & arenam, & plumbi tenuia ramenta, insuperque infusa aqua in fistulam inflare, primum quidem illa aquæ permiscentur, deinde verò ten poris progressu inflata secedent, & abibit plumbum ad plumbum, arena ad arenam, terra ad terram. Inesse autem spiritum hunc patet, non modo à calore, Calor & spiritus iidem. De Spiritu. Quod insit Spiritus.

sed & quia sine spiritu semen non eijcitur, & ad spermatica vasa anteria una ampla lata, præcipuè circa testes, utq; in vena, quæ ibidem est sanguis pro spermatis elaboratione præparatur, ita in arteria spiritus eodem fine. Ipsa quin etiam vasa semen ejaculantia permultas & venas & arterias habent. Vis eius tùm in recipiendo, tùm afficiendo alia, atq; agendo inexplicabilis est. Nam qui in toto est; singulis in partibus peculiare quippiam efficit, calefacit, coquit, digerit, excernit, movet, sentit, agitat omnia, cujus signum, quod quæ pars eo destituitur, in ea non fiunt, sicut Sol quæ penetrare non potest, nihil generat. Illabitur ille continenter, sed pondere & mensura justa, & quidem ad omnia & subitò, deniq; nulla absq; eo vita & vitæ operatio. In generatione autem quatuor ei asscribit Conciliator.

Vis spirituum admiranda.

In generatione 4. officia spiritus.

1. *Primum quod dissolvit, & extendit humidum seminis virtute caloris sibi additi, ut varias possit formas suscipere.*

2. *Alterum est, spiritus etiam permeat minima & cavitates, meatusq; vasorum facit, in corde ventriculos, itemq; in cerebro, ventriculo, intestinis, vesica, venis, arterijs.*

3. *Tertium, quod vim formativam ad singula defert, præsidem operis.*

4. *Quartum separare superflua undiq;, ut liberum*

berum transitum habeat, & illuminare omnia posit, ut lucerna solet. Est enim Sol corporis.

Postremum etiam hoc spiritus est facultatem vivendi & augendi tribuere. Omnia enim spiritus beneficio fiunt, ab hoc vigent triplices illæ virtutes: animales, vitales, naturales. Plura de spiritu Hippocrates in libro de flatibus. Principium igitur formationis anima est, organa verò calor & spiritus, qui certè cum ab ipsa anima generantis agendi characterismos accepit, quantum valeat in formando eæ impreßiones notarum & imaginum variarum docent, quæ imaginationis motum consequuntur. Docet etiam partium in monstris informis species, quæ tùm in massa relinquitur, cum spiritus materiæ vitio per omnes eius partes æqualiter se insinuare non potest, aut copiosius aliquò ruit, quod cum fit, plus attrahit, quā Oeconomiæ regula postulat, & hinc pars aliquando una major supra modum est. Tantùm igitur valet in his spiritus. Quod si hoc addatur, informantem hanc virtutem rationis per se expertem à Deo, & primo motore dirigi, nihil potest desiderari, aut dici amplius. Nam natura, cujus actiones finitæ tantùm sunt, esse prima causa non potest. Causam igitur habet, & cepit, quod primum est, á se est. A quo autem natura est, ab eo etiam dirigi credibile est. Nihil enim sine causa, sed sapienter facit. Itaq. ordinem naturæ, & sapien-

8.

Principium & organa generationis.

Virtus informans divinitus regitur.

ſapientiam oſtendit, quoniam à divino numine ducitur; Ac primum quidem eiuſmodi eſt.

Alterum principium materia eſt.

Alterum principium materia eſt. Omnium quippe rerum naturalium materiale aliquod principium eſt tùm commune, tùm proprium, quod patet, quoniam ex nihilo nihil fit, & omnis transmutatio tendens ab uno oppoſito in aliud, ſubjectum poſtulat, in motuum generibus omnibus naturalibus, artificialibus, ſubſtantialibus & accidentalibus viventium non viventium. Id autem eſt ex quo, aliquid producitur. Viventium autē materia γονὸς & γονὴ, σπέρμα, κύημα, quibus indifferenter veteres aliquando uſi ſunt, aliquando de diverſis. Diſcreviſſe videtur Ariſtoteles l. 1. de gen anim. c. 18. Alia inquit, ex contrariis oriuntur, mare dico & fœmina, alia ex uno tantum, ut plantæ omnes & animalium nonnulla, in quibus non diſtinctus ſexus eſt maris & fœminæ.

Genitura.

Genitura igitur id vocatur, quod à generante proveniens cauſa eſt, quæ prima obtineat generationis principium in iis videlicet, quæ natura coire voluit.

Semen.

Semen autem eſt, quod ex ambobus coëuntibus illis originem trahit, quale ſemen plantarum omnium & animalium nonnullorum, in quibus ſexus diſtinctus non eſt, velut id quod ex mare & fœmina primum miſcetur quaſi conceptus promiſcuus quidam aut animal, & ſic Hippocrates vocat primū menſibus duobus:

tùm

tùm ἔμϐρυον est 1. Sympt. cauſ. 7. Sed videtur omninò Ariſtoteles pro materia non virile ſemen agnoſcere, ſed quod fœmina confert. Nam illud miſtum materiæ fœmineæ ad molem quidem corporiſq; conſtitutionem nihil conferre, ſed motum tantùm & vim tribuere. Quod enim agit in eo quod efficit, non ineſt, nec omninò ex eo quod movet, & quod movetur, quicquam conſtituitur. Fœmina igitur, qua fœmina patiens eſt, mas qua mas agens, & motus principium. Ita mas ad generationem confert Philoſopho, ut principium motus, fœmina materiam ſuggerit. Sed repugnant huic ſententiæ medici, quibus videtur, primam fœtus conſtitutionem ex maris ſemine eſſe, & albas exangueſq; partes, ſolidáſq; cæteras ab utroq; formari, quas ſpermaticas ob id vocant, atq; ideo confluere in conceptu ſimul ambo, ex ſanguine vero reliquas partes & gigni primum & deinde ali augeriq;. Eius verò illud etiam ſignum, quod à conceptu ſtatim attractum ab utero ſperma non modò retinetur, ut exitus non pateat, ſed membranis foris undiq; concluditur, ut pateat ad conſtitutionem animalis referri. Quod ſi negatur, non apparet, quomodo ſolus ſanguis menſtruus, qui duci ob craſſitiem, & figuras ægrè recipere ob fluxibilem ſubſtantiam poteſt, primò illi partium ortui ſufficiat: idq; omninò probabilius; Neq; ſemen adimi matribus, in quo etiam agendi

Ariſtotelis materia fœtus quæ

Medici materia utrumq; ſemen eſt.

Matres tamen conferre.

gendi facultas aliqua sit, ob multa posse videtur.

1. *Sunt enim nonnullæ ita fœcundæ natura, ut non modò facilimè concipiant, sed à senibus etiam & propè effœtis maritis, quod non potest alio, quam ad naturalem, quæ in ipsis est, & seminis materiæq; ab ipsis fluentis fœcunditatem referri.*

2. *Habere autem illas semen, vasa docent in eo sexu seminaria, & testes, qui dissecti pleni, ut virorum solent, semine sunt.*

3. *In fœminis etiam & virginibus, cum nubiles sunt, & supra ætatem abstinent, semen retentum non modo oneri naturæ est, sed in alienam qualitatem degenerans gravissima symptomata gignit, à quibus cum viris junguntur, salubriter liberantur.*

4. *Accedit quod ex pruritu locorum vigilantibusúe sponte nonnunquam semen copiose effluit. Ex hoc fortasse ij morbi in fœtus propagantur, quibus matres, dum gerunt, obnoxiæ fuerunt.*

5. *Suffragatur & similitudo, qua matris potius, quàm patrum lineamenta referunt, semini aut figura primum statim imprimitur, quanquam hic persæpè imaginatio etiam multum valet. Vnde & naturalis illa liberorum in matres & matrum in illos affectio: nisi id sit, quod Galenus scribit, paulò plus fœtum à matre quàm à patre accipere:* Vrget

Vrget etiam hoc eos, qui contra sentiunt, quod cum naturalis facultatis officia tria sint, nutrire, augere, & simile sibi gignere. si ad generationem facultatis nihil confert, duæ tantùm in fœminis erunt, aberit tertia & in viris tantum. Itaq; ex his quidem verisimilius fuerit ab utroq; facultatem, ab utroq; materiam communicari fœtui, nisi quod dari debet plus facultatis à viro transfundi, à matre plus materiæ, hoc est, non semen modo, sed & sanguinem, quo alitur & augetur conceptus. Semen quod decidit, generationis etiam causa est, sed sanguis auctionis & incrementi principium, unde corpus ex fœmina esse Aristoteles dixit, animam à mare. Sanguinis autem naturam in causa esse, cur permulta animalibus eveniant, tùm per mores, tùm etiam per sensum, ratio est, teste Philosopho 2. de par. 4. 6. Ab utroq; sexu & facultas & materia.

Semen hoc utrumq; fœcundum esse necesse est, sanguinem item non improbum, ut totum secundum naturam conceptus constituatur. Fœcundum est, quod calidum, aëreum, spumosum, concoctum, & crassum, mediocriter sufficiens item, & cœteris qualitatibus enormem excessum non habens. Quò enim temperatius per totum, hoc magis secundum naturam, & suavissima omnium in eius emissione voluptas. Calidum dixi semen, quoniam frigidum, ut infœcundum, ita ut cœtera ineptum est. Debet autem concoctum esse & crassum, Materiæ cõditiones. Semen quale optimum.

crassum, quia id formas commodius accipit, tùm quoniam in ossi promptè concrescens indurescit, tùm quia extendi in neruos, dilatari in venas & in quasuis formas caloris spiritusq́ opera distendi potest. Semen etiam concoctum calidius quale id quod spissum. Tenue autem frigidumq́ citò diffunditur, & summa innatat, si in aquam sit infusum, sicut quod fœcundum, in imùm descendit: sufficiens aut nisi sit, formandis omnibus partibus non satis est, sicut cum abundat, aut in plures fœtus abit, aut partes ex eo supervacaneæ gignuntur, ac utroq́ monstrorum certæ differentiæ fiunt.

Semen igitur tale esse oportet, ut projectum in uterum, vel in aliquid, quod proportionem uteri habet, non attractum modo, sed & receptum & retentum ibi clauso utero, facta utriusq́ justa commistione, materia animalis esse potest, cum facultas in ea latens excitatur ad agendum. Atq́ hoc alterum principium est.

3. Locus. *Tertium quod in ortu perfectiorum animantium magnum habet momentum, locus est. Est autem qui continet aliquid, ut aqua piscium, lacus ranarum, tellus arboris, & vel proximè, vel communiter.* Locus duplex. *Proximè qui unum tantùm & immediate. Communiter qui plura, ut sylva locus omnium arborum. Loco autem virtutem quandam inesse docent Philosophi, omniaq́ in suis locis conservari*

veri integra, in alteno destrui. Habent alia aliam sedem ortus & vitæ suæ, atq; ut alia nidos, cavitates arborum, foveas & latibula, aquam, ita perfecta uterum & involucra, quibus ambiuntur. Locos vocavit Plinius, alij vulnem & matricem, quod matres efficiat ὑστέρα etiam & δελφὺς. In loco virtus quædam.

Vteri officia quinq; I. Corpus à menstruo sanguine liberum reddere. II. Semen virile, & quod à fœmina in eum affluit, accipere. III. Continere & amplecti undiq;. IV. Fovere temperie sua certa aliqua, ut fieri generatio possit. V. Pellere fœtum cum maturus est & emittere. Nulla igitur uterus fœtus pars est, sed concausa eius quædam, perinde ut terra stirpis nulla pars, sed soliditatis principium, deinde id, in quo formatur, nutritur, augetur. Ita certè fœtus utero eget, certè extra uterum semen nihil potest, duabus de causis. Primum quidem, quoniam extra locum suum. Deinde, quia adjumento eget, ut arbor hyeme. Quare neq; granum extra terram germinat, neq; semen in viro & testiculis, multo minus in alembico illo Paracelsistarum, aut aliter servatum à succubis & incubis spiritibus: sanè etiam formationem adscribunt non ignobiles autores utero, ab eodem seminis spiritum tenuiorem reddi ab eius calore, & dum extra tenuitas seminis ab eo in vapores agitatur, & in nervos semen compingitur, interdum in spirituum agi. Etsi nihil uterus facit, cur fieri- Vteri V. officia. Fœtus utero indiget duab. de causis. 1. 2.

Ab utero sterilitas.

sterilitatis multæ ab utero causæ exponuntur, cur effœta matrix nihil potest & emortua, cur supra modum intemperata? ἀποσβέννυται γὰρ ὁ γόνος, si intemperato utero accipiatur, ut est 5. Aph. 62. quem locum Galenus copiosè exponens, ostendit, quales uteri intemperaturæ, tùm ad conceptionem, tùm ad generationem, aut sint accommodati aut repugnent. Nam non quælibet constitutio eiusmodi, nec eius quælibet figura, aut capacitas sufficit. Itaq; non capit tantum fœtum & semen, ut vas aquam, sed fovet suo calore, & sanguinem caloremq;, cum his etiam spiritum communicat, & facultatem in semine latentem vi & proprietate sua insita excitat. Hippocrates in lib. de spermate & fœtu uterum agro assimilat: ut enim terræ, si fabulosa sit aut palustris, aut immoderatè calida, frustra committuntur semina, ita in siccis locellis & aridis, aut supra modum humectis, vel aliter intemperatis, eiusmodi solent accidere. Ex quo & teste Platone in Theæteto obstetricum olim munus fuit, apta ad liberorum procreationem conciliare corpora, simulq; internoscere immodicas in utrisq; discrasias, ne cum similibus copularentur. Aristoteles in eandem sententiam, quamvis videtur de totius corporis statu non uteri tantum affirmare, sed nihil impedit. Sic aut l. 7. pol. c. 16. Vt quæ ex terra gignuntur, sic fœtus ex prægnante matre, bona, malaq; con-

Vterus nõ capit tantum.

Vterus ager est.

Apta ad procreandum corpora eligere.

contrahunt. Ergò tria hæc, facultas agens, & materia seminalis, & locus si rectè & secundum naturam se habent, fit etiam generatio, ut solet fieri & decet, & conceptio secundum naturam, modo & extrinsecus nihil interveniat. Nam & illa rite comparata esse oportet 1. Aph. 1.

Iam in horum maximè principiorum perturbatione monstrorum ortus est positus, oppositorum quippe oppositæ sunt causæ, & qualia sunt, ex quibus quodq; oritur, tale & ipsum est, & ex integris integra, ex depravatis, depravata, sicut ex vero verum, ex falso falsum concluditur. Quoniam igitur effectus mutari possunt, mutato vel agente, vel materia, vel quæ motui annexa, etiam in monstris videamus, quibus ex vitijs horum principiorum degenerent: Principiorum perturbatio monstra facit.

1. Monstra læsa facultate & organo.

Primum igitur caput est, si facultas non sit idonea, vel ex se, vel instrumentorum suorum inhabilitate. Imbecillitas aut ex totius corporis affectu, aut partis principalis sive sit epatis vel testium, rursus etiam vel cum morbo, vel cum foris nullus se morbus ostendit. Qui verò facultatem illam divinam faciunt, negant ab ea errorem admitti posse, quod vis ipsa ab omnium rerum sapientißimo opifice condita sit, & dirigatur in agendo semper idcirco rectè, non deviat ex se, nisi cum vel organum nacta est non commodum, vel materia in quam agit vitiata & contumax actio-

nem eius non accipit, nec obedit, quod cum fit, non illius sed horum fieri culpa existimandum est. De hoc quicquid sit, quoniam in spiritu, caloreq; ea facultas se potissimum exerit, in his causam esse nonnunquam non videtur improbandum. Est qui-

1. Spiritus morbifi/cus.

dam in semine spiritus morbificus, qua voce corruptio significatur aliqua, quæ esse in eo aquè ac in humoribus potest, & si possunt dissolvi prorsus, etiam labe aliqua, quod facilius est, pollui. Qualis cum è semine non salubri oritur, nihil mirum si in fabricando aut ordinem, aut tenorem non observet, & fingat, quod fingere aut quomodo non debet, sicut cum in oculo facultas læsa est, videre nos putamus, quæ nusquam sunt.

2. *Deinde fieri potest, ut inæquali seminis substantia etiã spiritus dissimiliter vel excitetur vel distribuatur. Nam si quæ pars materiæ spiritũ neq; habet, neq; ob ineptitudinem admittit, ea ab illo agi formariq; non potest. Quod si quando accidit, vel partes non formantur, ut in mutilis nonnunquam, vel situ mutato distorta membra aliter nascuntur.*

3. Seminum diverso/rum speciè confusio.

Addamus & tertium. Vnius seminis insitam vim ab alio admisto, quod eiusdem naturæ non est, & illius facultati contraria est in agendo impediri, ut dispensare pro arbitrio, & dominari in alternandi formandiq; opera non possit tendente utroq; ad formam sibi convenientem, sicut cum

sibi

sibi relicta est. Huic incommodo multa monstra debemus, quæ ex diversorum animantium & multum differentium licentioso concubitu & legibus divinu, humanisq; prohibito, confusisq; varijs seminijs, orta viderunt vetera, nostra verò secula frequentius: sed ut ipsorum spirituum tota Essentia, ita læsionum modi, & motus ignoti plerumq; sint, ut minus etiam apertè, ubi delinquatur, appareat.

Facultati certè serviunt primarum qualitatum energiæ, calor inprimis, cujus multa argumenta sunt: Primum, quia natura in rebus constituendis & movendis organum est, neq; ortus tantum, sed in conservanda re; In calore vita viventium, in frigore mors. Deinde quia facultas ista duo in se habet, materiæ præparationem, eiusq; figurationem, prior caloris maximè est. Tertio, quia sexus causa esse putatur, hoc inter cætera signo, quod novella ætas & senescens ferè fœminas gignit, validior masculos, ut est 4. de gen. 2. In altera enim calor nondum perfectus est, in altera, sicut in senibus deficit. Sed quia omnia, quæ vel natura vel arte efficiuntur, ratione aliqua fiunt, propterea & hic moderatio intercedat necesse est, neq; enim quivis calor generationi commodus. Alia enim vis eius in unione principiorum cum res generatur, alia in dissolutione, cum deficere res incipit.

Gradus calidi. *Certus gradus sit oportet calidi, ut anima sit in corpore, & agat, & elaboret, itidemq́ hic etiam. Sicut ergo in vivis calor facit vegeta, magna, alacria, colorata, si valet, sin minus, ignava, pallida, sic in ortu primo idem adjuvat actiones & impedit. ob id dicit eodem in loco Aristoteles, calor si valde superat, exiccat humorem, si multum deficit, non concernit, sed medij rationem ad rem condendam servari requiritur, alioqui ut in ijs, quæ igni coquuntur, plus ignis deurit, minus non concoquit, ac evenit utrinq; ne quod agitur, perficiatur. Sic in coitu maris & fœminæ moderatiõe opus est, hinc multis tùm maribus, tùm fœminis evenit, ut conjuncti nequeant inter se generare, disjuncti queant. Magis ad rem etiam, quæ scilicet in 4. de gen. anim. c. 7. Afficitur conceptus eodem modo, quo ea, quæ inquinari dicimus cum elixantur, nec per calorem, ut quidam volunt, sed potius propter caloris debilitatem. Natura enim de vita certare videtur, nec posse perficere, finemq́ generationi imponere. Et iterum clarius l. 2. de gen. an. c. 4. Inest hic calor in seminali excremento, tantam talemq́ habens motionem, & actionem, quanta modicè ad quamvis corporis partem accommodetur: Quod si vel deficit, vel excedit, rem quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam & mancam. Similiter ut in ijs accidit, quæ foris igne coquuntur ad cibũ aut ad aliũ usum, sed in ijs motum caloris nos moderamur, in*

illis naturā gignentis accommodat. In 2. de part. 7. universaliter ad exequenda animæ officia calor omnium maximè administrandi vim habet. Colligi ex his potest, ametriam caloris vitiare solere corpora iis modis, quibus infra peculiariter docebitur. sed eius imbecillitatis in calore inter cætera signum est, quod excrementa, quæ collecta in fœtuum intestinis sunt, fœtent in monstris plerumq́, in cæteris non item ut anatomici nos monuerunt. Fœtor autem creditatis signum, hæc caloris non satis firmi. Alberto autem visum fuit à nimio calore pinguedinem inusitatam, & molem monstrosam, à frigore parvitatem & exilitatem totius vel membrorum existere. Idq́ tantò magis, si quid ab utroq́ sexu secedit in fœtū, ea anomalia laboret, sicut minus, si quod uni inest, corrigitur ab altero. Peccatur secundo in materia, pro cujus conditione nascitur animal, quod ei potestate inest. Intelligendū aut primū quidem semen virile, deinde & mulieris, tertio quod alimēti loco & ad incrementū accedit. In singulis sua vitia possunt accidere, perindeq́, sicut non ova quælibet incubanda subjiciūtur, ita nec semen quodlibet ad fœtum utile, aut alimentum ut augeat. Quare nec omnis ætas, nec singula in speciebus individua ad generandum sunt idonea. Pueri ἄγονοι sunt. senes etiam & ægri, aut certè corruptum crudúmve, quoniam vel sanguis paucus, vel morbosis excrementis cum admiscetur, utile fœdant.

Ametria caloris vitiat.

Fœtor.

2.

Materiæ vitia.

Materia duplex.

Cum semine effluunt excrementa. *Excernuntur enim excrementa cum semine. Vnde morbis à pituita coitum præcipiunt, & sic distillationes Timochares emendavit, ut est 5. Epidem. Aristoteles etiam testis 1. sect. probl. 51. & 4. sect. probl. 17. immodicam libidinem morbis qui contrahuntur à pituita prodesse, quod semen genitale excrementi cujusdam detractio sit, ideò & naturam pituitæ præ se ferre. Et quia multum pituitæ concubitus detrahit, idcirco conferre.*

Fecit mentionem vitiorum materiæ etiam Philosophus sect. 10. probl. 60. Peccat, inquit, vel in uno semine, ut pluribus. In pluribus quidem, si in utero, commisceantur. In uno etiam, si Quot modis materia est. *in emissione dividatur. Sunt tamen plura etiam alia, quæ sic enumeremus.*

1. *Primum in universum hoc est materiæ, si vel semen, vel quicquid ad fœtus constitutionem datur, eiusmodi est, ut superari & vinci à natura formæ & à vi agentis ad similitudinem tribuendam non potest, sive ab uno tantum hoc, sive ab utroq; accidat. Hoc est Aristoteli causa, natura formæ naturam materiæ non superat.*

2. *Secundum: si materiarum plurium differentium naturis & proprietatibus fiat commistio, ut bruti & hominis, qua principium similitudinis deleatur necesse est. Nam ut ex uno solo semine non fit generatio in perfectis, ita nisi quæ miscentur*

tur familiaritate iuncta sint, aut nihil oritur, aut monstrosum quippiam.

Tertium, si abundet semen & copiosius sit, quàm pro tot partibus & iusta magnitudine conveniat. Et quia quantitas aut est totius corporis respectu, aut partis tantum, ob id vel in toto peccatur, vel in partibus certis. Nam si in copiosissima materia vis plastica fortis insit, gigantea corpora produci solent. sin aliter, partes plures & geminæ interdum, & trigeminæ adnascuntur, aut augetur una pars aliqua supra modum, aut fit, quod abesse prorsus debuit, in quibusdam fit utrumque, ut & membra quædam habeant grandis, & quadam nihil ad corpus attinentia, quamvis fieri poterat. illud prius esse à semine, hoc posterius ab alimenti affluxu. Quin & ex eadem seminis quantitate plures sæpè fœtus esse solent, & hi quidem aut disiuncti, aut si quid ruptum, confusumque sit, adnati. In copia igitur tot modis erratur, ut aut moles sit insitata, aut partes auctæ numero, aut alienum quippiam adnascatur, aut fœtuum sit pluralitas. Nocere videtur etiam undecunque affluentis nimia copia, & confertim sanguinis, è quo alitur fœtura, & confunditur prima materiæ dispositio, & partium Oeconomia. 3. A copia quod in plura monstra.

Quartum: si modicum semen sit, neque partium numero, neque iustæ moli sufficiens. Tum solet 4.

aliquid, vel ut pars necessaria absit, ut in mutilis, vel ut satis magna non sit, & si in toto id accidat, Pygmæi dicuntur.

5. *Quintum: Si crassius sperma est, in quo genitalis vis obruitur & suffocatur, ut se promovere ad figurationem non possit commodè, & ut satis est, idq; fit, ubi sicca valdè testium constitutio est. Nam cum extremè crassa est, mola fit, prorsus intercepta agentis facultate ab humore concoctu difficili & crasso. Ita si sic crassa est, ut aliquid agenti relinquat, deformari fœtum contingit, colluctante motore cum materia, quæ non obedit, & radios suos non valente explicare, ut sol in nube densa. Sextum: si crudum, aquosum, tenue, quale delineationem non fert. Vnde 7. Hist. I. Semina in fœcunda esse dixit tenuia, fœcunda, quæ grandinis speciem referant. Is humor est à mala in visceribus digestione, in ægris & senibus, in pituitosis, cacochymis, pueris, ob ætatem. Serosum igitur semen malum ob id, quoniam liquidius distendi in venas, nervos, arterias, & concrescere in solida non potest. Id & cito excernitur, & sine delectatione & caret consistentia.*

7. *Septimum est, si corruptum morbo aut affectu aliquo corporis, ut lue gallica, ut dyscrasia viscerum alia. Ex tali enim cadaverosa, confusa partibus, & variè polluta monstra nasci verisimile est, de quibus agit etiã Philosophq sect. 4. Probl. 13. Quod*

13. Quod enim sic corruptum est, propemodum semen non est hoc, sed alienum, & aliud ex eo, quàm ex probo nascitur. Nam id ita fieri in plantis Varro docuit lib. 1. c. 40. Semina videre oportet, ne vetusta sint, exacta aut non sint admista, aut ne sint propter similitudinem adulterina, semen vetus tantum valet in quibusdam, ut naturam commutet. Nam ex semine brassicæ vetere sato, nasci, ajunt, rapa, & alia: ex raporum brassicam. Aliud ex corrupto quàm probo semine.

Octavum est, si seminis in substantia magna inæqualitas est, non uniusmodi, idq; rursus vel in uno tantum, vel in altero etiam. Nam hujus vim esse non minimam patet in cœteris rebus tùm naturæ, tùm artis. 8.

Ad extremum, si materia continua non maneat, sed in motu dividatur, sive tum ea fiat distractio, dum in uterum injicitur, sive agitatione intus facta. Cum enim humor motum habet, & impigerit, finditur, & fœtus concrescant, aut integri, aut partibus, quemadmodum solet fieri in fluviorum verticibus, cum humor fertur, si quid obstat, ex uno aquarum concurso duo fiunt. Sic si conceptus agitetur, partesq; divelluntur, non cohærent in fœtu, quæ debent. Ad id facit, si tardius semina confluant, subsequēte aliquanto post fœmineo, ad quam tarditatem, causam etiam ij prebent, qui ita Venere utuntur, ne quid in utero 9.

con-

concipiatur, in quo magnum scelus est. Huic vicinum est, si materiæ plurium fœtuum ita vicinæ sint, ut quemadmodum in pauca videmus duobus sæpè etiam pluribus, sic in illis extremitatibus sese contingentibus adhærescant. In materia igitur ratio monstrorum verè talis est.

3. Tertium est locus continens: duplex is, mediatus & immediatus, uterq; suam vim in his habet. Locus mediatus uterus est, immediatus secundinæ, quibus proximè ambitur fœtus. Uterus naturæ ager quidam est, & divina illa Favissa, in qua thesauri matris nobilissimæ conditi. Nulla autem pars pluribus morbis videtur implicata, quam hæc ipsa, & duabus de causis. Primum quidem propter mensium & corruptissimorum humorum continuum affluxum. Deinde propter partuum difficultatem. Actio eius tripliciter patitur, aut enim tollitur ex toto, & fit sterilitas, aut imminuitur, & abortus sequuntur, aut corrumpitur, ut cum mola & monstra fiunt. Corruptæ actionis causa vel matura est, vel ab externo. Sunt autem ut in cæteris partibus, ita in utero tria morborum genera, intemperies, vitiosa conformatio, unitatis solutio. Sed ut monstrum sequatur enormis in singulis lapsus fit necesse est. Uteri intemperies potest esse multiplex, hic insignis. Frigida non finit plenè perfecteq; in actum perduci semen, sed extinguitur genitura, sicut & in nimio

Uterus quid in monstris.

Cur tot morbi uteri.

Patitur tripliciter.

1. Morbus intemperies.

nimio humido. Siccior & æstuosus uterus, ut in immoderatè ardentibus exuritur. Hæ similesq́ ex primis qualitatibus exuperantiæ sive simplex sive composita, quemadmodum omnem conceptionem impedire potest, ita conceptum quod est, possunt facere morbidum, & corrumpere.

In conformatione etiam peccatum reperitur. Vterum, quamvis fundo vesicam repræsentet, negant tamen figuram certam habere, sed fœtui cedere, eiq́ se accommodare. Nihil obstat tamen eiusmodi esse, quæ justam seminis infusionem prohibeat, si osculum distortum, aut male conveniat, aut quodammodo incurvum sit, aut pars illa muliebris præter naturam aliter se habuerit, quæ vitia sunt conformationis. Nam in utroq́ sexu partes generationi destinatas rectissimè sibi invicem respondere necesse est. Quod si igitur uterus in figuram fœtui convenientem dilatare se non potest, fit hoc quod in fictilibus videmus operibus, ut quicquid infunditur, eandem figuram repræsentet. Certè poma si vasculis dum tenera sunt, includuntur, neq́ justa incrementa sumunt, neq́ aliam à vasculorum figura formam accipiunt, itemq́ in catellis faciunt, qui delicatos educant. Omninò igitur proportio sit aliqua necesse est. In magnitudine eadem est ratio, cujus quamvis nulla certa quantitas est, sicut stomacho & hic pro aliorum copia ille à fœtu in prægnante distru-

2. Morbus in conformatione.

distenditur, non potest tamen in immensum augeri, aliquando etiam in tantum, ut non satis sit pro fœtu ampliando, quod idem ventriculo accidit, cujus signum & dolor & vomitus. Ergo in immodicè parvo excrescere fœtus non potest, & contrahuntur partes, fiuntq; justo omninò breviores. Tornamira addidit, mulierem si infra undecimum annum conceperit, mori propter matricis parvitatem. Aliquando non hoc, sed quia ut in obesis propter omentum crassius, fœtus non satis in utero contracto spatij habet. Faciunt huc subversiones uteri à flatibus, excandescentia, motu intempestivo, scirrhi, inflammationes, exulcerationes, cancri, profluvia, excrementorum & sordium in ipso colluvies, multaq; præterea quibus ferè fit alterutrum, ut vel conceptus ipse corrumpatur, vel generandi facultas, dum in opere est, distrahatur.

Monitur quæ concipit infra undecimũ annum.

Sequuntur membranæ sepientes fœtum, quæ vel totæ vel ex parte eum ambiunt. Sunt autẽ tres. 1. χόριον ex utrimq; seminis impuriore parte genita; vicina utero. Altera intestinalis alantoides ex fœminæ semine, Vt est 1. de semine c. 6. & 10. Tertia ἄμνιος proxima fœtui, cui Embrio involvitur, à mollitie sic dicta, quam cum in facili partu secum afferunt vittati pueri dicuntur, vocaturq; indusium. In his causa aliqua mali est, si rumpantur. Rumpuntur. Primum quidem plaga

Membranæ tres.

plaga aut ictu externo. Iam enim observatum est ex ictu fœtum intus mortuum esse læsa chorij parte, & venulis eius confractus corruptis, quod in dissecta apparuit. Rursus in alia ad modum gracili ob nutrimenti defectum, cujus secundina intus putruit, & corrupta fuit, ita editus tamen, ut per omnem vitam malè valuerit. Deinde frangit eas non modo plaga, sed fœtus ipse calcitrans impetuosius. Tertiò eroditur & ab humoribus, qui non pauci in ijs continentur, copia & calore, cæterisq́ qualitatibus differentes, inprimis mordax serum. Quod cum fit, ex quacunq́ causa sit ortum, diffluit conceptus materia, cum est unica, confluunt si plura semine initiò distincta. Eam rationem attulit & Aristoteles 10. sect. probl. 60. cum quæreret, cur monstra parvæ animantes crebrò parerent, fieri scilicet id, quòd plura semina inter se cohærescerent, confunderenturq́, sive cum è mare prodeunt, sive cum se in fœmina commiscent.

Itaq́ in ijs ovis, quibus intus membrana separans nulla est, bullum bicipitem vel quaternis etiam pedibus nasci compertum est. Interesse autem creditur utra involucri pars rumpatur. Nam si superior, generari fœtum duplici capite aut aliàs monstroso, si infra, in pedibus idem evenire, Si medium rumpatur, gibbosos fieri. Idemq́ si duorum Monstra duorum ca pitum, plu rium pedū, gibbosa unde.

duorum fœtuum involucra rumpantur, aut connasci capita, aut dorsi partes, aut inferiora pro diverso demum ruptionis motu, & materiæ seminalis contactu. Hæ in agente, materia, & loco causæ sunt. *Multa sunt præter hæc jam satis multa, quæ ut ad superiora videantur alicubi referri posse, placuit tamen perspicuitatis gratia separatim recitare nonnulla.*

Matres hortatur Hippocrates, ut magna cura fœtum custodiant. φυλακῆς γὰρ καὶ ἐπιστήμης πολλῆς δεῖ φυλακὴ illa gravidarum & *rara & operosa. Multa sunt, inquit, in 1. de morb. mulieb. alia pericula, in quibus fœtus corrumpuntur. Nam si mulier in ventre habens, ægrotarit, aut debilis fuerit, aut onus levarit, aut percussa fuerit, aut saltarit, aut cibum fastidierit, aut animi deliquio correpta fuerit, aut amplius aut minus nutrimentum accipiat, aut timeat, aut consternetur, aut vociferetur, aut intemperanter vivat, fœtum corrumpet. Nam & cibus corruptionis causa est, & potus multus. Sunt quæ fœtum corrumpunt, si acre quid, aut amarum ederint, aut biberint præter consuetudinem, dum parvus adhuc intus est puerulus. Plerumque enim dum parvi sunt, quidam ritè etiam magni corrumpuntur. Quare mirari non oportet mulieres, quod invitæ corrumpunt. Nam custodia & scientia multa opus est, ut in uteris gestent puerum, & enutriant, &*

Gravidarũ prudentia necessaria.

ut evadant ab ipso in partu. Multa ibi salutariter divinus senex: E quibus sunt certè, quæ vitare possunt, & prohibenda prorsus, ut & hæc I. *Ne quæ prægnans est, nimium Venere agitetur: Sola mulier & equa gravida coitum admittunt.* 4. *de gen. an.* 5. *ubi causam etiam attulit, cur id in utroq; eveniat. Certè cæteris non evenit, quæ ubi se impleverunt, non amplius concupiscunt, quomodo nec cibum affectant, quæ satiata sunt, quæ gravida esse inceperint, minus avida Veneris evadunt, ut est decima sect. probl.* 46. *Rhasis & Avicenna utero gerentem monent à maritorum consuetudine arcendam esse in universum, si fœtum esse velit integrum. Agitatione enim in tenello præsertim conceptu teneriúq; corpusculis naturæ motus solvi posse, & uteri in continendo. Perinde enim, ut hordei granum in terram projectum, jamq; primo fœtu tepefactum & herbescente viriditate evocata, si aratro tum rursus terram velis proscindere, aut alio modo commovere, nocueris, ita semen in utero collectum, quod quiete indiget sua, si moveatur vehementius, disijcitur, & motus fit perturbatior. Certè Hippocr. in lib. de superfœtatione observavit: Mulierem prægnantem, si coitu non utatur, facilius à partu liberari. Parcitur plerumq; in hoc equis etiam, nisi quod de Scythis scribitur* 6. *Hist.* 22. *illos equabus gravidis inequitare, cum primum se moverit*

Quæ vitanda gravidis. I.

Gravidis quies utilis.

Prægnans abstinens parit facilius.

uerit fœtus, et nimirum prodesse ad partus facilitatem. In homine ratio dissuadet. Coëunt sapientes, ut generent, non coëunt, ut coëant, & post quasi sationem quiescere convenit.

2. Inordinata uterus. *Alterum est, Inordinata aversaq; consuetudo & congressus communis non observatus, in quo seminis continuam emißionem inhiberi putatur. Quod verò excusandam eam Venerem esse pugnant aliqui ob id, quod multa animalia bruta ita semper soleant, non satis argumenti est, cur hominem ita deceat, sicut bruta. Nam & in his & in multis alijs differentiam natura statuit, atq; ob id ipsum improbanda, quia bestialis est; & tamen autorem Ægmetam citant l. 3. c. 74. & Lucretium. Sed non libet hoc tueri, & nescio quid fœdum habet Veneris in hanc formam translatio.*

3. Superfœtatio. *Tertium est, si conceptus plures fiant ex intervallo, & tùm cum primus jam semiperfectus. Aucto conceptu ait Aristoteles 4. de gen. anim. c. 5. Si coitus adhibetur, superfœtari quidem potest. Sed raro, quoniam uterus magna ex parte ad partum usq; se comprimat. Si tamen aliquando accidat, ut superfœtetur, (Iam enim id evenisse constat) perfici non potest. Ergò si imperfectio à superfœtatione, etiam monstra. Igitur editus legitur infans nostris temporibus omnia perfectus, sed postridiè alius neq; oculis, neq; naribus, & ore cæterisq; adhuc distinctis, quem tardius conceptū est verisimile.*

Quar-

Quartum est pavor, & subita à re terribili vel adversa consternatio, quæ multis obfuisse non modo vulgi, sed medicorum etiam sententijs creditur, & quomodò id fiat paulò post docebitur. Scribit Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem: Mulierem utero gerentem, solo tonitruo exaudito & horribili spectaculo viso infantem abortivisse. Quàm multa ex hoc fonte monstra etiam? Vt hi, qui claudi, gibbi, mutili nascuntur ex simili corporũ imaginibus conceptis. Quandoq; etiam rerum non alienarũ, sed quæ ante oculos & inter manus sunt. Certè mulieres nonnullæ, quæ delicatos catellos vel lepores domi oblectationis gratia alunt, & attrectant sæpius, expertæ sunt, quantum fœtibus suis illorum animalium consuetudo obfuerit. 4. Pavor. Mulier à tonitru abortit. Catellorũ oblectatio nõ semper utilis.

Quintum est, ciborum desideratorum in pica vestigia persæpè impressa conceptum esse observatum, cum quæ eo affectu tentantur, ex tetris humoribus & menstruo sanguine ad ventriculum regurgitante, nunc terras, carbones, arenam, crudas carnes, nunc fœdiora etiam vehementissimè appetunt, quibus nisi potiantur pro desiderio, notas affert fœtus. Non est hoc omnium, sed earum potissimùm, quibus impuritate insigni fœdatus sanguis est; ut in ijs etiam, quæ ante primum menstruorum fluxum, aut eo durante adhuc concipiunt. Nam si prius purgentur, & concipiant, postea non idem accidere. 5. Pica.

Mora enim is sanguis etiam venenositatem quandam contrahit: Quibus autem ex hâc causa fit, eæ maturè & primis mensibus affliguntur, Qua verò tardius & quinto, sextóve mense, ea cachecticæ sunt, & cum purior sanguinis pars in fœtum abit, impurior altera in ventriculum regurgitans & vomitus & picam inducit, à quibus affectibus embrio fœtum tuetur, ne illa impuritatis in succis venenositas eum attingat, quippè qui ex optimo sanguine laudabiliq; spermate concretus sit, ut sit eius quasi theriaca. Facit & Hippoc. *mentionem in lib. de superfœtatione: si qua prægnans terram edere concupiscat aut carbones, eaq; edat, in capite pueri, ubi natus fuerit,*

Saternitanæ fœminæ ranas pariunt. *signum à talibus apparet. Sed & sine pica evenire simile quid potest, cum Saternitanæ fœminæ ranas jam pepererint ex usu ranarum frequentiore & avariori.*

6. Ebriorum generum. *Sextum. Si ebrij generent, in quibus cum calefacti spiritus in cerebrum ferantur, minus in semen influit. Aristoteles 3. sect. probl. 3. ob id dicebat semen ebriosorum magna ex parte esse infœcundum: quod habitus corporis in ipsis prahumidus sit. Semen autem non quod humidum sed quod constat crassumq; est hoc vim habet procreandi, & in XI. negabat concumbere posse ebrios, ob nimium totius corporis fervorum extincto calore motus interni.*

Septimum. Locus ad monstrorum ortum facit & aëris aquarumq́, quæ bibuntur, natura. Scribit Vives, loca esse quædam Neapoli Italiæ & in Flandria Belgica, in quibus frequentissima mõstra, & multiformes in utero beluæ sæpè solæ, sæpè cum infante, interdum puero à belua semicomeso & exucto. Quod item de maritimis locis scribitur: Sunt gutturones alicubi ita multi, ut plerinq́ gula fiat turgida, aut omnibus potius, ijdem & stolidi, & ad loquendum inepti, quod ab aquis fieri scribunt è nimbis liquefactis, quæ multum terrei & crudi contineant, inhærere autem musculis gutturis, eiusq́ glandulis, quo secum aqua insinuet, concretum ibi indurescere, ideoq́ in Alpibus, & qui Pyrenæos montes inhabitent fieri frequentissimè. Quod si ita nascuntur etiam gutturosi fœtus à parentibus talibus, fit quod in monstris solet. Quanta vis aquæ & aëris sit ad immutandos fœtus ostendit locus etiam 4. de gen. anim. c. 2. Quin & inter terras & aquas interest ijsdem de causis. Qualitatem enim quandam potissimum recipit, & alimentum & dispositio corporis ex temperamento aëris continentis, & cibi ingredientis, sed præcipuè ex alimonia aquæ. Hujus enim usus plurimus est, atq́ in omnibus aqua alimento est, etiam siccis. Quamobrem aquæ crudæ & frigidæ, aut sterilitatem, aut partum fœmineum faciunt.

7. Loci natura.

Humani Fœt9 cum beluis.

Vis aquæ & aeris.

8. Aetas. *Octavum: Ætatis error. Quanquam hoc materiæ & facultatis est. Venus certæ ætatis est non omnium, aliaq; incipiens, alia desinens tùm in mare tum fœmina. Vigor enim aut nondum est, aut jam omissus. Senum autem procreatio plerumq; infœlix.* Historia. *Vidimus in Saxonia è patre sene admodum natum filium capite & toto corpore satis monstroso, centipellium, fatuum cum pater esset in Theologia doctißimus, & loquebatur pauca, & absurda, atq; incongrua, plura nutibus & risu, ut non multum à bruto distaret. Hunc ajebant esse ab excrementis senectutis genitũ, principijs autem generationis conceptus respondent.* Aristoteles annos Veneri definit. *Aristoteles naturam & rationem secutus in Philosophia sua etiam annorum numerum ausus est præscribere. Adolescentium, inquit, conjunctio ad filios procreandos incommoda est. Nam cum in omni genere animantium fœtus novellorum imperfecti & fœminei, exiguaq; forma sint, eodem modo id in hominibus accidere necesse est argumento, quod quibus in civitatibus adolescentibus solent puellæ nubere, in his homines imperfecti & corporibus exiguis sint: Adhæc in partubus puellæ magis laborant, & plures intereunt.* Vbi puellæ nubunt, ibi imperfecti. *Itaq; mulieres annos octodecim, viros autem circiter triginta septem natos matrimonio copulari convenit: Si enim conjunctio ingentibus florentibusq; corporibus fit, & eodem tempore filios procreare desinent:*

ſuent. Hæc ille non malè. Quanquam non negarim aliquos citius utiles ad generandum eſſe. Sed ſi nihil, niſi robur athleticum in natis quæritur, ita faciendum. Et eadem ſententia eſt etiam in 7. Hiſt. anim.c.1. Semen infœcundum eſſe ad terſeptimum annum, mox prolificum quidem, ſed exigua imperfectaq́; generari à junioribus tùm maribus tùm fœminis, ut in cæterorum animalium genere. Nam corpore minus perfici magna quidem ex parte. Ex his afferri ratio poteſt, cur ut vulgaris opinio eſt, in magnis plerumq́; familijs, primogeniti monſtroſè fatui naſcantur. Nam cum ad ſtirpis propagationem neceſſarium judicetur maturè copulari, ne hæredes deſint, fiatq́; imperfectis adhuc corporibus, principijsq́; naturæ nondum benè conſtitutis, nihil mirum, conceptum imbecilliorem eſſe. Cur in magnis familijs primogeniti fatui.

9. Nomen, à plaga, vel ictu. *Hippocrates in lib. de genitura. At verò mutilum in utero puerum ſentio, aut contuſum ex matris uterum geſtantis plaga, aut eiuſdem lapſu, aut alio quopiam violento affectu matri accedente, mutilatum eſſe. Qua verò parte mater plagas acceperit, ea puer mutilatur. Si verò amplius contundatur fœtus, ita ut pellicula ipſum continens rumpatur, perditur fœtus.* Plagæ & ictus. Mutilis

10. *Decimo loco adjungi poſſunt faſciæ pectorales arctiores, circaq́; ea loca, ubi fœtus continetur,* Faſciæ.

tur, cum laxamenta necessaria fœtui desunt, quod ipsum eodem in loco diligentissimè Hippocrates observavit. Cum in utero, inquit, juxta locum, in quo est fœtus mutilatus, angustia fuerit, necesse est corpus, quod in angustia movetur, mutilari juxta illum locum: Quemadmodum arbores, quæcunq; in terra sunt, & non habent satis amplum locum, verum à lapide, aut aliqua re impediuntur, cum emergunt, obliquæ ac tortuosæ sunt, aut hac parte crassæ, aliæ tenues.

11. Partium positus. XI. *Contingit etiam ex indecente membrorum frequente positu in prægnante, quo perverti aliquid in tenera & molli massa potest, ut sedere decussatis genibus, & incurvam esse. Hinc enim vel obstipi, vel gibbi, vel repandi, aut valgis pedibus & manibus comortis partibus à positu incommodo.*

12. *Duodecimum est: quod Plinius habet, si quæ uterum gerit serpentem transcenderit, aut amphisbænam mortuam, aut ovum corvi, fœtum lædi. Locus est lib. 32. c. 10. Sed hoc in superstitiosis habetur, sicut quod verbis veneficorum transmutari infantes posse creditur vulgo, & est apud Plutarchum, qui & credi jubet, & modum exponit in 7. probl. Decad. 5. Eundem in locum refero vim imprecationum, quibus Theologi fidem faciunt, & sic nasci eos, qui cambiones & suppositity dicuntur. Quidam cum filias tantum solas*

Imprecationes.

uxor

uxor pareret, nullum filium, dixisse legitur, malle se filium stultum, quàm filiam sapientem. Natus ei filius & absurdo corpore, & fatuus in totum. Confirmat id Syracides quoq; cum ait, maledictionem parentum non esse irritam, quasi nihil, quàm hæc tùm vota, tum execrationes Deus citius exaudiat. Esse autem & hæreditarias quasdam in monstris deformitates manifestum est, & compertum est ex nanis nanos nasci. Quanquam id evenire non semper necesse est neq; in omnibus, cum non quævis monstra speciem multiplicent, ut dicetur suo loco: Hæ igitur sunt tot causæ in facultate agentis, materia, utero, cæterisq; externis casibus, quæ omnia & singula depravare ad degenerationem fœtus possunt, alia tamen aliter, & plus minusq;, ut fieri in cæteris solet.

CAPVT XV.

Vnde monstra speciem mutantia: Tres de iis sententiæ: Primum monstra esse à diversis seminiis: Ibi tres quæstiones: De rerum corruptibilium propagatione: De similitudinis in sexu, specie, figura, proprietatibus individualibus principiis. De causis dissimilitudinis. Diversorum coitus in legibus prohibitus, & constitutæ pœnæ.

De monstrorum causis in universum dictum est. Nunc peculiares singulis differentijs investigemus, ut causis distinctis distincta ipsa effectuum cognitio sequatur. Primum igitur monstra constituimus duplicia, alia in specie, alia in conformatione. A specie degenerant, quæ gignentis naturæ non respondent vel ex toto, ut si mulier serpentem pariat, vel ex parte tantum, ut infans canis capite, si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum. Mirificum hoc genus monstri est, trahitq; in admirationem sapientes, in stuporem vulgus. Quæ enim ista conturbatio ordinis est, quæ novitas? Quis sic format? Num hanc quoq; potestatem naturæ illi ordinariæ autor DEUS adjunxit, ut indifferenter alia ex alijs nascerentur, aut diversa commiscerentur? An hoc non est potius sibi relictæ naturæ, sed retractæ ad deterius. Ita perfecto. Sed quæ ea sunt? Tres video autorum esse in universum sententias: Prima est, Monstra eiusmodi esse ex animalibus specie diversis mistis seminibus habitu naturaq; differentibus, ex quibus necesse sit præter vires simplicium diversum quid nasci, ut in colorum commistionibus.

Monstra duplicia.

De ijs quæ in specie.

Tres sententiæ.

1.

2. Altera est, quæ ad imaginationis vim refert hæc φαινόμενα. Nam prægnans, si quam in terrore subito, vel motu aliquo imaginē conceperit animo, eam per spiritus ita informatos in tene-

teneram fœtus massam imprimi. Tertia eorum, 3.
qui τέρατα eiusmodi ex humorum in corporibus putrida illuvie quemadmodum imperfecta solent, ex communi universæ naturæ materia solent, communicata à matre vita caloris spiritusq; influentis auxilio, forma autem sequente typum τῆ φαντασίας, ajunt ortum suum potius quàm aliunde accipere, idq; maximè fieri in ijs, quæ ita longè degenerant, ut figuram habeant non certi animalis in specie, sed animalis tantùm, de quibus in 4. de gen. anim. c. 3. loquitur Philosophus, & potissimùm monstra vocat. Ea nunc sigillatim, quantum quæq; valeat, consideremus. Ac de primo primum: sed duo explicanda in hoc loco sunt: Vnum: quid & quarum rerum sit propagatio, & quàm varia. Alterum quæ similitudinis & principia & differentiæ: Ex quibus hoc tertium sequetur, unde illa genti & gignentium in perfectis tanta dissimilitudo oriatur, quantum in his videmus, quæ à specie aliena sunt.

1. Quomodo monstra à diversis seminijs. Quæstiones tres.

Propagatio est speciei per reparationem perpetuatio, corruptioni opposita, hoc est, speciei corruptibilis per similium individuorum generationem, aut vicissitudinariam transmutationem ex suis principijs & perpetua causarum successione in materia certo modo definita continuatio & perpetuitas. Ea porrò propagatio omnium non est, sed in ijs, in quibus potest fieri, & fuit necessaria. Vnus ille autor mundi solus αὐταρκὴς nullius indi-

1. propagatio quid.

Quorum ea fit.

indigus, cum condere cœpisset, naturas quasdam produxit immateriales simplicitate Essentiæ sibi quodammodo vicinas, non æquales tamen, eæ vòes Corporum duo genera. *dicuntur, aut spiritus. Ab his corpora visibilia cum motu singulis proprio. Eorum duo genera. Vnum motus perpetui, & in individuo incorruptibile ob id nobilißimum, quod cœlum est. Alterum eorum, quæ quandoq; quiescunt, quandoq; moventur, nunc sunt, nunc esse desinunt, eorumq; conditio ob id imperfectior, quàm in cæteris. Hi* Perpetua, aut simpliciter, aut propagatione. *rerum gradus sunt, in quibus partim perpetuitatem molitus est* D E V S *simpliciter, partim propagatione, quæ rursus alia in alijs est, sed cum ordine & lege. Spiritus interire nunquam voluit, quotq; esse voluit, tot primum condidit, neq; imminutus ex eo numerus est, neq; auctus accessione.* Spiritus non propagantur. *Non generat spiritus spiritum, neq; ij tantum qui integritatem suam retinuerunt. Sed & qui peccando conditionem suam deteriorem reddiderunt.*

Vt autem ortus sui habent principium (non enim æterni) ita quod non intereunt, gratiæ est, Spiritus duplices. *non naturæ. Horum aliqui orbes in cœlo movent, ut creditur, formasq; infundunt. Alij autori suo* Cœlum. *aßistunt, & ministeria expediunt. Cœlum deinde sempiternum est, & ut loco summum, ita divinitatis sedes, unum idemq; semper, tot ibi stellæ, quot initio, nihil ibi novum, aut generatum, aut mutatum*

tatum aliter, nisi quod aut interiturum aut renovatum iri credimus. Cœtera ab his γένεσις καὶ φθορᾶς ἀπηλλάχθαι 2. Phys. 1. Ea quidem omnia in primo ortu perfecta & singula extiterunt, ut ridicula quæstione opus non sit, ovum ne an gallina prius fuerit: Sed addita iis lex perpetua, ut earum natura in singulis speciebus propagatione continua certo ordine conservaretur, cujus gratia in se vel aliunde ortus sui definita habent semina: Maximæ parti generandi vis insita est, aliis nascendi modus cum adjumento externo, & ex toto pro rerum diversitate peculiaris: Horum formæ ita se habent, ut in numeris, qui vel additione vel subtractione unitate alias differentias constituunt: sic & specierum in naturalibus ordines sunt: & hinc omnium est perpetuitas quædam, aliis intereuntibus, aliis emergentibus rursus.

Ovum an gallina prior.

Ordo specierum in natura.

Fit quasi quædam in judiciis sortitio & subsortitio, ubi & reijciuntur judices, & in locum sufficiuntur alii. Eamque tum absumtionem rerum, tum reparationem in fabulis Saturno attribuebant, devoranti primum omnia, eadem vero paulo post evomenti, quoniam ut omnia temporibus absumuntur, & pereunt, quarum natura est ejusmodi, ita quasi fluvio sempiternitatis redeunt, ut est in l. 2. de ortu cap. ultimo, quod fit hac ipsa specierum perpetuatione. Itaque simile quid hic

Navis Thesei. evenit ei, quod de nave Thesei, qui in Cretam navigarat, scribitur, eamq; usq; ad Demetrij Phalerei tempora diutißimè servatum esse, tabulatis tamen & tignis omnibus non simul quidem, sed longa annorum serie permutatis, novis subinde additis pro corruptis carie aut putredine. Idem enim secundum formam non idem materia, perinde ut de spiritibus docuit Philosophus in lib. de motu anim. De eo est & in Platonis Phædone & Plutarchi Theseo. Sic dicere solemus eosdem semper fluvios & viadrum hunc nostrum, quamvis nova semper aqua affluat: 2. Polit. c. 3. & in lib. de mundo, In lib. de cœlo & 2. de ortu. Insita est enti unicuiq; æternitatis appetitio, quam uno duorum modorum assequuntur, vel generatione, ut in animalibus, vel vicißitudinaria, & mutua transmutatione, sicut Elementa. Nam hæc, ut communiter dicuntur, simplicia, ἀμετάβλητα non sunt, sed afficiunt se mutuo, & patiuntur, ad secundum partes alteratione, commutationesq; accipiunt, ut mutua sit tùm generatio, tùm interitus in illorum certis particulis, tota quippe nunquam intereunt.

Elementa mutabilia & tamen perpetua.

Ita mutatione tali numero nihil detrahitur. Quomodo id fiat, tradidit Aristoteles. Contraria enim esse vel utraq; qualitate, ut ignem aquæ, aërem terræ, vel una tantum, ut aërem igni, aquam terræ: ex quo est facilis quorundam permuta-

mutatio, quorundam difficilis. Facilis quidem μετάβασις, ὅσα ἔχει σύμβολα πρὸς ἄλληλα. Difficilis, ubi nulla convenientia, & quasi cum duobus pugnandum est. Neq; unum modo in alterum, sed unum ex pluribus posse, jam quidem rarefactione, jam condensatione. Hinc elementorum perpetuitas est. In cæteris postea etiam, sed dissimiliter. Neq; enim simpliciter verum est, ex quolibet nasci quodlibet, omnia ex omnibus, ut videtur voluisse Anaxagoras, sed certum ex certo, determinatum ex determinato, non omnis materia cuilibet materia est, nec omnis forma in quolibet subjecto; deniq; ex una proxima transmutatione non fit quodlibet ex quolibet, ut ex lactuca homo, quod sensu & ratione manifestum est: At de multis mutationibus longa serie sibi succedentibus unum ex varijs, & multa ab uno posse existere fortassis dari posset, ut ex lactuca homo generetur, ut animal. Lactuca abit in sanguinem, ex sanguine semen, ex semine homo, & in cæteris similiter, ut ex homine terra, ex terra lapis: sed possunt per vices multas quædam ex alio fieri, proximè non possunt.

μετάβασις facilis & difficilis quæ.

Non quodlibet ex quolibet.

Ex lactuca fit homo.

Quemadmodum autem possunt, & quis eorum ortus proprius? Ab elementis omnia alia mixta dicuntur, quædam imperfecta non multum à simplicibus differentia, sicut meteora: quamvis omnia in specie sua perfecta sunt. Perfecta enim

Mixta omnium perfecta.

pla-

pluvia & ros, culex etiam non minus, quàm homo. Hæc perpetua causarum successione etiam perpetua sunt, quoniam cum pluviarum causæ semper sint, pluvias semper esse necesse est annis singulis, non deest materia exhalationis, non sol agitans, suscitans, cogens, liquans, unde & fulmina, & pruinæ, & rores, & venti.

Meteororum perpetuitas.

Insecta.

Insecta etiam perpetua, suam habent seminalem materiam in terra & aquis, quæ cum calore cœlesti, & quodam etiam proprio excitatur, magno numero & differentibus formis pro materiæ diversitate certis quidem temporibus nascuntur, unde nullus annus sine muscis, lumbricis, papilionibus: & ex spuma quidem Apuas, è situ araneus, è fimeto muscæ, è rore vermiculus exit.

Plantæ.

Plantæ sicut interitus, ita & ortus causas suas habent. Fit enim in illis ad momenta singula tùm servio, tùm violentia manifesta dissolutio: quæ nullo supplemento refici potest, ut individua perpetua sint, decrescunt, tabescunt, intereunt hæc & illa. Quin in seipsis causam habent cur pereant, omne etenim agens Physicum agendo repatitur, atq; ut perpetuo eadem sit animæ vis, usu tamen debilitatis organis & quasi detritis pensum non solvitur, paulatimq; calor quotidiana agitatione, & opera continua victus fit primum, deinde flaccescit, deniq; aboletur. Corruptioni huic adjuncta propago est, & semen omnes habent

Causa corruptionis in ipsis rebus est.

bent, aut manifestum ut plurima, aut occultum, ut in ijs, quæ sponte oriri videntur. Nam ideò tantum sponte, quod sine cura nascuntur, & quia semen occultum est. Reliquæ sua semina habent, aut quod pro semine est radix, surculi, circuli, rami, aut tale quippiam, aliæ à radice pullulant, aliæ è semine, aliæ à glande, taleis: Hæc sub aliqua fœcundæ terræ parte, aut matrice sua (Nam in insitionibus surculo matrix est arbor) recondita vivifico illo igne cœli germinant, adolescunt, donec ad perfectionem perveniant.

Restant perfectiora animalia in aëre, aquis, terra. Hæc in se continent prolificum fœcundumq́; semen ab excremento sanguinei alimenti abundantis, partiumq́; reliquijs, quæ aluntur vi innati caloris & spirituum primùm, deinde in vasis spermaticis perfectum tantisper, ut simili potestate ex eo fieri poßit, quale id, in quo perfectum est: Hoc humidum corpus maturum jam cum emittitur excretum in locum convenientem, accedente eo, quod necesse est, motu singulis certo enascitur animal, & formatum vivit, sed est peculiaris in qualibet specie materia, omnibus tamen aliqua præter insitam ad generandum cupiditatem, & stimulos in Venerem maximè in avium & terrestrium genere: Ita hæc non modo conservantur generatione, sed ut simile sibi simile generandò producat. Hic ordo à creatoris optima voluntate Animantia perfecta.

minat, cum eam vim in primo ortu ad hanc perpetuitatem naturæ rebus conciliandam indidit.

Propagatio opus divinum.

Quod ergo ita fit, certum ex certo, non quodvis ex quolibet, divinæ sapientiæ est, non casus fortuiti. Cum enim videas hordeum ex hordeo in frugibus plantam à planta, in vegetabilibus avem ex ave, in animantibus, ficum à ficu in arboribus, braßicam e braßica, in oleribus, in alijs etiam similiter progigni, dubitare non potes, ab intelligente natura id ita esse institutum, ut simile ex simili proveniat.

Ordo non est fortuitus.

Ordo enim fortuitus non est: Quia propagatio & quarum rerum, & quàm differens ratio hinc manifestum est. Ex quo colligi potest, nullam ex rebus conditis speciem unquam interijsse, nullam ex toto novam extitisse.

Nulla species interit, aut nova oritur.

Nam qui existimant interdum deficere aliquas, atque iterum naturæ repetito opere tanquam postliminio renasci & refici, docere non poßunt, quomodo cum semel interciderint, reparentur: Si servantur, propagatione servantur. Sin hæc interrumpitur, nulla alia ratio est. Quod si etiam ista universitas perfecta est, locus non erit augmentis ab acceßione, neque diminutioni à deceßione. Id enim perfectum, cui addi nihil potest & adimi: Vult autem esse perfectum, qui optimus est. Non igitur aliquando plures, aliquando pauciores: id Empedocli adversabatur, qui volebat mundum imperfectum, quoniam quotidie novi aliquid poßet generari.

nerari. Nasci quid novum dant Peripathetici in individuo, quæ speciei pars materialis est, non in specie, quæ totum essentiale. At species à materia nova non mutatur. Nobiles illæ species perfectorum per univocam generationem individuorum propagantur. Imperfecta semper latent in suis principijs quorum individua aliquando intercipi, aliquandiu possint, cum principia eorum ad ortum non agitantur à motoris potestate. Vnde negant hodie è Cyrene Laser haberi, unde erat tamen olim. Vbi igitur idonea materia abest, aut quod hanc moveat, intercidere videtur. sed nihil intercidit.

Individuum est pars speciei materialis.

An imperfecta sint semper.

Quoniam autem simile à simili nascitur, quæ & quam multiplex illa similitudo est, & quæ illius ingenitis principia? In univoca generatione tres differentias similitudo habet. Nam aut in specie, aut sexu, aut figura addi potest & quarta proprietatum individualium.

2. De similitudine quadruplici.

Speciei similitudo generantis sequitur principium, materiam dico, & quæ inest facultas. Materia semen est, potentia tale, quale generans, una in plantis, ut hordei, brassicæ, bipartita inanimantibus κύημα, ex utriusq; maris & fœminæ commistione constitutum. In hac calor & spiritus sunt & facultas vegetans, quæ cum ponit, format, distinguitq; partes, agentis supremi, animæ videlicet, cum fœcundo semine traductæ,

1. Similitudo in specie.

ut ignis ab igne, moderationem in agendo sequitur, & ad typum generantis materiam formæ delineat, & perficit: sed uterus aut terra, & fovent semen, & ad opus excitant. Quale ergo semen est, ex quo quicquam oritur, tale id, quod ex eo gignitur, eaq; similitudinis in specie principia sunt :

2. Similitudo in sexu. *Altera est similitudo in sexu. Hanc temperamentum seminum & energeticarum qualitatum efficacia tribuit : Nam si* ἐπικράτησις *est caloris, in utroq; masculus generatur, si frigidius utrumq; humidiusq; extiterit, fœmina, cujus signũ est, quod cum partibus differant mas & fœmina, quæ in illo foris prominent, in hac latent, causa videtur in calore posita, cur protrudantur, vel non protrudantur.*

3. Similitudo formæ. *Tertia est formæ & effigiei similitudo, quæ ex potentia plasticæ in semine virtutis dependet. Ea cum in utroq; semine sit, si omnino robustior est in masculino, proles patri similis nascitur. Sin fœminea genitura, in qua & ipsa est potestas quædam effectiva, plus pollet, accedente & alimenti, & eius quod toto gestationis tempore affluit, ope, unde virtus eius ita invalescit nonnunquam, ut maris semen exuperet, fœtus matri similis evadit. Quantum deinde ad formæ similitudinem imaginatio seu fixa in gravidis in aliquod objectum intentæ cogitatio, tùm in ipso coitu, tùm postea motu sequente valeat, infra dicetur. Temerè*

autem

autem, quod ab his proximè fluere credibilius est, cœlo attribuerunt astrologi. De his tribus ita consentit Galenus l. 2. de semine c. 13. Manifestum est, inquit, in calidiore & sicciore fœtus temperamento masculum animal generari. In frigidiore verò & humidiore, muliebre. Speciem autem sive genus animalis hominem videlicet, & equum & bovem ad naturam materiæ in animalis generationem subjectæ consequentem esse. Quemadmodum sanè & formæ similitudinem ad utrumq; parentem effigiantis & formantis facultatis esse, quæ in semine continetur. Quare trium similitudinum tria habemus principia. Similitudinem generis animalis juxta substantiam ex qua generatum est. Formæ verò juxta motum ex semine. Eam verò, quæ aut masculi est, aut fœminæ ex utrorumq; principiorum temperamento. Vtraq; autem principia appello, menstruum & semen. Hæc Galenus. Averrhoës in 4. de gen. an c. 3. in eandem sententiam ait: agens posse præstare aliquam ex se similitudinem, eiusq; tres esse formas, unam specificam vel speciei propriam, alteram sexus, quæ sit velut differentia illius speciei, tertiam individualem, quá agens est hoc determinatum. Atq; agens quidem, si quando dominetur supra materiam perfectissimè, tùm omnes illi formas imprimi, ut ex homine homo, ex mare, mas, ex tali talis. Sin desit una harum propter

Galeni sententia de principijs similitudinum.

Averrhoes de iisdem.

agentis debilitatem, conceptum ferri ad oppositum.

4. Similitudo in proprijs individualibus. *Quartum similitudo est in proprietatibus individuorum, Nam & hæc propagantur, sed neq; semper, neq; omnia. Sunt enim quædam in parentibus, quæ in posteros non derivantur.* Proprietatum divisio. *Rursus quædam, quæ peculiariter cum parentibus inesſent, etiam in liberos translata sunt. Tertium omnium admirabilissimum, id esse in genitis, quod non fuerit in gignentibus. Porrò affectus rerum* Affectus communes. *alij communes sunt, alij proprij. Communes, qui à communi principio oriuntur, & plurium specierum subjectis insunt, molle, durum, grave, leve.* Proprij. *Proprij, qui certis tantùm. Hi rursus aut certarum specierum sunt, ut anseribus, lactuca delectari, eæq; virtutes specificæ dicuntur. Aut sunt certorum tantum individuorum in una specie, non omnium, unde & individuales proprietates dicuntur, sive totius sint corporis, sive partis alicujus, ut cerebri, aut ventriculi. Eius generis sunt* Memorabilis historia. *horror à felibus, vino, caseo, anguillis, Fuit in nobili familia, qui ne aspectum quidem ferre potuit, intuentis ipsum, vetulæ, ex eoq; casu aliquando è convivio mortuus elatus est, cum vi ad intuendum pertractus esset. Alius itidem ad capillorum comptum exanimatus. In Scaligero est de equite quodam, cui quoties sonum cytharæ pulsatæ audiret, urina effluxit, & mejere inter assidentium pedes*

des nolens, coactus est. Res mira etiam in noctambulonibus, magis in vitrivoracibus. Multa ad stuporem passim in autoribus sunt. Horum ut dixi omnium, quædam etiam in posteros propagantur, quædam injunt non tradita.

Sed quæ à parentibus propagantur in liberos, non est obscurum, cum ea quæ corporibus accidant, materiam formamq́ consequantur, æqui in principiorum natura latere, quam speciem, sexum & accidentia communia. Eorum etenim conditiones retinent. Sicut orta omnia principiorum conditionem sequuntur, utq́ ab homine homo generatur, quia homo, & mas, quia à mare, ita talis à tali; referuntq́ genita non minus particulares gignentium naturas quàm communes: Ex quo non modò facierum, lineamentorum, colorum, sed morborum etiam, roboris & sanitatis, ingenij, morum similiumq́ rerum delectationis aut aversationis ortus est. Hæreditaria enim mala infundi patet, similesq́ aut imbecillitates, aut intemperies toti vel partibus non modo communicantur, sed ad mortem usq́ comitari solent. Ac de malis quidem id plerumq́ evidens est, in bonis non item: quoniam rarò à sapientibus, sapientes, ab ingeniosis sæpè tardissimi nascuntur. Verum partim ex eo est, quod hæc non tota naturæ ipsius sint, 2. Ethic. Sed ex parte tãtum, plurimum q́ studio atq́ usu comparantur: Partim quoniam mentis func-

Quomodo propagentur proprietates.

Bona non tur mala propagantur in liberos.

S 4   ctiones

ctiones peculiarem quandam cerebri, spirituum, sanguinis, & organorum substantiam, constructionem, necessariò desiderant, teste & Philosophe, & Galeno. Interea enim quæ sanguinem habent ingeniosiora sunt suis contrarys, quæ sanguinem habent frigidiorem & tenuiorem 2. de part. anim. cap. 2. Nec tàm quidem sanguinis frigiditate, quàm tenuitate & munditia: ibidem c. 4. quorum neutrum in terrenis est, quibus ob illud minus sapientiæ. Galenus addidit substantiæ cerebri tenuitatem, quod hoc ad similium spirituum, hoc est, purissimorum & tenuium ad differentias rerum investigandas idoneorum elaborationem maximè accommodum sit. Quoniam igitur multum in structura & formatione partium, quam ἐνεργεία sequitur, positum est, quæ ingenitis & gignentibus rarò sunt eadem, nihil mirum, si ea, quæ hæc sequuntur, aut absint, aut aliter se habeant, ut sit in his animi dotibus, sensuum bonitate, & ingeniorum principijs. Nam ex ea ratione esse videtur, cur Epilepticus Epilepticum quidem generet, non mutilus, mutilum, cœcus cœcum: Quandoquidem ad Epileptici generationem satis est intemperiem humorum & spirituum communicari, aut partium etiam præcipuarum: Formationẽ verò & structuram nihil necesse est, Vt autẽ claudus fiat et cœcus plastẽ intervertì oportet, eiusq; ἐνέργειαν in formationis opere, ut aut

Ingeniosa quæ.

at aut non formet, quod oportet, aut aliter, quam pro corporis integritate. Cætera igitur facilius, cum suis proximis principijs communi modo propagantur. Ea verò sunt σπέρμα, alimentum, spiritus, κρᾶσις, partium structura. Quod generat, inquit Philosophus, 4. de gen. anim. c. 3. non solum mas est, sed etiam talis mas, ut Coriscus, aut Socrates, nec modo Coriscus, sed & homo. Generat autem & quod particulare est, & quod genus, sed magis quod particulare. Hoc enim substantia est. Quamobrem ex facultatibus insunt in seminibus eiusmodi omnium motus. Majorum enim propria in nepotum semine insunt potentia. Sed propinquius semper, quod particulare est. σπέρμα igitur primum est, cum quo individuorum primi affectus induuntur. Est etenim ex sanguine probè confecto, & utile abundantis alimenti sanguinei excrementum, quod postremum in partes digeritur, & sicut totius, ita partium naturam observat, Nam ut è sanguine est semen, sanguis ab epate, hujus cæterorumq; characterem accipit, & vim in utrumq; tùm ad robur, tùm ad imbecillitates eas, quæ hæreditariæ appellantur. Vt verò substantia est eius nutrimenti, quod partibus accedens nutrire eas potest, ita necesse est, earum ipsarum etiam virtutem, quodammodo contineat discedens. Hoc modo particulares partium naturas & affectus, cum hoc infundi à vero

Quibus rebus propria propagentur.

Semen quædam propria communicat.

non abhorret. Sic enim & aquæ venarum, quæ præterfluunt tantum, & in motu attingunt, naturas repræsentant, magisq́ assumunt ab ijs, unde & ex quibus primum emanant.

Semen potestate est animal. Deinde semen ipsum potestate animal est, aut planta, in eo ita latens, ut ignis in silice, quoniam motum ab ea natura accepit, á qua separatum est. Idemq́ corpulentæ substantiæ suæ crassiore parte, delineationi primæ inseruit. Sicut tenuior in spiritum vertitur: Aquea dißipatur.

Semen primi motus autor. Deniq́ idem illud est, ex quo κύημα viribusq́ suis insitis, operis primiq́ motus in Genesi formationeq́ principium, alterans, attrahens, separans, distinguens, & cætera efficiens. Hoc igitur qualiter affectum est, ijsdem dispositionibus fœtum imbuit. Accipiendum autem hoc de utroq́, quoniam utriusq́ sexus suo modo & efficientis & materiæ rationem habet, quamvis illud superiore facultate præditum est.

2. Alimentum. Cum hoc alimentum conjungimus, ac primum quidem sanguinem qui caloris nativi pabulum & generationis principium, corporisq́ alendi materia est quemq́ à matre toto gestationis tempore parcius quidem in illo, paulò post copiosius intus attrahit, donec indigens calcitret, aut intercepto eo intereat; & quia sanguine aut subtracto evacuatione nimia, aut eius sublata generatione vita ip̃sa quoq́, unà tollitur, non male ei

tria

vita inesse dicitur. Huic adjungendum alterum, quod editus sugit lac, quo respiciens Galenus dixit, 2. de semine. Plus habere à matre fœtum, quàm à patre. Quo respectu & στοργὴν *ardentiorem esse creditur in matre, à tribus istis, spermate, sanguine, lacte. Omnino alimentum utrumq́, viscerum, à quibus elaboratur, naturam, effectumq́, assumit. Cæterorum etiam, quia per omnes rapitur, fomentumq́, universi est, vimq́, eius produnt multa: præter vestigia autem desideratorum in pica, & notas, tùm à phantasia impressas, mores, ipsi animorumq́, vitia testantur, ita plerumq́, ab ipsis matribus & nutricibus insita, ut semina illa earum rerum nunquam, aut rarissimè severiore etiam disciplina possit extirpari. Vnde est hoc, aliquid cum primo lacte imbibere. Quæ opinio tantum valuit, ut sapientes improbarent aliquando consuetudinem eorum, qui temerè nutricibus potius, quàm matribus sanis præsertim, & nulla graviore causa impeditis primam liberorum nutritionem commendant, quoniam hæ plerumq́, & meretrices sunt & animos illiberales gerunt.* In 1. Oeconomicœ 3. Philosophi sententia hæc fuit: *Generatio quidem communis est. Vtilitas verò propria. Alterius enim nutrire est: Alterius erudire.* Hippocrates tamen libro de alimento prudenter admodum: *Sanguis alienus utilis, sanguis proprius utilis: Sanguis alienus noxius: Sanguis*

Lac quid valeat.

Vnde στοργὴ in matribus ardentior.

Vis alimenti.

Pica.

Mores.

Libri à matribus nutriendi.

pro-

Non semper utile infantes à matre nutriri.

proprius noxius. Innuens hoc: Non temerè pronunciandum, infantes tantum à matribus suis nutriri oportere, cum causæ incidant, cur facere non expediat. Vt falsum tamen non sit per alimenta prima corpus animiq; motus affici. Neque enim obscurum est, quod alterationes tùm animalibus tùm plantis ob alimentum contingant, non modo in coloribus, tenuitate, craßitie, mole, sapore, sed huius generis etiam alijs. Observatum est, quendam capræ lacte nutritum, cum adolevisset semper saltare solitum immoderatius quicquid ageret, plantasq; ut illæ solent, abradere petulantius. Alius suillo sanguine pastus, luto delectatus ad fastidiũ usq;. Est & quorundam opinio, si qui à senescentibus jam nutricibus lactentur, eos maturius, quàm qui à juvenculis sugunt, senescere, corporaq; imbeciliora habere. Faustinæ Antonij filiæ Marci Antonini Philosophi Imperatoris vxori consultum fuit, ut sanguinem gladiatoris, quem planè deperibat, exceptum calidè ebiberet, statimq; cum marito concumberet: Id ubi factum esset, amorem Athletæ deposuit. Sed gravida facta Antoninum Commodum peperit crudelem hominem, ferum, gladiatorem potius quàm principem. Qui canes mordaces educant lanij, ijs cum ex se mitißimi sunt, nec sperant sponte efferari posse, calidarum bestiarum cruorem propinant, ex eoq; succo planè beluinam naturam induunt, non secus

Alterationes ob alimenta.

Quidam à capræ lacte caprarum mores induit.

Historia.

Quomodo canes fiant mordaces.

cus, ac si ex lupis progeniti essent, eorumq; operâ non modo in instigandis pecudibus, cum aguntur ad celeritatem, sed & adversus luporum incursus utuntur. Humano etiam bibito sanguine latrones audaciores fieri á magnis creditur: Superat omnia hæc longè id, quod nostra memoria in hac ipsa Bresla nostra accidit, commemoratione dignum, neq; hactenus, ut puto, á quoquam descriptum: Puella quædam mollior non multorum annorum cum publicè spectaret á carnifice latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate, in Epilepsiam incidit. Multa, ut fit, pro remedio tentata, sed frustra omnia. Ex vulgo quispiam suasit, felium sanguinem porrigi utile esse; quo ebibito, malum non difficulter cessaturum. Offertur, accipit misera infelici eventu admodum; paulo pòst enim felis naturā induit ex intervallo, & quod id animal in ædibus solet, id illa imitatur, voce, saltu, gestu, vestigijs, cum mures in silentio venatur, in angustissimis etiam quibuscunq; potest foraminulis, idq; ita diu, dum Paroxismi vehementia remiserit. Tristissimus hic parentis casus; Miserabilis etiam spectantibus, hominem in bestiam transformari. Ex quo castiganda est illa in medendo plurimorum hodiè temeritas, qui inexperta potius, cum præsente periculo eligant, ut nove quid sapere & agere videantur, quam de quorum viribus constat, & sine incom-

Memorabilis historia.

modo

Sanguinis usus formidabilis. *modo ægrotantium usurpari ex Methodo possunt, in tali præsertim casu peccant hi gravius, ubi tolerabilius fuerat occidere potius, quàm in tam fœda bestiæ naturam transformare. Atq; alteri quidem sanguinis usum formidabiliorem facere debebat, vel severissimum illud edictum divinum, de non gustando sanguine, quod Genesis 9. Levitici 7. & 17. & Deuter. 12. legitur. Quod majorem contra hos vim habet, si ita, vt Rabini volunt, accipiendum est, hoc est, non utendum animalis adhuc vivi animatiq; sanguine. De sanguinis etiam vi consentiunt ea, quæ in secundo de part. anim. c. 3. & 4. extant, communicari enim cum sanguine aliquid ejus naturæ, cujus est sanguis, ex his patet. Neq; mirum, cum saliva etiam sola canis rabiosi ad morsum unicum, neq; valdè profundum rabiem eandem, ei qui mor us est, infundat, cum tantillo humore, quod accidisse iurisconsulto cuidam compertum est, qui cum esset á catello rabioso ad labrum morsus, illico in hydrophobian incidit. Quod si hoc saliva potest, quid minus & sanguis ebibitus? etsi non ignorem, quid de saliva rabidorum canum á subtus latente verme infecta scribatur. Sanguis, inquit Aristoteles, materia totius corporis est, quippe cum alimentum materia sit, sanguis autem ultimum alimentum habeatur, atq; ex eo ait rationem esse, cur permulta animalibus veniant, tùm per mores, tùm per*

Saliva rabiosi canis.

sensum

sensum. Fibris ibidem Philosophus assignabat animositatem, iracundiam furiasque in tauris & apris, esseque quasi fomenta in sanguine, & fervorem per iram accendere. Sanguis autem eorum fibris refertus est: A veteribus de sanguinum usu ex diversis animantibus nonnulla scripta sunt, de quibus legendus Galenus 10 de simplic. medic. & Dioscorides lib. 7. & Aetius lib. 2. & Plinius lib. 11. Atque de sanguine hæc quidem. | Animositas à fibris

Κρᾶσις autem & calor & spiritus aut subjectum animæ sunt, aut proximum internumque agendi organon. Temperamentum tùm commune totius, tùm partibus singulis peculiare multum in ortu & ad originalem sanitatem & affectum valet, beneque temperati temperiem eandem suis communicant, vitia verò non minus in prolem transferunt; Quandoquidem ex toto defluens materia totius naturam in se habet, & senes, ægrique imbecillos, calculosi, epileptici, eadem vitiosa constitutione imbutos gignunt, neque à semine solo, sed cum alimento etiam constitutio parentum in corpus migrat, ut mirum non sit, quibus cibis vel rebus alijs delectata sit mater, aut quos aversata; ut caseos, pisces, eosdem vel appetat, vel fugiat fœtus. De morbis similiter. Iam enim compertum est, cum gravidæ febre aliqua laborassent, eadem specie febris postea liberos etiam laborasse. Hinc & morum similitudo, quos temperamento asscri- | 3. Crasis | Temperamenti labes propagatur. | Delectatio & aversatio ciborum.

to ascribi oportere, ex eo patet, quod alij sanorum sunt mores, alij ægrorum, qualibet enim intemperies morosiores facit. His addi tertium potest, quod non modo à semine & alimento, sed & ab humoribus, qui in ijsdem tùm abundet, constitutio varietur.

4. Spiritus & calor. *Deniq; spiritus & calor, qui ab humido tantum ratione distinguitur, momentum non paruum habet ad propaganda, quæ indiuiduis insunt. Hic spiritus siue calor, cum prima quidem seminum, ex mare & fœmina mistura copiosè effunditur, à quo & spumosum, sed postea in fœtum ex arterijs, venisq; cum alimento, quod non formationi quidem partium, sed nutritioni eius, & augmento seruit, non minus abunde affluit. Sicut multū requiritur in prima formatione & caloris & spiritus. Hic spiritus per omnia diffusus & omnibus partibus astans, caloris sedes formæ ipsi in omnibus actionibus tùm naturalibus, tùm animalibus, neq; solum in moderandis sanis partibus,*

Vis illius spiritus. *sed & restituendis ægris atq; deperditis, ita proximè adest, ut cum anima sæpissimè confundatur. Et quia totius quasi communis minister est, etiam proprietates omnium in se habet, quæ huius beneficio viuunt, operationesq; suas exequuntur. In semine verò quia formator est partium, & omnis in conceptu ducit, constituit, absoluit, etiam vires, facultatesq; suas ut communicet necesse est.*

Ex

Ex quo ipso etiam ex parte insunt eæ proprieta-
tes, quæ in generantis individuo, & quia conti-
nua est eius ex nova materia regeneratio difflu-
ente semper eius substantia, ut in flamma vide-
mq; necesse est, processionis varietate etiã spiritų
diversimodè affectos nũc sinceros nũc insinceros
influere, Atq; in his quidẽ semina sunt omniũ earũ
similitudinem gignentis & geniti, in specie, sexu,
figura, proprijs affectibus. Restat autem aliud ge- Vnde sunt
nus multò admirabilius, unde sint in corporibus ex propri-
ea, quæ à parentibus communicari non potuerunt, etates, quæ
cum primis in ortu principijs, in quibus ea non non sunt
latuerunt. Sunt enim multa in liberis, quæ non communi
fuerant in parentibus. Hic primum religiosi ad catæ à pa
superiorem potestatem divinam, cui ita videatur, rentibus.
singulis peculiare aliquid, indere, ad maiestatis 1. Senten
& sapientiæ suæ commendationem, confugiunt. tia.
Non malè hi. Sed remotam causam attingunt;
prætereunt cæteras. Astrologi cœlum & astro- 2.
rum comitia allegant, sed hi quidem non benè,
quandoquidem communis hæc causa est, aliter
non agens in subiecta nisi ut agere ex se apta
sint. Rectius Philosophi ad duo hæc retulerunt.
Ad peculiarem corporum structuram aut tempe- 3. Philoso-
ramenti singularem novitatem. Columbus in La- phorum sententia.
zaro illo vitriverace dissecto ex particulari eius Vitrivo-
corporis structura causam aperuit, cur omni gu- rax.
stu, dum viveret, destitutus fuisset, nimirum, quod

quarta nervorum conjugatio, gustus in nobis instrumentum, in hoc ipso monstro linguam & palatum non attigerit, sed ad occipitium reflecteretur. Potuit in hoc omninò causa esse evidens. Sed aliud præterea etiam fuisse oportet, cur tàm fœdis rebus luto, cinere, limo, arena, non offensus ventriculus, non cœteræ partes fuerint, quas ferre alia corpora communiter absq; summo periculo non potuissent, hoc si naturale fuit, in natura etjam causas habuerit necesse est, ac fortaßis in peculiari, ut dictum est, temperamento corporis. Sunt non modo novem illa summa genera, unum temperatißimum, & octo imparia. Sed in unoquoq; horum ob majorem minoremve recessum à medio innumerabilis est varietas, ex quorum differentijs non aliunde videntur hæ, de quibus loquimur, ἰδιοσυγκρασίαι, *& individuorum proprietates emanare, permiscentur calidi & frigidi, cæterorumq; inter se vires, ac nonnunquam hæ, nonnunquam illud superius est; & rursus singulorum infinitæ propemodum differentiæ. Unde non modo tot in natura rerum species generantur, sed in una specie tàm innumerabilis individuorum dißimilitudo existit. Ex temperamento enim nascitur facultas: Ex facultate actio. Estq; ea varietas tanta, ut ne duo quidem in quacunq; specie individua in exquisita muneri similitudine, & ad punctum atq; in omnibus, sine exceptione, con-*

Temperamentorum infinitæ differentiæ.

ne conveniant. Est quidem frequens triplex illa *similitudo*, lata, qua sanguineus sanguineo re*spondet*: media, qua in sexu uno vir sanguineus sanguineo viro respondet: Deniq; angusta, cum praeter haec, etiam accidentia similia sunt; calor, capilli, facies, statura, mores, actiones: Sed quae exquisite in puncto conveniant, nulla sunt. Eam analogiam in numero vocant. Possunt videri ad sensus judicium simplicioribus similia quaedam, quae tamen vere non sunt. Vt gemelli apud Augustinum, quorum alter cum laetaretur, aegrotaret, esuriret, quiesceret, sitiret, eadem alteri eveniebant. Et illi gemelli, quorum uno aegrotante aliquando, etiam alter aegrotabat, cumq; ita decumberent, pari affectu, ostensum fuit a medicis si tolleretur alter, utrumq; esse periturum. Itaq; patre annuente cum salute superstitis alterius, alter necatus est. Visi sunt & conciliatori in Germania duo gemini, ita similes ut a nemine, ne quidem a parentibus, & ab attentissimis multo indicio discerni possent: Non figura, nõ quantitate, non voce, non caeteris rebus, sive enim loquerentur, sive cantarent, una vox visa fuit, tanto autem amore mutuo, ut esse alter sine altero non posset. Est etiam in non gemellis aliquando stupenda similitudo, ut in Martino Guerra, qui se pro marito alterius absentis probabiliter venditaverat, & receptus, uxore usus aliena ut sua, tandem marito

Nunquam duo individua in puncto similia.

Similitudo triplex lata, media, angusta.

Ad sensum similia non verè similia.

Historiae duae de gemellis.

Martinus Guerra.

vero reverso doloq; patefacto ad supplicium tractus est. Idq; jam in acta relatum. In succis quidem videmus id fieri posse, ut in vasis duobus aequaliter calidi sint nulla graduum dissimilitudine. Sed revera, ut dictum est, infinitum quiddam intemperamentis latet, Nam & generandae rei principia, & facultas formatrix, & materia vel in qua, vel ex qua, vel per quam introducitur forma non prorsus eadem sunt in omnibus, non affluens materia, calor, spiritus, sanguis, non uteri constitutio, atq; in universum alia miscibilium proportio, mistionisq; ratio, & agendi alterandiq; modi diversi sunt, praeterquam quod multa etiam foris intervenire possunt, quae exquisitam similitudinem duorum perturbent. Idq; de duobus etiam accipi volumus simul conceptis, quoniam praeter caetera ab uno latore plus influit & accipit alter, pro ut vicinior, vel cordi vel epati est, latusq; unum altero calidius. Ex quibus omnibus contingit, ea quam ostendimus, ex diversa qualitatum societate, & defectus exuperantiaeq; modo in temperamentis diversitas.

Vnde temperamentorum dissimilitudines.

Intelligendum enim est hoc fieri pro diversa proportione qualitatum, quod in literarum elementis, quae etsi pauca sunt: tamen ob diversam collocationem varia nomina constituunt, ut ex hoc, artes, si literas permutes fiunt & haec ex iisdem & solis, rates, serat, tersa, teras, arest, soni etiam

Ex iisdem literis aliae colloratis aliae voces.

etiam in Musica, cum certi tantum sint simplices, mixti tamen infinitas harmonias constituunt. Certè quod partes sunt in corpore tam diversæ structuræ, tamq; dissimilium functionem, ex eo est, quod quælibet suum habet & peculiare temperamentum ab alio diversum. Verum quia illa ἐναντίωσις *proportioq; occultior definiri non potest, occulta dicitur, ac per se quidem etsi in omnibus peculiare quippiam est, rarò tamen, nisi admodum insigne sit, observari potest. Huic igitur potius quam formæ substantiali, aut eius potentijs attribui posse videntur ea, de quibus hic loquimur. Non enim formam consequuntur, quoniam forma in omnibus cuiusq; speciei individuis una est, ab eaq; inter se communitatem habent, unde & ea propria, quæ quarti modi sunt, & formam necessario consequuntur, omnibus insunt: Quæ item à forma sunt, perpetua sunt, & prætente hac tolli non possunt, at affectus isti delentur persæpè, aut minuuntur, certiq; in nonnullis temporis sunt tantum. Quid quod in uno proprietates plures & diversæ observantur, aut forma unica est in uno? Iisdem de causis ne facultatibus quidem animæ ascribenda sunt, quoniam ut formæ ipsæ substantiales, ita & illæ omnibus insunt individuis. Quædam etiam ex privatis animantium proprietatibus non connascuntur, aut à primo ortu insunt, ut formarum potentiæ, sed ali-*

Proprietates individuorum non sunt formæ.

Non à facultatibus.

quando post, & in adultis existunt: Sed nec habitus dicere audemus qui sumuntur, & deponuntur pro arbitrio: Nihil igitur relinquitur, quam materiæ in qua forma est, peculiaris quædam præparatio, cujus tantum est latitudo, ut nunquam in duobus eadem sit ob plurimos intermediosq́; gradus inter summam eius perfectionem, in qua formam esse amplius non potest, positos: Hæ igitur immutationes tot & tam diversæ materiæ & qualitatum eas differentias & quasi novitates inducunt: Vt enim materia præparata est, ita aliud atq; aliud sequitur. Certe pro corporum diversa alteratione & mores, & appetitus immutari in sanis ægrisq́; potest observari, uti enim & multo morosiores sunt, quam cum valent, & alia appetunt: Similitudinum igitur ortum & causas, & propagationem exposuimus: Ex quibus æstimare jam licet, quæ contrarij hoc est dissimilitudinum oppositarum sint principia. Nam si forma speciei abest, ait Averrhoes, tùm conceptus homo non fit perfectus, sed monstrum. Sin hæc ipsa quidem non deest, sed maris formam tribuere non potest, vertitur ad oppositum, fitq́; fœmina. In cæteris etiam similior, quo motus debilior, hoc longius à forma in quocunq; genere receditur. In proposita igitur quæstione, si plastica vis in semine ad formandas totius partes non satis est valida, aut inordinatè per materiam ducitur, aut quoquomodo distrahitur,

Non habitus. Ἀλλοιώσεις. Vnde dissimilitudo oriatur.

tur dissimile gignenti producitur: sed particulares causas & proximas etiam nominemus.

Una igitur est, cur multiformia animalia nascantur, & speciem non servantia, differentium animalium commistio & spermatum in specie dissimilium confusio. Compertum enim est, etiam hæc coire, & testatur Philosophus 2. de gen. anim. c. 5. Adhæc, inquit, quod in Africa in proverbia est: Semper aliquid novi afferre Africam, propterea dicitur, quod diversa etiam genera coëant. Nam ob aquæ penuriam terræ illius vel alienigenæ copulantur, cum in loca paucissima irrigua congregentur. Et ibidem: coëunt animalia generis eiusdem secundum naturam, imò etiam ea, quorum genus diversum est: sed natura non multum distant, & si par magnitudo sit, & tempora æquent graviditatis. Rarò tamen id fit. Sunt eius consuetudinis testimonia ea animalia, in quibus saltem secundum accidentia diversæ ideæ sunt commistæ, & coit canis cum hyæna, lupo, vulpe, Equus cum asina, camelus & equa, Etiam ossifragam ex vulture & aquila esse scribitur. In Aeliano est, apud Sybarin pastorem fuisse Cratin, qui cum capellam iniisset infans natus est cruribus matrem referens facie patrem. De Thaleteantiquo illo Physiologiæ magistro narratur, cum apud Periandrum in armento eius vaccam humano capite natam videret, vocem hominis imitantem,

Monstrorum in specie mutata causa prima.

Quæ diversa coeant.

Monstrum ἀλλόμορφον.

Thales.

tem, quod sapientem illum monuerit, ne posthac bubulos aleret non uxoratos. Suspicabatur enim monstrum illud ex consuetudine cum vacca bubulci genitum esse. Nicolaus Leonicenus, referente clarissimo Iohanne Baptista Montano in 4. Fen. Vidisse se quendam asseruit, qui naufragio in insulam quandam devenerat, ubi magna simiarum copia, unam autem, cujus amore captus esset, impregnasse. Editam autem filium & filiam, qui neq; homines essent, neq; simiæ, sed mixta animalia è diversarum specierum partibus constantia. Galenus in 2. de semine c. 4. in eandem sententiam inclinat. In coitibus animalium diversi generis Atheneus fatetur, accedere quippiam fœtui à matre non ad caloris commutationem, aut tenuitatis, aut crassitiei, aut vocalitatis, aut alterius cujusdam hujus generis. Parva enim hæc & materiæ solius, non etiam ipsius circa animal speciei vitia esse. Quæ verò à matre accedunt, totam speciem immutant. Siquidem enim asini semen equa utero suscipiat, fœtus non solum patris speciem habent, sed ex utroq; parente mixtam. Si verò vulpes canis semen suscipiat, etiam hic, quod nascetur non canis, sed mixti cujusdam ex utroq; genere reddetur. Hinc igitur ortus est talium monstrorum. Mistio enim seminum, quæ tàm habitu, quàm natura inter se discrepant, aliud quippiam præter vires suorum simplicium conficit, & natu-

Monstrum ex homine & simia.

Mistio seminũ quid faciet.

naturam eorum penitus abolet, quemadmodum albi & nigri cōmiſtio abolitis extremis coloribus alium parit colorem, fuſcum, qui neuter extremorum eſt. Igitur habitus genitalis aboletur, & ſpecierum habilitas, quæ creatrix certi individui eſt. Alexander 1. probl. 137. Sed non eſt omnium eadem ratio. & quæ ſic naſcuntur ex diverſis, ſæpè ne monſtra quidem dicuntur. Itaq; Averrhoës convenientiam conſtituit duplicem inter ſemina. Vnam naturalem, alteram non naturalem. Naturalis eſt, duorum ſeminum in una ſpecie, ut maris & fœminæ in humana. Non naturalis duorum ſeminum in duobus animalibus ſpecie differentibus, ut equæ & aſini. Hæc poſterior rurſus duplex eſt: propinqua & remota. Propinqua convenientia non naturalis ea eſt, quæ non multum à naturali recedit, ut in animantibus, quorum differentia occultior eſt, ut ſeminis canini & Lycisci. Parum enim à cane differt, tantumq; ut domeſticum à Sylveſtri in eadem ſpecie. Remota verò eſt inter ea, quæ multum diſtant, ut inter ſemen aſini & equæ, quorum temperamenta admodum diſsimilia ſunt, & manifeſta differentia, cum alius ſit hinnens, aliud rudens, à quibus ob id etiam generatio non naturalis & imparfecti or, quoniam id quod naſcitur, vel non generat vel generat: Si generat, tum vel ceſſat generatio, vel ad parentū primi ſimilitudinem fit regreſſus,

Convenientia ſeminum duplex.

Propinqua.

Remota.

aliàs infinita essent genera. Non generant autem, si conceptus maximè naturali oppositus est, & sterilitas inest, ut mulis plerunq;. Si quando igitur diversæ mulum materiæ, & diversis facultatibus præditæ commiscentur, ob diversitatem principiorum concurrentium, non quod uni simile sit, sed utriq;, hoc est, monstrum multiforme, in formatione gigni credibile est. Porrò habeátne ea commistio culpam in brutis, nihil attinet quærere, quibus si nihil aliud, naturæ velamentum relictum est: In homine divina lex licentiam ademit, cujus severitatem imitati principes edictis & pœnis gravissimis præcaverunt. Neq; immeritò. Nulla res adeò fœda atq; hæc est, de qua cum quis cautissimè loqui instituit, vix potest tamen aut ipse meminisse, ne animum lædat, aut verbis attingere, ne audientem lædat. Necessitas exegit, ut ipsi etiam libri sacri in Mosaica Republ. constituenda, ubi teguntur enormia omnia, mentionem injicerent, cum scelus hoc gentibus objicitur, damnatur, pœnæ nominantur, ut cæteri partim honestate animi ducti, partim timore ab ea turpitudine revocarentur. Ex quo uno æstimare licet, non novum hoc turpitudinis genus esse. Quanquam si nihil etiam præceptum esset, ipsa naturæ verecundia docere hominem poterat abstinendum á brutis, cum pleraq; bestias, ut est in memorabilibus auscultationibus Aristotelis

Nam brutorum cum brutis cõmistio mala.


In homine maximum scelus.

obſervatum ſit, non quo ſuis, niſi cogantur, initus pati, in cœteris rarò & fortuito fieri. Nam à natura eſt, quod cognata cognatis gaudent, ſibiq́; ſimilia ſequuntur, equus equum, homo hominem. Nec ut memoria earum rerum extaret, quod ſepeliri in æternum ſatius fuerat, ob id in ſacris deſcribitur, ſed ut ab hac licentia pœnarum ſeveritate emendabiles retraherentur, cæteri, quid ſibi expectandum eſſet, non ignorarent. Hi enim inter excæcatos & in ſenſum reprobum traditos recenſentur ab Apoſtolo. Et quæ poteſt huic malo ſatis gravis pœna conſtitui in homine. Num leve hoc ſcelus eſt, à DEO *communicatam imaginem brutis communicare, & divinæ illius auræ particulam in ſorditam materiam immergere? Ordinariam verò* DEI *potentiam in propagando pro arbitrio violare? Id quò majus in ſe crimen habet, hoc facilius colligi poteſt, quo autore ad hæc perpetranda facinora primum homines ſint impulſi. Vt enim heroici quidam ſunt in magnis viris animorum motus, ita hæc prorſus diabolica malitia eſt. Ergo quod de legibus rerum publ. olim rectè dictum fuit, Ex malis moribus bonas leges eſſe natas, ita de fœdiſſimis rebus ſaluberrimæ monitiones traditæ. Quanquam autoritate divinarum legum ita parum effectum eſt, ut ob ſceleris crebritatem ab ipſis ... ſupe-*

Cur eius mentio in ſacris.

Quantum ſceleris in ea conſuetudine inſit.

Autor.



Leges imperatorum.

Imperatoribus novæ etiam leges & pœnæ abjiciendæ fuerint. Hactenus una causa est exposita monstrorum in specie mutata, quam etsi prætererint plerique, veram tamen esse non dubium est, seminum nimirum diversorum commistionem, quæ cum in actum producta sunt, agente unoquoque quod potest, fiunt hæc ut nominari possunt ἀλλόμορφα σώματα, καὶ εἴδη σύμμικτα.

Alberti sententia repudiata.

Verum Albertus hæc ipsa ad aliam originem trahit, qui ut homines excusaret cœlum accusavit, & ad sagittarium biformem retulit, si modo omnia eius sunt, quæ illi ascribuntur. Nam video esse, qui de scriptis nonnullis dubitent. Si sunt, dicam, quod Picus est solitus, In alijs laudo, hoc non laudo. Ergo cum illis temporibus vacca quædam fœtum edidisset, hominis figuram repræsentantem, pastor autem quod de facto esset suspectus, igni adjudicatus fuisset, Albertus hominem ita defendit, quod diceret, eo anno talem cœli positum fuisse, cujus vi tàm deforme monstrum extiterit, autoremque hac ratione liberavit. Assentiuntur & alij hujus ordinis, & certos cœli gradus recitant, quibus id fieri posse arbitrentur. De quibus Iulius Maternus consulendus est & Hieronymus in quæstionibus super Genesin, & Augustinus 10. de civitate Dei. Ostendimus tamen supra figmenta esse, nullaque ratione vel experientia tueri posse, neque plus fidei profecto merentur

Historia.

hæc,

hæc, quàm illud de mulieribus aut virginibus etjam effusum á viris in pavimentum semen in balneo, cum ibi assedissent, è terra attrahentibus in uterum, & inde imprægnatis. Quis enim hoc crediderit, nisi qui mente non constet? Nam nisi utriusq; seminis excretio simul fiat, ne concipi quidem potest, ac ne quidem, si alterum paulò post. Nam ita, prius vel effluit interea, aut commisceri cum priore non potest, si jam constiterit. Quid facilius deinde, quàm omnes impudicos concubitus hoc modo palliare, licebit viduis, virginibus, matronis, absentib. viris impunè facere, quod velint, modò aliquando laverint. Virgines in balneo concipere. *Nec satis cautè agunt, qui hæc dico ad Deum autorem referunt, præteritis iis caussis, quas investigare multò satius fuerat, quàm in re omnium turpissima divinum quiddam, & quod plerunq; solent occinere, θεῖον τι quærere, sub honestissimo divinitatis titulo hominum impurissimorum nefanda flagitia quasi velo tegentes, quibus novæ pœnæ potius, quàm palliationes erant excogitandæ: Et sane Albertus alio etiam nomine malè audit hactenus, ut in quorundam libris est scriptum. Ratio istorum verò planè stupida est, hæc ad Deum referri oportere, quoniam enormis deformitas; leniora errata naturæ relinquenda, idemq; in morbis observarunt. Cur magna tantum Deo tribuunt, parva adimunt? Atq; hoc profanum est, & divinæ provi-*

Non sunt hæc facienda divina.

viden-

videntiæ ad omnia ſeſe extendentis contrarium. Et ſi morbos immittit DEVS, cur aliqui tantum divinitus, aliqui ex naturæ cauſis? Neq; video ego ullo modo cur peſtilens morbus magis Deum autorem, quam tertiana habeat? Itaq; ubi cauſæ manifeſtæ ſunt ad occulta confugere velle, hu ipſis neglectu, temeritas eſt. Quanquam á monſtris non in univerſum removeri oportere Deum ſuprà expoſitum eſt.

CAPVT XVI.

Ex priore argumento natæ quæſtiones duæ. Vna. Num unum in alio animal naſci poſſit: Altera an ex duobus diverſis unum utriuſq; membris conſtans gignatur.

1. An unum in alio animal naſci poſsit. *DEcurrit hic duplex quæſtio. Primum, poſſitné unum in alio animal naſci, quod dièrtè negabat Philoſophus, & impoßibile eſſe dixit. Deinde, an diverſorum animantium ſpeciè*

2. An in uno membra diverſorũ. *ita ſemina jungi in unam maſſam poßint, ut cum in actum fuerint deducta, id quod inde naſcitur tertium quiddam ſit utriuſq; naturæ & organorum particeps. Βούγλωσσ, verbi gratia ἀνδρώπεωεα in animalibus, in plantis ἀμπελόφυη. ἐλαιόπτωεα.*

Quod

Quod ad primum attinet, disertè defendit hoc animal in alio nasci non posse, & necesse habuit id facere, ut tueretur illud suum, substantias à substantijs generari, alias quidem ab univocis tantum κατ᾽ ὁμογένειαν, idq; in perfectis perpetuum, alias κατ᾽ ἐντελέχειαν ab æquivocis, sed in imperfectioribus. 1. Argumenta pro priore negativa.

Deinde suus cuiq; animanti vitæ locus est, perfectis maximè, suus leoni, suus lepori, nec in quo lepus, in eo & lupus nascitur, perinde ut in vegetabilibus cardui & malvæ semen in terra carduum & malvam producet, in homine non item. Certum id inter cætera argumentum, quod nec ubiq; vivere possunt, quod si hoc, ne nasci quidem: sed pisces in aqua tantum, alia alibi, sed sua sede ordinaria. Quibus verò uterus ad ortum datus est, non quævis in quovis tamen. Nam certam propriamq; ἐπιτηδειότητα habeat necesse est, ad semen & fovendum, & in eo excitando. Quin & magnitudo non competit pro quovis ferendo. Extra igitur matricem suam nihil vitam in peregrina accipit, ita lex stata est in natura, quod si accipitur, etiam animal in alio non nascitur. Et quomodo igitur vitulus, aut lepus, aut leo, vel serpens ex homine natus dicitur. Itaq; quod Philosophi tempore credebatur, meritò ille ex aliqua tantum aßimilitudine ortum sufficatur, aut ex vulgi quibusdam dicterijs. Nam revera esse non posse. 2. Nón idem locus omnibus. Matrix singulis propria.

M

3. Alimentum omnibus proprium. *Et quia pars vitæ animalium prima in procreando consistit, altera in alendo, 8. Hist. 1. Quod si matrix non obstet alieni animalis formationi, quod locus tantum sit pro conceptu, ne erit quidem, unde nutriri augeriq́; is possit jam formatione facta. Nam ut non ex qualibet materia fit indifferenter hoc & illud, ita nec alitur, sed suo peculiari & proprio, neq́; commune hic est quicquam, quod ad multa indifferens sit. Quod humano fœtui alimentum est, non est lepori, & quod huic non homini.*

4. Tempora graviditatis diversa. *Quartò urgebat hoc quam maximè Aristoteles non paucis in locis, Tempora graviditatis & ferendi uteri esse dissimilia. Longius & brevius pro animalium magnitudine & brevitate. Non enim brevi tempore magnas constitutiones vel animalium, vel quorumvis aliorum perfici facilè est, sed equi & quæ ijs cognata sunt animalia, quanquam minus temporis vivunt, tamen diutius uterum ferunt. Alia enim annum, alia quod plurimum menses denos gravida exigunt. Elephantorum uterus diutinus est, biennio namq́; gestatur propter exuperantem magnitudinem 4. de gen. ani. ultimo. Itidem in 4. cap. 3. Repetijt etiam in 10. sect. probl. 11. Cur in animantium genere alia brevi tempore pariant, alia diu gestant? An longius perfici solent, quibus longiora sunt vitæ spacia. Sunt autem partu tardiora, quæ lōgo tempore vivunt.*

Qui-

5. Appetitus feminis.

Quintum etiam hoc. Cum uterus non sine voluptate amplecti adveniens semen debeat, ne appetet quidem, id ullo naturali instinctu fœmina, quod à sua specie alienum, & non familiare ac cognatum est.

6. Cur quædam conficta monstrosa.

Postremò ex ijs, quæ scripta sunt in historijs non modo de Hippocentauris, Minotauris, sed de lepore, leone ex homine natis, & similibus eiusmodi τέρασι apparere manifesto conficta esse non uno tantum fine. Quædam à sapientibus inter Ethnicos, ut terriculamenta essent quasi minorum gentium, & religionis in ipsis utilia fomenta. Nam augurum religionem & omnium in his constitisse, unde his non puduit condire Livium historias suas, fecerunt item & alij. Rursus alia ad eventuum occultas notationes. In Græcia cum Xerxes magno exercitu victus esset, publica fama erat, ex generoso equo leporem natum: Equus is Xerxes erat, qui cum omnibus copijs suis in turpißimam fugam actus, leporinam timiditatem imitatus est: Nec fuit Geryon naturæ triplicis, ut fabulis proditum est, sed tres fratres tantæ concordiæ significabantur, ut una anima omnes regi viderentur. Creditur Homerus Thersiten ultum esse mirifica illa hypotyposi, cū illū undecunq; extreme odisset, quamvis ita monstrosus non esset. A pictoribus & poëtis multa alia emanasse certum est. Itaq; an verè tale quid etiam accide-

Geryon. Thersites.

rit, poterat dubium illu videri. Sed quia recentiu n emporum verissimæ historiæ obstant, id respondere potest, quod ipse Philosophus adjecit. Non sunt, quod esse videntur. Similitudo deceptionis causa est. Quid quod sunt etiam nonnulla, quæ in monstris ab imperitis habentur, quæ certæ tamen suæ speciei sunt, ut equicervi, tragelaphi, uti sunt & amphibia? Nam animalium pro locorum & regionum differentiis, miracula quædam & varietas est. Itaq, causæ quidam, cum etiamoli πέρατα describeret, addidit hæc: ὄυχ οἷα ὅπως γράφω ἢ λεγόμενα: Hæc sunt pro sua thesi prima, Nullum in alio animal nasci.

2. De secunda quæstione. Altera etiam non minus est controversa. Num monstra partibus animantium diversarum, ut vitulum humano capite, & fuem facie hominis ut est sæpè in autoribus. Diserte videtur Galenus negare in 3. de usu part. c. 1. Impossibilis est ipsi naturæ corporum adeò differentium mistio. Non enim sicut plastæ & pictores ipsi, tum colores tum figuras, sic substantiæ commiscentur. Neq, si coitus quidam venereus homini cum equa fiat, percipient matrices semen. Pindaro, sic ut poëta recipit fabulam de centauris condonandum est: Sed ut sapiens vir, & sibi plus vulgò Poetarum sive quiddam assumens audebat scribere, quod equa magnetidibus bellicosis, seu pedum malleolos alios habentibus commiscebantur, ex quibus oriebantur

bantur exercitus mirabiles, ambobus progenitoribus similes, inferna quidem parte matri, superna patri, accusandus est. Sed quia vidit Galenus obstare quædam, in quibus hoc fiat: subjungit: Equa asini, & asina equi poterit recipere semen, & retinere & perficere ad animalis permisti generationē ita & lupi & masculi canis. Canis verò ipsa non lupi solum, sed & vulpis, sicut & vulpes canis. Equa autem hominis semen fortasse ne receperit quidem in sinum matricis. Longiore enim pudendo opus fuerat. Si quando autem susceperit, corrumpet vel mox vel paulò post. Et paulò post. Satis constat substātiam hominis & equæ omninò misceri non posse. Si verò concesserimus in conceptu saltem misceri, & perfici hoc animal ita absurdum & monstrosum, at quibus nutrimentis nutrietur jam natum, non sanè invenimus. An herbis quibusdamq́; & hordeis crudis inferiora, et equina, coctis autem & humanis cibis superiora. Melius fuisset itidem duo ei ora fuisse hoc quidem humanum, aliud equinum. Quod igitur Galenus hic de equino homine non dat, minus etiam de vitulino homine assensus fuisset. Irridet autem more suo ibidem fusius. Idem noluit Lucretius. Aliud in alio non nasci propter alimenta.

Sed neq; Centauri fuerint, nec tempore in ullo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.
Hinc illinc partibus ut non pars esse potis sit. Centauri nulli & homines duplices.

Et paulò post:

Ne forte ex homine & veterino semine equorum
Confieri credas centauros posse, neq; esse
Aut rapidis canibus succinctus semimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum
Inter se quorum discordia membra videmus.
Quæ neq; florescunt pariter, nec robora sumũt
Corporibus, neq; proficiunt ætate senecta.
Nec simili Venere ardescant, nec moribus unis
Conveniunt, neq; sunt eadem jucunda per artus: Et:
Qui fieri potuit triplici cum corpore juncta
Prima leo, postrema draco, media ipsa chymæra.

Ita autem concludit, ut totum hoc genus prorsus tollat.

Non sunt mistæ pecudes.

Nil tamen est signi, mistas potuisse creari
Inter se pecudes, compactaq; membra animantum.

In uno nõ sunt duæ formæ.

Ratio videtur etiam his suffragari. Quomodo enim in uno duæ formæ substantiales esse possunt, ipsæ etiam, tàm differentes, & naturis & actionibus, & organis agendi. In uno una forma. Nam si plures, altera alterius actiones impediat necesse est, & alterius membris pro se utitur. At non potest forma peregrinis organis uti. Non coquit forma agni, ut hominis, nec quod agno cibus

bus est, illud & homini potest. Ac in tantum impossibilem esse putant Philosophi duarum in uno suppositio formarum conspirationem, ut introduci nulla possit, nisi postquam prior interijt. Quod si uniri posse omnind velis, alteram alterius præsentia infringi & remitti necesse fuerit. At formæ gradus non recipiunt, sed indivisibiles sunt, & eo ipso ab accidentium natura distinguuntur, quæ plus minusve in se recipiunt. Non sunt ita formæ, & ob id duæ in uno fœtu, porci, & hominis esse nequeunt: sicut idem non potest ex parte arbor esse, ex alia homo, alterum sit oportet, utrumq; esse non potest. Averrhoës hoc idem expresse: Impossibile est dari animal compositum ex duabus speciebus. Quod si quid tale invenitur uspiam, erit casus contingens ex corruptione materiæ, aut debilitate agentis, aut ex utroq; non quod sit illud verè pars alterius animalis. Agens enim generationis in specie non potest præstare materiæ aliam formam, quam illam, quæ est in illa specie, quia nulla est alia in sua essentia, neq; materia propria uni speciei potest recipere aliam formam. Idem. Non possunt eiusdem esse duæ diversæ definitiones. Differunt namq; entia secundum diversas eorum definitiones: Postremò si misceri species possunt, infinita erit rerum in natura ex promiscua commistione multiplicatio: sed finitus est specierum numerus, sicut agendi

Formæ plures sibi succedunt.

 virtus

virtus finita est, & causarum omnium naturalium definitus terminus. Atq; hi quidem hactenus:

Contra priorem sententiam *His in utroq; sunt, qui contradicant. Ac primum quidem id opponunt tot tantuq; rationibus, quod Philosophus in 3. de gener. anim. c.10. scripsit. Generatio apum ita se habere videtur, tùm ratione, tùm etiam ijs, quæ in earum genere evenire visuntur. Non tamen satis adhuc explorata, quæ eveniant, habemus. Quod si aliquando satis cognita habebuntur, tàm sensui magis erit quàm rationi credendum. Rationi etiam fides adhibenda est, si quæ demonstrantur, conveniunt cum ijs rebus, quæ sensu percipiuntur. Non videntur profectò veteres illi quicquam admisisse in Philosophia sua, nisi cujus noticiam ab Exemplis cognitis habuerunt.*

Magis sensui quam rationi credendum.

Ingentosissimus Augustinus, cum monstrum διφυὲς *natum credere non posset, cum profectus est, ubi fuit editum, vidit, credidit. Credidisset etiam Philosophus, si videre licuisset, quæ nostra memoria saltem acciderunt. Et quàm multa ille in suis histor ijs negavit non ob aliud, quàm quod non observasset unquam fuisse facta? In septimo historiarum ait, fœtus, antequam egrediantur vocem non emittere, etsi caput extet, ut difficulter exeant. Id hodie certissimæ historiæ refellent. In octavo ait: Morbus pestilens nullus incidere pisci-*

Multa negant Philosophi, quia facta non observarunt.

piscibus videtur. Hodie si viveret, aliud nimirum hic etiam crederet: Sunt eiusmodi multa alia. Cur omnes naturæ motus noti sunt & arcanæ causarum conspirationes, mutationum & generationum modi, digressiones omnes. Non firmum igitur est. Hoc non potest accommodari ad principia Philosophiæ, Non igitur potest fieri. Quasi natura his solis finibus contineatur. Multa illa libertate sibi permissa agit, multa per violentiam in opere impedita, ad quæ se non disposuit, neque prævidit, multò minus hi ipsius tam imperiosi consiliarij, cum rapitur, quò non vult. An etiam κενοδοξίας affectatores fecimus tot præstantes viros qui tam diligenter τῶν θείων μεγέθη καὶ ἀνθρώπων ὠμότητας, μονοφθαλμοὺς, ὠμοφάγους, πολυκέφαλα καὶ διφυῆ ζῶα nobis descripserunt? Quam sibi fidem autoritatemque conciliare se posse arbitrati sunt si γνώριμον ἅπασι τὸ ψεῦδος publicè obtruderent? Quod si tum, cùm illa scribebant, vera sunt habita (neque enim si secus fuisset ista descripsissent) cur minus hodiè valeant? Nostris temporibus, quam multa acciderunt verissimè, quæ cum legent posteri, minus erunt illis quàm nobis credibilia, qui ita facta esse non meminimus tantùm, sed propè spectavimus: Lapidem ex utero infans exemptus. Uterum gestasse quandam annos viginti & octo. Id si in Plinio legeremus, ridiculum ut multa alia habe-

Pisces tebore non laborare.

Animal in alio nasci & exempla & ratio convincunt.

haberemus. Amatus vidit virginem in virum versam. Itaq; ut fatear, quædam esse, quibus vix debeatur fides, cur omnibus tamen ea denegetur, causam non video. Sed ne fugiamus è Lycæo, animal unum in alio nasci posse, præter tot Exempla, quorum postea aliquot recensebimus, & supra ex Vive de mulieribus Neapoli Italiæ & in Flandria nonnulla, itemq; de Salernitanis matribus & è Bodino de bufone edito ratio suffragari fortaßis potest. Nam si coitum conceptumq; ex ijs, quorum genus & naturâ diversa est, admittunt, non censeam ex alieno semine in alieno utero nasci id posse, quod in semine injecto potestate infuit? Recipit tantum uterus & fovet, non format, sed id principium, quod semini adjunctum est, & si quid præter hæc matrix confert, non minus fovendo peregrino, quàm proprio potest esse commune. Placuit nonnullis, quoniam prius hoc fortasse imbecillius, etiam propterea, quod omniũ entium sit communis quædam ὕλη & propria, tamen è putredine, & humorum illuvie κύχμα constitui posse, unde influente calore & spiritu animal diversum gignatur in utero ad idolum, quod mater animo conceperit, in homine eo in loco ubi officina generationis est. Sed ut maximè resistant, vi τοῦ φανταστικοῦ adimi omnia nequaquam possunt, quoniam extra has leges potest, & vim materiæ etiam immutat.

Quod

Quod verò negant diversorum partes in unum esse posse, & ut Seneca loquitur: Non posse unum corpus duorum esse animalium, multo minus plurium, nihil cogit credere. Nam ut ex uniusmodi materia ea membra formantur, quæ δυνάμει *in ea latebant, ita ex mistis diversas utriq; principio respondentes partes nihil absurdum est. Nam & hoc mistionis ratio postulat, ut nullum miscibile ex toto pereat. Iuvat aspicere non modo quomodo metalla transmutentur, aliud in aliud & commisceatur: sed diversarum plantarum plurium semina cum in cera vel aliis modis juncta sint, ex ea insitione non una facie, neq; partibus uni congruentibus: sed diversis miro spectaculo prodire. Iam enim rosas cerasus gestavit, & brassica pomum. Singula enim ex suis principiis. Cultus industriaq; hominum effecit, ut è planta unius, sed adulterato trunco poma pyraq; nobis porrigantur: Nux in quercu nascitur, laurus in cerasο, ita quoquo versus naturæ congenita vis admirifica trahitur: res ipsa tamen ad vulgi judicium incredibilis: Provocemus etiam ad judicum sententias, qui si quid bigenerum in partibus nascitur monstrosè ad illicitos coitus, & confusa dispariа semina retulerunt: illud secuti, sicut ex simili simile, ita ex dissimilibus dissimilia gigni: Qualia enim sunt principia, talia, quæ ex iisdem gignuntur, ut est in 1. Moral, c. 10. Et si uniforme*

An partes diversorum in uno.

In plantis diversarum fructus.

ex uniformi, cur ex difformi non itidem etiam difforme? Quo pervenit alterum semen, si unius tantùm principium habet genitum? an in alterius naturam transit? Illud etiam ad rem satis evidens, quod novæ rerum species, quæ olim non extiterunt, nunc quidem naturæ vi, nunc arte etiam gubernante jam pridem sunt editæ, & eduntur quotidie, quoniam agentium & patientium conveniens aptaq; applicatio sive in iis, quæ seruntur, sive hortorum cultura & in ipsis animalibus nova & insolita producit. Nec nostri generis puerum nec sanguinis edit. Hoc quidem natura in mulis, & in illis Africæ monstris. Ars in mirificis insitionibus, ubi delectatio tantùm quæsita est.

Novæ rerum species.

In animalibus autem usus pro fine fuit. Nam equi & asinæ mistio placuit, ut alterius patientiam, alterius vegetam promtitudinem mulus haberet. Tardus asinus, sed laboris patiens: Equus vegetus quidem, sed ad onera ferenda impatientior. Tum uterq; & equus & asinus vita brevioris, mulus utroq; vivacior. Annos enim ad octoginta attingit. Ita species in bestiolis res commistione in firmiorē nonnunquam transferuntur.

Usus commistionis brutorum.

Quod verò formas misceri posse negant. Pri-

Formæ an non misceantur.

Primum quid formæ sint vix dici potest, certè aliquibus nihil videntur esse præter qualitates ipsas in rebus, peripateticis substantiæ sunt, quorum tamen rationes non sunt ab omnibus receptæ, sed neq; illud non univi plures posse, aut minui atq; intendi. Nam si oriri possunt & occidere, cur non perfectiores atq; imperfectiores esse? Hippocrates 1. de victus ratione sic ausus est loqui. Si quis non credat, animam animæ misceri, demens est. Et ne multa, Certè Aristoteles & coire diversa concessit, & concipere & gignere: Sed tribus conditionibus adjectis.

Primum quidem ubi par tempus.

II. *Ubi gestatio uteri proxima.*

III. *Magnitudo corporis non multum discrepans. Itaq; si cautè ponatur sententia hæc etiam, non videtur in universum abjicienda. Nam si fatentur similitudinem esse in monstris peregrinorum membrorum, in homine caput vituli, cur si figura se ostendit, quæ essentia organi est, non id tamen appellare volunt, quod apparet. Non est caput vituli: Sed simile quid. Certè si figuram non habet idoneam humanis functionibus, humanum non erit, & alienum. Si alienum, cujus vis potius, quàm illius, cum quo similitudo ipsa convenit.*

Conditiones tres eorum quæ ex diversis gignunt.

Figura est essentia organi.

CA-

CAPVT XVII.

In monſtris, quæ ſpeciem mutant, multum valere τὸ φανταστικὸν oſtenditur, teſtimoniis, Plinii, Heſiodi, Plutarchi, Hippocratis, exemplis plurimis: De Imaginatione doctrina tribus quæſtionibus prolixè traditur. Quid ea ſit: An quid poſſit in aliena corpora: Num fœtum poſſit ſignare, depravare, & quomodo poſſit:

Altera monſtrorum in ſpecie cauſa: τὸ φανταστικὸν.

SEd quoniam in multis nonnunquam inculpatiſſimis fœminis hæ naturæ παρεκβάσεις ſe oſtendunt, cauſa alia in imaginatione prægnantium quæſita eſt, ut τὸ φανταστικὸν enormiores partus excuſaret, eoq; contenti quodammodo viri multi. Et eſt quidem hominum opinione univerſim major eius efficacia, quam ut fides ei abrogari poſſit, vel propter creberrima φαινόμενα hanc in partem, quæ matres ipſæ ita frequenter eo referunt, ut paucæ ſint, quæ eius eſſe teſtes non audeant:

Agitat animus parentis in conceptu ſpeciem quandam, aut mater poſtea, metu concutitur, aſpicit rem vel verè horrendam oculis, vel intuetur pictam, appetit aliquid ardentius, ſi phantaſia, motusq; fortior ſubſequatur, fœtui notam inde-

delibilem imprimi toties compertum est: verum eares varias nobis de phantasiæ motibus, ut fit in aliis etiam, opiniones peperit, quandoquidem fuerunt, qui non hoc tantum quod hic quærimus, sed multa etiam alia, & aliorum corporum læsiones eidem attribuerunt, & mirifica prorsus ut Avicenna, & Pomponatius, quorum somnia Paracelsus in libro de signatura rerum amplificavit. Valere autem plurimum imaginationem in corpus proprium, matris in fœtū suo accipi dicunt, quoniam εὔηθες est contra sensus judicium ire, ut quibus posse & in aliena, non sine dubitatione est: Rectè Plinius, lib. 7. c. 12. ita de ea scripsit: Similitudinum quidem in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita latere, visus auditus, memoriæ, haustæq; imagines sub ipso conceptu. Cogitatio enim uniuslibet animo subito transvolans effingere similitudinem aut miscere existimatur. Ideoq; plures in homine, quam in cæteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum animiq; celeritas & ingenij varietas multiformes notas imprimit, cùm cæteris animalibus immobiles animi sint, & similes omnibus singulisq; in suo cuiq; genere. Eadem antiquissimorum sententia est, interesse quomodo tùm in generando affectus sit animus, tum matris inprimis gravidæ. Hesiodus interdixit ne quis è funere reversus tristis adhuc Veneri se dedat, sed

Opiniones de imaginatione.

Quid possit in corpus proprium.

Plinius.

Hesiodus.

sed cum è convivijs & ludis lætus alacerq; redit, ut est in 2. operum μηδ᾽ ἀπὸ δυσφημοῖο τάφου, ἀπονοστήσαντα σπερμαίνειν γενεὴν ἀλλὰ ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

Ne serito tristis rediens è funere mæstus
Progeniem, lauta sed cœna perge deorum.

Plutarchus. *Quæ sententia Plutarcho placuit, tanquam genituræ, non modo pravitatem ac virtutem, sed & tristitiam & gaudium, hisq; similia referat, ac suscipiat, hilares, lætos, ac gaudio perfusos ob id ad procreationem filiorum requiri. In Rhetorum* Hippocrates. *progymnasmatibus scriptum est de Hippocrate, eum matrem quandam, quæ admodum deformis fuerit, pater verò turpissimæ figuræ, cum filium edidisset pulcherrimæ formæ, atq; ob id pro adultera esset habita, in foro defendisse, cum super ea re consultus esset, quod diceret, non id adulterio, sed imagini conceptæ tribui oportere: Habebat enim in cubiculo iconculam pictam formosissimi adolescentis in tabella, quam fuerit frequentissimè illa intuita. Ita suspicio est semota & honestas servata. Nihil ego in omnium historijs prope admirabilius legi, quam quod à Ludovico* Memorabile factum de fœtu repræsentante dæmonem. *Vive autore gravissimo scriptum est in 12. de civitate Dei c. 25. & quoniam maximè hujus loci est, placet referre: Pleni sunt, inquit, Physicorum libri, visa per conceptum magnam in partu vim habe-*

habere. Vnde præcipitur conjugibus, ut elegantes habeant circa genialem lectum imagines. Vrbs est in Brabantia Buscunducu, in qua ut in alijs ejusdem terræ statu anni die quo ferunt maximum urbis templum dedicatum publice supplicatur, ludiq; varijs divis exhibentur: Sunt qui tunc personas divorum induant; sunt qui dæmonum: Ex his unum cum visa puella exarsisset, domum saltando sese recepisse, & arreptam, ut erat personatus, uxorem suam in lectum conjecisse, se ex ea dæmonem velle gignere, dicens: Concubuit, concepit mulier, & infans quem peperit, simul ac primum editus est, saltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur.

Hæc Margarita Augusta Maximiliani filia hujus Caroli amita narravit Iohanni Lamuzæ homini prudentia incredibili, qui tùm erat hic legatus à Ferdinando rege. Hæc Vives: Refert Paræus anno 1517. in Posci regis Paracia mulierculæ febricitanti ranam vivam alligatam esse palmæ manus, dum ibi moreretur. Noctu autem à marito imprægnatam esse, edidisse postea fœtum facie ranæ miræ deformitatis. Consimilia quædam alia naturæ περγ̓ᾶθα leguntur passim: Galenus in libro de Theriaco ad Pisonem habet hæc: Veterum libris celebratur quædam quæ opibus florebat in corporis maxima deformitate cum vellet procreare prolem formosam, depinxisse in tabella

Fœtus ranæ faciés

Galeni historia.

tabella elegantem pusionem, & quoties cum uxore congrederetur jussisse, ut illam aspiceret, & eam sibi proponeret exemplar, in quam cum oculos suos defigeret, & in tabellam animum intenderet, non patris, sed pusionis depicti, qui nascebatur infans lineamenta retulit. Natura enim ex visu pusionis imaginem hausit, citra individuorum corporum adminiculum. Magis memorabile hoc, quod Lutherus in Genesin transtulit: Memini me puero Isenaci formosam & pudicam matronam eniti glirem, quod eò accidit, quia ex vicinis aliquis gliri nolam suspenderat, ad cujus sonitum reliqui fugarentur, is mulieri gravidæ occurrit, quæ ignara rei subito accursu & aspectu gliris ita territa est, ut fœtus in utero degeneraret, in formam bestiolæ. Vidimus & VViteberga civem facie cadaverosa, qui dixit, matrem cum utero gestaret, ex conspectu cadaveri territam esse, & ex eo fœtum illi assimilatum. Plumbini dux, scribit Alciatus, patrum nostrorum memoria, cum de se prægnantem concubinam crederet, invitassetq; ad baptismi sacra, quamplurimos primarios viros, ea Æthiopem peperit, coquo suo simillimum. Quapropter ridiculo habitus, quæstione deprehendit veritatem. Villosos canes ajunt ex eo primum natos, quod matres in segetibus villosis desederint. Vidimus in hac Repub. nostra Vratislaviensi mulierem, quæ cum intueretur infan-

Matrona glirem parit.

Infans facie cadaverosa.

tem clausa anu natum, illa paulò post fœtum edidit, eadem parte non patente. Rustica quædam utero gerens, cum marito ex urbe regressa domum est, marito subsistente: Hic reversus deprehendit anguem, ab ea devoratum pro pisce, parcit utero tum puerperæ, sed cum postea narrasset factum, statim expiravit. Quidam cum esset in carcerem conjectus, & de eius capite ageretur, manè totus canus apparuit. Libet addere & aliam, non modo quia facetiolæ insunt, sed quia argumentum juvat. Narrant fuisse qui cum ab alio sibi metueret, sine tamen causa justa, quasi ille vitæ ipsius poneret insidias, cumq; joco illum fodisset rapa, sic fodisse, ut animam statim exhalârit: De Scurra simile quiddam est, quod Romæ accidisse scribitur. qui cum suppositus esset securi, quo modo decollare solet gens Itala, interimq; sola cervix frigida conspergeretur, ex eo exhalârit, etiam cum nulla securis esset adacta, neq; adigi debuisset. Tantum potest subita affectuum εἰσβολὴ, in viris etiam, nedum in imbecillioribus matribus. Historiæ quædam mirificæ.

Cœlius habet quosdam ita intenta imaginatione sensum exurere, ut nihil sentiant, si secentur etiam, quod idem de se prædicat Cardanus in libro de varietate, tum se quatuor rebus facit admirabilem & rarum. Adjungam & hoc: quædam cum maritum vidisset, in pectore lethaliter Imaginatio sensum tollit.

vulneratum, qua parte vulnus fuit, ea fœtus etjam postea editus, rimam manifestam & apertum pectus habuit. Magis autem hoc evenire observatum est iis, quæ sunt κίσσωσι, & μαλακίαις tentantur affectu, cum vel absurdissima appetunt, vel si repulsam tulerint, ex eo jam satis causæ ad signandum fœtum Signant enim ferè cum quæ appetuntur denegata sunt, non signant si appetitorum potiantur, ut hoc non imaginationi soli, sed appetitus affectionumq; alicujus invasioni hoc tributum sit? Habet enim magnam vim ea prima impreßio, & validior in motu impetus. Facit ad rem nostram hic exemplum quod insignis ille medicus Iohannes Langius descripsit in Epistolis suis: sed non libet referre:

Pica laborantes.

Posthæc unum ex antiquitate referamus, de Iacobi etiam divinitus approbata solertia, non enim astutia, sed naturalis magia δῆγμα. Ita inter socerum & generum convenerat, ut pars pecudum maculosa generò cederet, altera socero, quid egerit ille ut in grege multa essent ejusmodi, his verbis exponitur. Collegit sibi Iacob virgam populeam viridem, & amygdalinam & castaneam, & decorticavit in eis cortices albos, denudans candorem, qui erat in virgis. Virgas eas, quas ita decorticaverat, collocabat in canalibus, & in alveis aquarum, è regione pecudum,

Iacobi factum.

quæ veniebant ad bibendum, ut incalescerent, Ita incalescebant pecudes ad virgas illas, pariebantq́ pecudes varios, cruribus punctibus respersos, & latis maculis interstinctos. Cum vero sero coibant pecudes non ponebat: Tanta erat vis imaginaria in matribus, ut ad conceptæ foetu imaginis idolum impreßio colorationq́ fieret, sed quoniam è Physicis motibus ita deducuntur, ad ea momenta attendit, quæ ad eum eventum plurimum facerent: Nam primam virgas decolores fecit, deinde tempus elegit, quo congredi pecudes eæ solebant, conjecit tertio in aquas, quæ potæ sicut vegetant, roborantq́ animal intus, ita ad Venerem incitant. Id totum naturale esse, ex his ipsis patet, quibus nihil fuisset opus, si ut pugnant aliqui miraculosum artificium non naturale id fuisset. Nam & in equis hodie observatur alicubi, ut quos discolores velint, iis virgulta sinuata in canales injiciant, & in tegetibus objiciant, cum iniuntur. Omnino autem fatua illa ratio, cum ajunt, si id imaginationi attribuendum esset, oves non agnos sed baculos parituros: Nam ita mulier quoq, non hominem, sed picturam quoq, ex imaginatione pareret. Imaginatio autem accidentia immutavit, & id impreßit, quod ferre materiæ subjectæ ratio hic potuit;

Ex his tot & tantis eventibus publicus est consensus hominum, imaginatione magistra in errorem duci aut trahi potius τὸν πλάσμα, *cum non modo notis polluitur infans, sed in figuram prorsus speciei, non convenientem effingitur. Sed quia non parvi negotij est, ostendere, quomodo id* τὸ φανταστικὸν *præstare possit, neq; exigua lis, cum ijs, qui multa supra fidem eidem ascribunt, commodum erit, ad utrumq; subsidium ad ea prius descendere, quæ à Philosopho in 3. de Anima & libro de Somno & Vigilia, alijsq; locis, de Phantasia nobis diligentißimè tradidit. Nam absq; illis ipsis principijs ita intricata tota ea res est, ut consultius videatur Senecæ consilium sequi: Nega, inquit, tibi liquere, aut reverti jubeto. Frequens, est illa in obscurarum quæstionum enodatione fuga, ut aut negetur rem explicari posse, aut in aliud tempus reijciatur: Tria autem capita attingemus: Vnum quid de Phantasia Philosophus sentiat. Alterum. veranè sit ea sententia quæ imaginationem extra se in aliena corpora jus habere affirmavit. Tertium, An & quomodo fœtus à gravidarum matrum Phantasia lædantur:*

Doctrina Aristotelis de phantasia.

Tria argumenti capita. 1. 2. 3.

1. Caput.

Ergo imaginationem Græci phantasian appellant, non ut Latini ab imaginibus, quas intellectu repræsentant, sed ἀπὸ τοῦ φάους *seu luce, quod absq; lumine nihil cernatur. Nam quamvis*

vis ad phantasiam rerum sensibilium species non modo á visu deferuntur, sed omnibus, externis tamen quoniam visus sensuum omnium non modo acerrimus, sed nobilißimus, ob plurimarum differentiarum in rebus perceptionem, & quia minus est quam cæteri materiæ immersus ab eo imaginatio Græcis visi & visionis nomen accepit, ut ait ex Aristotele Themistius paraphrastes, & phantasia ex argumento lucis, sine qua nihil aut videmus aut discernimus: Unde sunt φαντασιώδεις quibus per quietem visa apparent: Porro imaginatio vel facultatem significat, vel actionem, vel id quod imaginatione concipitur, hoc est φάντασμα. Itaq; triplex vis in voce est. De vocis origine. Significatio eius triplex.

Facultatis naturam descripturus Aristoteles, cum animadverteret dissentire veteres, prius quid antiqui Empedocles, Homerus, Plato esse censuissent, exponit, tum quid verè esset: Non est imaginatio sensus aliquis, Etsi id creditum jampridem fuit. Multæ enim imagines rerum intus phantasiæ offeruntur, cum foris sensibus nihil, & quando feriantur ipsi, nec actu quoq; sentiant, ut fit in somniantibus. Non est etiam ipsa sensuum facultas, cum hæc semper insit, ab imaginatione autem nonnunquam desistimus. Sensus præterea animalibus omnibus inest, imaginum determinatio non omnibus ut vermi- Quid sit secundum veteres. Non est sensus. Non sensuum facultas.

 bus,

bus, formicis, apibus, aut si quid est, confusa tamen, imperfecta, communis. Naturalis enim potius inclinatio est, neq; quod in futurum sibi provident, id ab imaginatione est, sed à naturali potius instigatione quam futuri vera apprehensione. Sensus item verorum est, quoniam circa propria sensibilia non facile decipiuntur. At imaginari etiam ea possumus, quæ non sunt, ut Montes aureos: denq; sensus tantum rerum præsentium est. Imaginatio & absentium & futurorum: Non igitur sensus imaginatio est: Sed ne intellectus quidem dici potest, cum iste principiorum sit intellectus, & scientia conclusionum demonstratione acquisita, atq; ob id verorum: At imaginari etiam solent homines, quæ aut non sunt, aut falsa sunt: Tertiò opinio etiam ab imaginatione diversa res est.

Non est intellectus.

Non est opinio.

Opinionem ferè fides sequitur, & credimus quæ opinamur. Imaginationem fides non comitatur. Fides in brutis nulla, imaginatio autem in quibusdam: Opinio rationem aliquam sequitur, quæ persuadet id esse, quod opinamur. In imaginatione secus habet. possumus enim quicquid & cum volumus animo concipere, opinari nisi ratio subsit, cur aliquid verum vel falsum videatur, non possumus: Atq; id quidem non est imaginatio:

Nunc

Nunc quid ea verè sit. Est imaginatio motus animæ quem sensus in actu positus gignit. Est ura enim quædam est rerum sensu perceptarum & assimulatio eorum, quæ apprehendimus. Igitur hujus quidem officium est, species rerum à sensibus oblatas recipere & intellectui contemplandas repræsentare. Accipit ille ab oculis, auribus, cæterisq; sensibus & menti offert, quæ dum in corpore est, phantasmata speculatior, ob quam causam necessaria ea facultas animæ fuit. Scientem, inquit Philosophus, oportet phantasmata contemplari, multaq; per phantasiam agere homines, cum ratio in morbu somno vel alys modis est impedita. Diserte in 3. scribitur. Quamvis igitur aliud sensus est, aliud imaginatio, sine sensu tamen fieri non potest. Sed per sensum & in sentientibus, sensuq; variato ipsam etiam variari necesse est. Ejusdem id argumentum est, quod quibus natura sensus aliquis deest, eorum, quæ illi sensui subjacent, imaginatio nulla est. ut colorum in cœcis, sonorum in surdis. Quare servit sensus imaginationi, hæc vero intellectui. At nihilne, dicat aliquis, imaginabimur nisi quod prius in sensu fuerit? Certè secus videtur, quoniam etiam absurdissima & quæ nunquam sunt fingimus. Imaginatio, inquam eorũ est, quæ in sensu vel fuerunt, vel abrebus sensu aliquo perceptis deducuntur.

Quid verè sit imaginatio.

Imaginatio non est sine sensu.

An nulla it imaginatio sine sensu.

Poteſt multa mens humana effingere, quæ nunquam aut fuerunt, aut eſſe poſſunt, ut Zetim & Calain filios Boreæ, Hippocentauros, Scyllam, & Charybdin, qualia fingere Poëtæ ſolent, & infinita ſunt in metamorphoſi: Pictoribus quid non licuit ſemper teſte Horatio? Illi autem quos Melancholicos & Phreneticos vocamus, videmus ea ſibi fingere quæ planè nuſquam ſunt. Idem in ſomnÿs apparet, neq; præterita tantum & præſentia, verum & futura imaginamur, bella, peregrinationes, conjugia, lucra. At futura nondum ſunt. Earum autem quæ non ſunt, ſimulacra nulla eſſe poſſunt.

Poſtremò qui memoriæ ſubſidia imaginibus quærunt, ea ponunt ſibi in mentem, quæ nullibi exiſtunt. Sed quaſi eſſent, accipiunt. Itaq; non omnis imaginatio rei alicujus verè exiſtentis imago eſt: Sed ea ipſa quæ finguntur, quodammodo à ſenſu ſunt, & ex ÿs derivantur, quæ ſolent in ſenſus incurrere, atq; ita principium à ſenſu tamen ducit: nam qui corvum nigrum vidit, albos etiam imaginari ſibi poteſt, quos nullos vidit, ſic vitreos dentes, & homines volantes, & montes aureos, quod ſi montem nullum vidiſſet, ne imaginari quidem aureum poſſet, ita vel à ſenſu proximè eſt imaginatio, vel ÿs, quæ à ſenſu facto principio, ipſa ſibi mens liberè efformat: Hujus facultatis uſus in animalibus nonnullus eſt, neq;

Etiam quæ finguntur, quodammodo à ſenſu ſunt.

in homine tantum, sed & brutis, ob id vitam Aristoteles dixit animantium visis magna ex parte regi, cum imagines diu adhærescant, & perpetuæ sensibus similes sint. Nisi quod nullam bruta vim habent superiorem, & tantum ab iis simulacris afficiuntur. Homo præter hanc etiam rationem habet, phantasiæ beneficio, quæ est quasi imperfecta inchoataq; ratio quædam in brutis, in multisq; se prodit, aves vis cum evitat, cum eo multas capi observarunt. Lupus meditatur canes, stabula, pecudes, custodem, Canis meminit se fuisse cæsum, fugit igitur cum baculum videt. Bucephalus sui domini simulacrum impressum habet, sicut ovis lupi. Hujus ductu Psittaci discunt, & picæ, & canes, alia victum, domicilia, nidos parant. Exercent artificia, ut aranei, sequuntur utilia & declinant noxia, ut quædam ab arte & ingenio videantur profecta. Facit ut quædam non modo διδακτικὰ *sint, sed in futurum usum sibi prospiciant, colligant, quod necesse est: atq; hæc illis phantasia loco intelligentia est.*

Vita visis regitur.

Phantasiæ summa vis in brutis.

Rerum autem quæ offeruntur neq; unum genus est, neq; modus quo accipiuntur; alia adversa, alia jucunda, & sic motus diversi consequuntur in corporibus, ut patebit postea. Quædam etiam volentes imaginamur, quædam nolentes. Volentes rebus externis species abstrahimus

Res imaginatæ ni objectæ.

Imaginatio voluntaria & nõ voluntaria.

pro arbitrio. Nolentes sicut cum anima intus quodammodo sopita est feriantibus etiam sensibus foris, species ab interioribus incurrentes imaginativam percellunt, quod item fit in egris, & ubi fumi, quemadmodum in Phreneticis, & Melancolicis, spiritibus commisti mirifica representant; Rursus quæ offeruntur imaginativæ facultati, aut cum alio motu, & perturbatione recipiuntur, fixaq; est in ys cogitatio, aut sine motu, & ille ipsu vehementiore, nec mens diu intenta est: interest autem quilu ea sit εἰδωλὴ ut patebit: quid sit imaginatio, dictum, & circa quæ.

Imaginatio cũ motu aut alio aut sine eo.

2. Caput. An quid posit imaginatio in alie na corpora.

Nunc alterum sequitur quantum τὸ φανταστικὸν valeat, quæq; eius in universo vis sit & potentia.

Primum quid non possit, posse autem crediderunt Arabes, Avicenna & plures alij, videamus. Censuerunt isti imaginationem admodum esse efficacem, maxime verò humanam, ut non modo in id corpus, in quo est animæ multum iuris habeat, sed externam materiam movere, immutare, alterare, abiq; actione quapiam per medium possit, sine organo corporeo, cum extra hanc, neq; sine medio, neq; instrumento perficiatur actio. Non esse tamen volunt hoc commune omnibus, sed certis tantum: nam cum animæ dupli-

ces sint, nobiles & ignobiles, hoc nobilibus tantum competere, & quæ proximæ sint intelligentijs, plus à materia deputatæ, & quasi fece communi animarum, sub benigno aliquo cœli aspectu ortæ: Hæ cum vehementer aliquid volunt, & fortissimè imaginantur, & subiectum sit mutationi idoneum, agere quidvis posse, tantò facilius, cum tria hæc simul iuncta sint, animæ nobilitas, motus phantasiæ fortis, & subiectum non repugnans. Ex quo multorum eventuum rationes exquirunt, quorum communis Philosophia nullam posset reddere, in qua acquiescat animus. Nam perinde ut res naturales, arcanas in se vires, ad agendum habent, quibus obiecta corpora afficiunt, quemadmodum magnes, ita & de anima rem se habere. Quarum animarum id fit. Tres conditiones imaginantium.

Ex eo est, istis quidem autoribus, quod de nonnullis scriptum est, eos solo attactu, ægrorum incurabiles morbos, sine remedio alio tollere, iubent ea etiam considerare, quæ quotidie ante oculos sunt: videas nonnunquam etiam simplices homines, si pauca admurmurent, multos unum in locum serpentes convocare, attingere, connectere in fasciculum, tractare sine incommodo. Non id verba faciunt, quoniam si quis alius pronunciet, & sæpius nil profecerit, & quia nihil apparet, aliud, imaginationi videtur tribuendum esse. 1. Actu morbi tolluntur. Imaginatione cogi serpentes.

Mar-

Marsos etiam Italiæ populos, cantu serpentes potuisse contrahere, in antiquis legitur: Admiserit præterea latro in via homicidium, cadaver autori intuendum sit propositum, sanguis è cadavere effluit. Vnde hoc? nisi quod spiritus interfectoris fixè intuentis & considerantis à se inflictum vulnus cadaver eiusq́; reliquos spiritus commovent, sanguinemq́; eliciunt. Eiusdem phantasiæ vi effici, ut si quis quantum satis est, cadaver acclamet, surge, reviviscat illico: Pluviam ijdem cum volunt congelant, intuitu & imaginatione fascinant, & polluunt, hostes imaginatione non secus ac baculo sternunt, quem febricitare volunt, cogitant tantum febricitare, aliumnè ijsdem phantasijs in mare mergunt, miscent elementa, & multa alia. Iubent & similitudines parentum & liberorum intueri, quorum conceptæ imagines tantum valeant, ut quam velint fœtus accipiat, ex eodem arcano animorum motu, pathemata in alijs excitari, ut non modo cum lugentibus lugeamus, cum videntibus videamus, sed & rerum plurimarum præhensionibus originem esse, quarum nullum in nobis principium est. Moritur in remotißimis locis quispiam, ut in Hispania, eo momento quo moritur, præsagit animus hoc malum ijs, quibus sanguine junctus est. Nisi id temerè fieri dicas, ab externo motore fieri, dicas necesse est: At quia ut plurimum

Cadaver stillat sanguinem præsente autore.

Similitudines facierum ab phantasia.

Pathemata ex eadem.

mum evenit, causas alias, quam casum, habere videbitur. Moribundos si cognati astent, negant ob id mori posse, aut difficulter. Etiam in animalium mactatione, si quis misereatur, torqueri diutius. Mammas lacte impleri, si absentibus è domo matribus infantes sitiant. Plurimum valere in ægro fiduciam erga Medicum, & ea quæ illi ab eo offeruntur, remedia. Mammæ implentur sitiente infante.

Hæc & multa alia hoc loco in re incredibili, quibusdam in mentem venerunt. Repererunt multæ sententiæ etiam absurdissimæ patronos suos, hæc etsi aliquot habuit (quid enim sine defensoribus unquam prolatum fuit) nullibi tamen stabile præsidium: Neq; enim quod in pleriq; fit, dubitationes parit, sed usu ridicula est, Primum, peripateticis absurda, deinde impia etiam in religionem: Certè si vera esset, nulla omnium hominum opinione nobis debebat esse charior. Quid non erimus? quid non assequemur? si imaginando id possumus, quod maxime vel opus est vel delectat. Optabit avarus divitias, & diligenter imaginabitur, ilico dives erit. Aristoteles sapientiam, Iudæus Mosen et Mesiam, Romanq imperia, Græcus sapientiam, Hispanus belli gloriam, ac ne omnia persequar, quantum ubiq; singulis philautia suggerit, id imaginatio tribuet: Finis miseriarum erit, laborum & studiorum, nihil refert quid agas, quomodo vivas, modo velis, aurea illa Medu- Refutatio sententiæ de imaginatione in alia corpora.

sa,

sa, beatum illud φανταστικὸν *suggeret: Nihil deerit, nisi quod imaginari non poterimus. O magna felicitas, quam somniarint multi, nemo possederit. Ridenda igitur hæc nisi magna inesset in opinione impietas? Quid enim? an imaginatione edita sunt miracula olim. Imaginatio vis creata est: At miracula ab infinita vi manare credita sunt, & ob id ex eo divinitatis argumenta tracta sunt. Quod si hoc fidei tribuūt, cur naturæ & animæ præstantiæ? A Philosophis totum hoc, ut ait cōciliator, ridiculū habitum est. Illis enim hoc certum: 1. Animam extra id corpus in quo est actionem in alia foris nullam habere, sicut magnes habet. 2. Et istud alterum: Sola animæ vis interna, nulla medij intercedente transmutatione, multum immutare corpus externum seu extra se positum potest. 3. Et tertium hoc, Formam nostram, dum in materia est, tantum in materia propria agere, nihil extra hanc in remotam aliam posse extra subjectum proprium: Et certè si non potest anima proprij corporis sui partes esuas mortuas, ut pollicem aut digitum in gangrena, animare rursus, quomodo externa moverit? Tum quid est ipsa imaginatio, & id quod imaginando concipitur? Ea est facultas animæ, quæ imagines rerum accipit aut effingit ideas. Notio etiam quædam ipsum phantasma, species non realis, sed ut nominant intentionalis, quæ repræsentat tantum,*

Impia sententia.

Animæ extra corpus in quo est nulla actio immutans.

Anima in suas partes mortuas nil potest.

tum, & nihil præstat præterea: ut enim cum in speculo apparet, rei oppositæ idolum, speculum ab eo non mutatur, neq; in melius, neq; deterius, ita & imaginatio. Ignem imaginor, non calefit cerebrum, nivem, non refrigeratur, non ægrotat medicus cum de morbo cogitat. Intus igitur per se hoc unum potest, quod repræsentat intellectui ideam, & si quid amplius potest, ut dicetur, in suo tantum potest corpore. Qualitas non realis non alterat.

Est enim immanens actio, ἐμμένουσα ἢ ἀμετάβασις, *sicut intelligere & sentire. non ex earum numero, quæ sunt* μεταβατικαὶ ἢ μεταβαίνουσαι *quæ exeunt, & in aliud fluunt, ut est facere. Non egreditur imaginatio cerebrum, neq; contingere aliena potest, actio autem per contractum est. Et quoniam forma, ut dictum est in ea tantum materia agit, cujus est forma, ob id extra hanc nihil potest: præter id etiam medium non habet. Incorporeum autem in corporeum sine medio participante non potest agere. Adeò nihil loci hic suavibus istis deliramentis. Nam planè sequuntur fabulositates de animabus relicto corpore errare solitis, vagiçq; è longinquo, multa annunciantibus, quæ nisi à præsenti nosci non possent. Corpore interim semianimi ut de Hermotimo Clazomeno recitat Plinius lib. 7. ca. 52. donec cremato eo inimici remeanti animæ velut vaginam ademerint: Ea autem, quæ pro se*

Actiones causæ duplices.

Observatio animarum separatarum.

effere-

Responsio ad objecta. afferebant, ex ijs pleraq; non sunt ita certa ut existimant. Sed stulta vulgi persuasione disseminata. Multa verò aut divinitus fiunt aut spirituum opera, non ipsius animæ, suum regentis corpus; nonnulla alijs ex rebus in natura causas habent, ut de fascinatione & corporum pollutionibus.

Imaginatio nō dat pluvias. Pluvias ab his fieri falsissimum, nam vel miraculosæ sunt, vel dæmonum ministerio, vel etiam modo ordinario, itaq; abijcienda hæc in universum. Sed si hoc non potest quid igitur? multa dico sed in suum corpus. Nam quia corpori & quantitati juncta est, ut forma ideo ad eius motus commoveri corpus nihil mirum est.

2. Caput. An à phantasia fœtus lædi possint. Sed possitne fœtus in utero, à phantasiæ motu lædi, proprium huius capitis argumentum est. Atq; posse quidem statuimus. Verum sententiæ ei obstant hæc: Nam si

Videri non posse. formatio animæ actio, quæ est eius ista providen-

1. tia? cur domicilium illa suum sibi polluit, sæpè ad usum ita condit ineptum, ut in eo esse pudeat?

2. Porro à phantasia ne fieri quidem posse videtur, quod cum illa concipit phantasma, similitudo tantum rei corporeæ, quemadmodum imago repræsentat tantum id cujus est simulacrum, perinde

Phantasma non alterat. ut quæ in speculo, in aquis, poculo, nubibus, aëre, somniorum visus. Spiritualis est illa qualitas, nec alterat revera corpora, cum quælibet secundum suam naturam agat, nihil ultra suam speciem. Ergo conceptum in animo phantasma, non plus nocue-

nocuerit homini, quam leo in tabula pictus, aut ipsa dæmonis aut serpentis umbra.

Quod si etiam posset aliquid in interna, quid tamen ad naturales uteri actiones, quandoquidem gignendi cognoscendiq́ facultates tantopere discretæ sunt, neq́ sejunctæ locis tantum, quamquam longe cerebrum à matrice & testibus abest, tanto intervallo divelluntur, sed ipsa generatio actio naturalis est, neq́ à cognoscente cerebri facultate ducitur: Intellectu naturæ actiones non gubernantur, non sedamus famem, non sitim cogitando: conspirare dicent facultates familiari cognitione. Gignere & cogitare ejusdem esse animalis, phantasiam cum toto consensum habere, cujus id signum quod ad Veneris cogitationes partes inflatur, transmittente eo anima calorem & spiritum. Nihil istorum falsum est: quia tamen agens patiensq́ in materia communicare sit necesse, & contraria sub eodem genere contineantur, quomodo ἀσώματος illa species propagari poterit, aut quo medio, aut quomodo nocuerit? Magis hoc mirum, possitne phantasia ita materiæ seminalis potestatem immutare, ut quod in ea non infuit, insit tamen, ut ex humano semine, piscis cauda, aut vituli caput nascatur. Quod si ex materia non propria aliquid fit, perinde est, ac si ex nihilo, inhabilis enim materia, pro non materia: at format ὁ πλάσης pro seminis natu- 8.

Actio naturalis non gubernatur à cognoscente

1.
2.
3.
4.
5.

Plastes format pro natura fœminis.

ra, non ad externum exemplar. Nam si sequitur
typum ubi ille est cum maluam aut betonicam
fingit? num & ibi cerebrum, & simulacrum de-
6. siderat? quæ porro tam insana mater est, quæ
imaginem tam fœdam concipiat, ad quam in-
fans efformetur biceps, valgus, vatia, thersites, si-
mia? At cur non pulchros potius, & Nirea quen-
dam, & speciem aliam formosiorem. Sunt quæ-
dam ita pravo ingenio, ut alienos mallent fœtus
7. polluere, si possent, quam suos. Quod si etiam, tam
facilis esset ab imaginibus per sensus influentibus
8. læsio, quis infans sine macula ederetur? quid quod
multa solent apparere in iisdem, quarum rerum
imagines ipsæ quidem meminerint, unquam se a-
9. nimo concepisse. Ad extremum illud etiam vim
imaginationis maximè minuit, quod videmus, si
quæ vehementer & diutissimè tum in ipsa con-
ceptione, tùm reliquo toto tempore imaginatur
gravida, filium scilicet gestare se in utero, & pa-
riturum, non efficit tamen imaginando, ut sit,
quod vult, & cupidissimè desiderat: Scilicet non
potest, quod tantopere expetit, & quod maximè
aversatur, & aliquando obiter obiicitur, ab eo
fœtus deturpabitur? Hæc contra Phantasiam in
mentem venire possunt: Sed non sunt tamen eius-
modi, ut propterea potestas omnis & simplex adi-
menda esse videatur: Separanda enim non sunt
ea, quæ illi annectuntur:

Pro imaginatione.

At

1. *Ac primum quidem, etsi ratio ipsa non appareret, verisimum tamen habendum, quando id iam gentium propemodum omnium consensione receptum est, quod valere tamen ad fidem merito debet, cum pluribus, iisdemq; evidentißimis experimentis, qualia promi ex omni historia possunt, creditur.* Consensus omnium gentium.

2. *Deinde quia ex anima & corpore constamus, illa quia nobilior est, in corpus suum imperium habet, quod & cum format, & cum jam eo ad agendum utitur, variè potest & solet immutare, idq; non modo in iis videmus quæ consuetè & frequenter agit, sed & raro & mirifice: Confidentiam animi ad sanationem in ægris facere & ratio docet & experientia, & autoritas sive id inde fiat, quod calorem, qui ad omnia opera naturæ instrumentum est, in morbi causam agitans animam, salutem ei conferat. Hipp. initio prog. Quid noctambulonibus, cum dormientes moventur, faciuntq; multa quæ vigilantes. E lecto surgunt, altißima tecta conscendunt, eaq; loca attentant, quæ sine periculo nemo etiam in summa cautione attigerit? Atq; hoc etiam imaginationi occupatæ circa objectas intus species, sanguine flatu spirituq; intus æstuante in cerebro tribuitur: certe id sibi evenisse etiam Galenus testatur 2. de muscul. motu: Atq; hoc animæ imperium in multis consimilibus etiam se ostendit:* Anima imperat corpori. Cur confidentia in ægris ad sanitatem sit utilis. Noctambulones.

3. Consensus cerebri & cordis. Præterea hoc patet, magnam esse superioris potentiæ cum corde conspirationem, quod non modo connexio ad oculorum intuitum docet, sed ij motus potißimum qui inde prodeunt: Vt cerebrum à corde spiritus vitamq; haurit, ita cerebrum quia sensus est principium, cordi interpres est, eaq; enunciat, quæ foris geruntur, cum singula objecta ad sensus singulos offeruntur, & ab his informatæ in spiritibus imagines cordi communicantur.

Tum si recepta boni species est, lætatur cor, sin mali, tristitia nascitur, & odium & tale quippiam, quasi quid in cerebro agatur, cor intueri posset. obstupescit cor nonnunquam ad insolitos pavores ut universum corpus quasi obrigescat. In metu tremit, & ipsum cor & alia omnia ad solam morbi imminentis repræsentationem, in se excitatur. In frigore si digitum in aquam gelidam subito immittas, non modo manus ipsa, sed corpus universum horret.

Mirifici affectus. Affectio enim ipsa ex ea parte quæ primum afficitur, in reliquum corpus diffunditur, subitaq; fit in sensibilibus corporibus per totum animal diffusio: Multos intuitus tamen sanguinis, felium olfactus animo solvit: Recordatio medicamentorum inhorrescere corpus facit etiam nolentibus nobis. Oscitantem qui videt, nolens volensq; oscitat: offendit serra stridens: saliva esurienti movetur:

getur, si odorem cibi præsenserit: Quanquam hi ipsi motus, ut ab aliis aliter accipiuntur, ita aut segniores sunt, aut vehementiores, unde nec terrentur omnes æquè, nec metuunt: Illud ex his colligamus, magnam esse superioris facultatis vim in movendo, cor & cum hoc toto reliquo etiam corpore:

4\. Quarto. Nec illud minus manifestum? Cum utero & generationis organis cerebrum non parvam familiaritatem habere. Nam & profusio seminis in somno id docet, & pruritus ad libidinum meditationes, ut mirum non sit, in gravidis imaginationem & desiderium vehementiorem occasionem afferre fœtum pollutionibus. Si quid enim appetit vehementius, & repulsam patitur, signat fœtum ad desideratæ rei imaginem, aliæ cheles cancrorum aliæ leporis labella bifida, alia cati & hujus generis alia., multa cum terrore & consternatione subita abeunt in conceptum, quæ omnia argumento sunt, non esse hoc impossibile de signatura fœtuum. Consensus cerebri & organorum generationis.

5\. Quinto, etiam hoc accipimus. Fœmineum sexum ut imbecilliorem, ita magis hoc Phantasiæ imperio regi, quam alterum in quo validior ratio & judicium. Fœtum uteri ἔργον esse, ut fructus arborum, & communi cum matre vita contineri. Gravidas dum utero gerunt neutris annumerari ut neq; pessimè neq; optimè valeant. τὸ φαντα-

πνεῦ in quibusdam peculiare esse, ut facilius multu alijs ideas suas possunt imprimere: Postremò. Speciem animo conceptum primum quidem insidere spiritibus, qui quomodocunq; informati si potens ualensq; motus accedat, quo impellatur in fœtum, plus habere virium cum influit in semen, quàm ipsam vim plasticam quæ inest eidem: Sed quomodo fiat nondum ostensum est. Itaq; popülariter hoc quoq; ex schola peripateticorum exponamus.

Phantasia tantum in animantibus est dissimiliter.

Phantasia non est in ijs quæ vim tantum vegetativam habent, sed in animantibus, sive ea uno tantum sensu præditæ sint, sive omnibus. Zoophyta & quæ tactum solum habent ad externarum rerum occursum sese contrahunt, vel dilatant. Illud cum quid gratum offertur, hoc si contrarium. Atq; judicium eiusmodi ab imaginatione etiam prodit: ut est in lib. de anima. Quare & hæc ea facultate non carent, sed perfectam non habent, & confusam, nec à sensu sejunctam, nec certa in parte est, sed in totum diffusa, ut sensus ipse quem possident, deniq; & motum indefinitum habent.

Alia in imperfectis alia perfectis.

Perfecta quæ.

At perfecta imaginatio in perfectis animalibus est, & res absentes animo concipit, habetq; sedem in cerebro, & potest se quoquo pro varia rei receptæ specie promovere: Imaginatio in his duplex, una ab ijs quæ foris offeruntur sensibus.

Altera

Altera cum nihil extrinsecus quidem movet, sed ab aliquo quod intus latet. Hoc posterius eiusmodi est: imaginativa vis nonnunquam à speciebus reconditis in memoria percellitur, ut in insomnijs quando ob spirituum ignaviam & torporem pigræ ipse quoq; actiones sunt, & non debita est eorum ad cognitionem applicatio ex quo absurda multa repræsentantur, & quæ fieri non possunt: Sæpè non inde existit, sed ex certa corporis & humorum constitutione, & vaporum ex his ebullientium umbris, ut non modo in defatigatis per arduas meditationes, cum imminentibus speciebus, sed phreneticis, melancholicis, mæstis, naturaliter timidis, in quibus spiritus perturbantur, quibus videntur spectra esse ante oculos, quæ nec sunt ullibi, nec ab alijs cernuntur: Ita in mulieribus & vaporibus ab utero impuriore agitata ibi latente materia, ascendentibus in cerebrum imaginativa excitatur & format quod non est, quasi sit, in qua specie cum laboriose τὸ φανταστικὸν se exercet, sive quid desideret habere, sive nihil cupiat, eius proportionale cum sanguine & spiritibus ad uterum defertur, ex eoq; fœtus non modo coloratur, sed simulacrum rei eius accipit: Sequitur imaginativa in formandis simulacris vaporum naturam, qui spiritibus commiscentur, & pro veris ostendit: Istq; in gravidis potissimum corrupta quædam succorum massa, naturæ inimi-

Imaginatio ab externo vel intrinseco.

Quæ ab interna causa.

Species ab humorum famis.

In gravidis cur corrupti humores.

inimica, è qua vapores exhalantes sursum in interiori facultate, labefactata mirabiles omnino imagines excitantur: Et quia species vitium habet, ex commistione alieni, etiam errare facultatem necesse est. Cur autem impuræ in prægnantibus feces sint, & in quibusdam multum abundent, causa est, quod fœtus cum augeri incipit, id quod in sanguine optimum est ad se attrahit, absumitq́, quo seperato relinquitur, quod terreum & impurißimum.

Id autem commotum & incensum temperie cerebri, spiritibusq́ læsis hanc affectionem in taliter affectu excitare potest: Congruunt autem in hoc quidem casu & μελανκίας & signationis tempora, utq́ fœtus aliquatenus illam parit. Ita pœnas etiam luit eiusdem: Eius inter cætera manifestum signum fastidiosarum matrum gravidarum appetitio ventriculi & quidem rerum absurdißimarum. Nam irrationalis ille in his appetitus & κίνησις ἡ κατὰ λόγον proxima causa quæ τοῦ πλασοῦ eodem tempore, quo & κίσσαι eveniunt, institutum perturbant. Neq́ tantum ratio bona in sese est, sed experientiæ respondet, & testes ipsæ fœminæ, quæ diligenter attenderint: Hic igitur & ex hac causa ortus picalis affectus errante phantasia, signat fœtum: ita tamen ut propius ab appetitu, quam ab imaginatione pendeat.

Ab

Ab ijs autem quæ foris offeruntur, fieri potest fortaßis hunc in modum, Species rerum sensibilium earumq; modus, hoc est terminus, partium positus, quantitas, motus, quies, locus, ab organo cuiq; proprio percipitur, alias cum voluptate, si pars ipsa bene affecta est, si facultas constat, si res offertur commoda. Quod si contrario modo se habeant, & species commoda non ingreditur, aut alia sunt non convenienter disposita, cum molestia. Receptæ species prompte in spiritibus receptæ propagantur, nam & quia informes in sese sunt, facile recipere quamlibet imaginem possunt. Et quia perpetua cerebri agitatione in exteriores sensus & alio immittuntur, influxuq; continuo sunt ad superiorem potentiam sensibusq; præstantiorem vim transferunt, hoc est in sensum communem, in quo prima sunt rudimenta cogitationum, & de sensibilibus judicium.

Quomodo à specie externa fiat læsio.

Receptio specierum qualis.

A sensibus ad sensum communem.

Ad unum enim quasi centrum pertingunt omnes sensus, & convenientes secernuntur. Sapor à calore, calor ab odore. Sensus id singuli non possunt, calores tantum oculus, auris sonos, & nibil præterea. Hoc fieri intelligendum est cum species conservantur, insectis nihil tale contingit, in quibus species pereunt ilico, in avibus paulo diutius permanent.

In sectis species pereunt.

In cæteris ubi plus est spirituum & cerebrum temperate affectum retinentur species, & diffun-

Cur in aliis contineantur.

diffunduntur in meatibus spiritu plenis per universam cerebri substantiam.

Illic prima sedes & domicilium specierum est: Asservantur autem aliæ quidem tenacius, aliæ brevius. Firmiores sunt quæ sese vehementius diffundunt, deinde quæ renovantur crebrius, tertio, quæ movent potentius. Eædem nonnunquam pereunt, cum propagatio intercipitur spiritibus dissipatis per vices non modo ut in morbis, sed & quando motu validore imminuuntur & ex nutritione subeunt alij. Custos imaginum memoria est, promptuarium formarum, hæc illa prima conda, à qua quæcunq; exegeris promptè largitur, si inquiras, aliquando non longo post tempore secum reminiscens explicat, ut boni promi condi solent, qui interdum, quod domini petierint, exhibent ad manum, nonnunquam quasi seposita investigantes, & ab alijs ad alia devenientes quod quærunt, inveniunt.

Tres causæ cur quandam diu servantur.

Custos specierum memoria.

A sensu illo communi & memoria mutuatur simulacra imaginatio elicitq; inde varia, & quæ sunt, & esse possunt, & quæ nulla sunt, neq; possunt fieri, mutat, addit, minuit, ob facultatis potentiam, unde & absurdissima & maximè impossibilia. Ita autem recipiuntur species, ut aliquando nullus vehementior motus subsequatur, ut fit in ijs quæ sola cognitionis gratia accipiuntur, aliquando non sine motu, ut quando boni

Imaginatio mutuatur species à sensu commu ni & memoria.

Fit eñ, vel sine motu imaginatio

vel mali specie offeruntur, si nocens quippiam, fuga fit, si gratum, appetitus. Hunc motus sequitur. ita quatuor se invicem consequuntur ordine motus. Sensus obiectum suum accipit, ut sensile est. Imaginatio ut gratum vel ingratum. Appetitus amplectitur, vel reiicit. Motus vero vel sequitur, vel repellit, quatuor ratione non essentia differentia. Motum spiritus expediunt teste Aristotele in lib. de motu animal. Cum enim principale movens in animantibus quale esset exposuisset, tradidit etiam eius organum proximum, primi autem moventis organici conditiones esse duas. Vnam ut ab alio moveri possit facile, & impelli. Alteram, ut vim facultatemq; habeat movendi & impellendi alia. Sed id spiritus est, in quo utrumq; inest, quem habent à prima statim generatione sui animalia insitum ad eam functionem expediendam, quoniam subtilissimum est mixtorum corporum. Quod autem tale est, citissime impellitur ad motum & pellit atq; agitat alia. Vnde & ventus, qui spirituosa quędam expiratio est, mobilis est, & ad motum ciendum accommodus. Neq; movet tantum simpliciter sed & vehementissime. Ab hoc igitur spiritu veresimile est motum fieri ut ab organo in animantibus. Et sicut motu, ita a spiritu carere animal nequit, qui continua instauratione per alimentu adveniens conservatur, ut nunquam desit

1. Sensus.
2. Imaginatio.
3. Appetitus.
4. Motus.

Motus fit per spiritus.

Primi moventis organum duas conditiones.

Spiritus natura motu accommodatissima.

Nec motu nec spiritu potest carere animal.

Hujus

Hujus autem sedes Aristoteli in corde est, aut quod proportione cordi in perfectis respondet: Mira autem hujus vis est in corporibus, movet, nutrit, auget, generat, cibum exiguo spatio conficit, mutat in sanguinem, diffundit, apponit, secernit, eijcit, hic cum languet, omnia languent in venis atq; arterijs sanguinem nisi agitat, concrescit, ac ne calidus quidem absq; eo potest esse Aristoteli.

Vis spiritum.

Omninò divina quædam res, & fortasse Galeno ipsa anima: sed male, ac ne domicilium etiam nec anima ipsa corporea. Nam cum dissipantur spiritus, ut fit sæpe in animi defectionibus ex toto animal periret, si alterutrum esset: Non fit tantum, sed renovatis illis sensus & motus, quæ duo in vita sunt, redeunt. Medium quippiam forsan rectius dicetur inter divinas formas & parum corporeitatem. Hippocrati sunt simpliciter ἐνορμῶντα σώματα. *Hi igitur omnes reru species accipiūt, deferunt, & ad phantasiæ motu volutatur in corpore, humores agitant, alias splēdore alias luce foràs alliciūtur, ut in morbillis ad superficiem trahunt sanguinem re objecta rubente, pelluntur in metu, & horrore initio cum recedūt, refrigerantur extrema, cùm se ijdem diffundunt, effervescit cutis, hinc pallor in facie, & animi defectiones. ab his est quod in metu alvus solvitur & urina effunditur, quod Aristoteles quidem in*

Spiritus non est anima.

sanguinis ad alvum compulsionem retulit, alij ad eiusdem ad cor recursum. Mortem etiam allatam hominibus, ex spirituum agitatione certa, verissimæ historiæ tradunt. Metu una nocte quidam totus canuit,extra ætatem. Terrore mutus Crœsi filius nativo impedimento loqui cœpit. Meminimus tonitrui & sclopetarum sonitu inconditæ etiam vociferatione multas abortiisse, spasmo arrepto, pueros,& epilepsia frequenter. Pausanias autor est quendam Battum mutum leone viso cœpisse loqui. Cur in metu alvus solvatur.

Morbos contumaces unus animi impetus agitato confestim in fontem morbi calore & spiritibus sine arte superari scriptum & observatum est, quartanas terror sustulit,ut est in observationibus medicorum Hoc fit cum species ad nos pertinere ratiocinamur, & impressæ id representant ferè,quod sunt. Nam qui frigidam sibi imaginatur,friget ac tremit. Qui terribilia meditatur,æque horret,ac si coram essent. Nam res sensibilis virtutem quandam retinent species, & hoc est quod dicitur. phantasiam habere rerum δύναμιν. Tot & tanta possunt spiritus, ij quæ motus, qui phantasian, terroremq; consequuntur. Certè disertè hoc dixit Aristoteles in lib. de motib. anim. Alterant phantasiæ & sensus & meditationes. Sensus enim sunt alterationes quædam existentes, phantasia autem & intelligentia ha- Morbi non arte sed motu subitò sanati. Alterant phantasiæ.

bent

bent rerum virtutem, aliquando enim species intellecta calidi aut frigidi, aut delectabilis aut tristabilis, talis est qualis quidem & rerum unaquæq; propter quod tremunt & timent intelligentes tantum: Hæc autem omnia, paßiones & alterationes sunt: Patet ex his verbis Philosophi, quod & quomodo fiat à phantasia alteratio. Nam quæ essentialiter copulata sunt, ita sese habent, ut unum agat virtute alterius, & secundum obtineat vires primi, tertium secundi, & sic deinceps unde sapor alimenti manet in lacte, & vis vini in aceto, & virtus seminis in homine & virtus primi agentis in secundis. Ex eo fit ut tremant qui rem adversam cogitando meditantur, etsi præsens non sit. In proposito igitur argumento phantasiam etiam posse in gravidis manifestum est, quanquam in ipsa conceptione statim quantum valeat, docuit Philosophus sect. 10. probl. 12. Cur proles, inquit, cæterorum animantium magis, quam hominis suis parentibus, similem gerit naturam? An quod homo vage varioq; plurimum animo in coitu est, prout autem pater materq; in conceptu affecti fuerint, ita partus evariant: Cætera vero animantia omnia, aut certe plurima, rei tantum ipsi intendunt, totaq; se Veneri dedunt: In gravidis vero matribus similiter, in quibus magna copia spirituum in uterum semper fertur sicut & sangvis, undo

unde reliquæ in ijs partes minus turgent, quam in vacuis. Cum hoc influente, & spiritu & sanguine in fœtum propagantur tumultuario motu agitatæ species sive terror, accesserit, sive non adsit, pingitq; aut totum fœtum, aut partem ad idolum simulacri, quod animus conceperit, modo deo soli & naturæ exquisite cognito. Sunt in *exemplis tamen modi vestigia obscura. Oscitat qui oscitantem vidit alium: stupent dentes ex acidorum usu, qui vero id in alio fieri observavit, idem patitur. Vt credas ab imaginatione esse persuadet autoritas sect. 7. probl. 2. Cur, inquit, in oscitando sæpe oscitando respondemus, & cum mingentem vidimus ad mingendum movemur, quod in iumentis præcipue accidit. An propter memoriam, movemur enim ea ipsa parte, quoties meminerimus, hominibus tamen quia sensu sunt faciliore præditi. Statim ubi viderint, evenit, ut moveantur reminiscanturq;. Iumentis autem non satis est vidisse, sed alio quoq; sensu opus est. Quamobrem addito etiam olfactu moventur, quoniam sensus hic in brutis mobilior est. Vnde fit ut in eodem loco sequentia mingant omnia, quo primum eminxerit. Et in 5. probl. Cum serra exacuitur & pumex secitur, & lapis mola frangitur, fit ut in horrescamus quoniam notæ affectionum patent aspectui & genera affectionum in nobis cieant.*

Affectus ab imaginatione ortis.

Alex-

Alexander autem probl. 35. sic. Natura animantium maximeq; ratione carentium similitudinum, quendam, consensum itemq; affectum habet, atq; ita fit, ut mejente asino, cæteri item mejant, cum sint urina repleti: Imaginatio igitur potest hoc, sine rei alicujus immissione, ut aliqui credidere, sive consensu tantum & conspiratione, mota materia, quæ intus est, ut in motu & oscitatione. De fœtu igitur ita fortasse res habet, ut congelationis species percepta à sensu dentibus sic communicatur, ut eundem affectum eæ partes accipiant, ita quam imaginem hausit, mater sensu aliquo vel quacunq; ἀποφορᾷ, spiritus ea imbuti in teneram fœtus massam influentes simile quid designant, formationi communi & ordinariæ vim inferentes: Sed cur fœtui imprimitur? An quia in eo maximè tum occupati spiritus, mater verò inprimis de hoc sollicita? Potest ibi etiam facillimè, quoniam tenerrimus, & ad impressionem idoneus, solet enim natura alias etiam ad debiliora incommoda iniquius rejicere: Cur vero certis partibus læsio contingit, & ijs quas læsas vel mutilas in alijs viderunt? An ut formæ conceptæ ita loci etiam ideam retinent, qui ita concitantur spiritus? An vero fortuita est impressio, cum ne ipsa quidem gravidæ sæpè animadverterint, quam partem in terrore apprehenderint, ut fit in incendijs? Obstat tamen, quod observatum est fre-

Fœtus quomodo signetur.

Cur fœtui imprimatur.

Cur læsio certis partibus eveniat.

quenter id evenire, ut loca locis respondeant: An hoc omnino in arcanioribus miraculis est: Fortasse his assentiendum. Vt & in hoc quomodo immaterialiter conceptum phatasma rei sensibili & corpulentæ fœtus corpori imprimatur, & an una sit species primum hausta, an species speciem producat, nisi fortasse id dicendum quod modestissimis videtur. Species illas radio non esse absimiles, qui se potest diffundere, sicut quando se per vitrum propagat: ita autem in motu vestigium sui relinquit, sicut vibex à verbere: nam tangentis etiam formam representat aliquatenus quod à plaga reliquum est, cum cutis tingitur: Partim igitur imaginationi ei hoc, quicquid est, tribui potest, non soli, sed adiuncta validiore aliqua affectione, ut dictum est, partim quod peculiarium quorundam hominum φανταστικὸν *id tantum habet, qui ob id divini reputantur, quod eorum* φανταστικὸν *mensura causaq; rerum ipsarum esse possit, cæterorum non item: Nihil autem probabilius ad veritatem, quam quod in lib. de motib. animal. Philosophus nobis tradidit, ex quibus principijs intercurrentibus in motum naturæ formantis, peregrinum quippiam in fœtum inducitur, ut signatura, aut aliter fit monstrosus: Nam omnino durius excusatu sunt ea quæ speciem mutant, qualia malumus, si quæ vera sunt, & verè coperta, omnino promiscuæ cum τοῖς*

Quomodò immateriale phătasma propagetur.

φανταστικὸν in quibusdam viget ualidius.

ἑτερογένεσι Veneri imputare, si ne hoc quidem, ad δαιμόνιον τι, & sic videbatur Augustino. Itaq; si cui hæc nondum satisfaciunt, sequi potest hunc ducem. Sic autem ille. Qualibet corporales, vel seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, sive operationibus angelorum aut hominum aut quorumcunq; animalium, sive marium fœminarumq; mixtionibus, qualibet etiam desideria motusue animæ matris valeant aliquid lineamentorum aut colorum aspergere, teneris mobilibusq; conceptibus ipsas omnino naturas quæ sic vel sic in suo genere efficiantur, non facit nisi summus DEVS. Cuius occulta potentia penetrans in contaminabili præsentia facit esse, quicquid alique modo est, in quantumcunq; est, quia nisi faciente illo, ut tale vel tale esset, prorsus esse non posset. Quopropter, si in illa specie quam forinsecus corporalibus opifices rebus imponunt, urbem Romam & Alexandriam non fabros & architectos, sed reges quorum voluntate, consilio, & imperio fabricatæ sunt illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicemus conditores, quanto potius non nisi Deum debemus conditorem dicere naturarum, qui neq; ex materia ea facit aliquid, quam ipse non fecerit, nec operarios habet, quos ipse non creaverit, & si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt. Hæc ille.

De civitat. d. & lib. 3. cap. 15.

CAPVT XVIII.

Num monstra quæ forma à specie degenerant, ex materiæ putridæ potentia, αὐτομάτων instar generari possint?

Multum negotij concinnant eæ quæstiones, quæ sunt de monstris in mutata specie: Nam neq; diversorum seminum confusio, neq; imaginatio ipsa ita satis fecerit, quin putredinem quæ necessarium organon ad has enormiores exorbitiones, & quasi deliria naturæ excusanda accersant magni isti philosophiæ naturalis principes, quibus non videntur duo illa satis esse ad has non superficiarias παρεκβάσεις *aut decolorationes, aut stigmatum impressiones, sed degenerationes graviores, ut cum ex muliere rana, aut glis aut simile quid nascitur. Dum hæc scriberem, ait Bodinus l. 2. Dæmon. c. 8. mulier bufonem ad Laodunum dicebatur peperisse, quod mirata obstetrix & quæ ipsi aderant rem pro testimonio dixerunt, fuitq; bufo alijs dissimilis quem viderunt multi delatus in præfecti ædes. Itaq; putredinem quandam* τῷ φανταστικῷ *substernunt. Id adjumentum cum assumunt, facere videntur propemodum quod naufragi, qui ut in periculo sibi consulant, fungum aut lignum & radiculam putrem arripiunt, cum firmius nihil adest, si forte* Monstra quædam à putredine.

 salus

salus inde speretur. Nec prorsus tamen temerè, & sine fulcro eo decurritur: Primum juvat Aristoteles. Deinde tot αὐτομάτων generationum φαινόμενα in natura ex consimilibus principijs: Aiunt igitur isti. Monstrorum quæ a forma speciei conveniente multũ degenerant, & parentibus sunt dissimilia in tantum, ut τὸ καθόλου solummodo remaneat & ζωότητα ex materiæ potentia quemadmodum αὐτομάτως animalium fit generatio à calore spirituq; matrum educi animam. τὸν πλάσμα autem exemplar sequi, quod phantasia matris conceperit; ut non hominem, sed ranam generet: aut tale quid: pro his primum potest esse locus Aristotelis 4. sect. probl. 13. Nam cum dixisset, si quid ex nostro semine procreatum est animal, id prolem nostram dici; sin vero ex aliquo alio nostro vel excremento vel parte prodierit, nostrum id esse nunquam fateri: addidit hæc: Multa semine putrescente proveniunt. Quod si ex rebus nostris solo semine natum animans sit, rectè id quod provenerit prolem nostram esse tantum putabimus: Ex semine verò ipso si quod extitit aliud ut vermis, ubi vel foris putruit, vel corruptum in utero est; ut quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram haudquaquam dicendũ est. Cum enim ex corrupto creetur semine, nõ ex nostro creatur, sed ex alieno, quandoquidem quod excrementis cõstiterit, ut quod ex ster-

Pro putredine rationes.

Quod ex corrupto semine nascitur non est nostrũ.

core. Omnia vero huiuscemodi ex corrupto creari semine hinc indicatur, quod ex nõ corrupto creatur tale natura, quale est, de quo semẽ genitale prodierit, si de equo equus, de homine homo, corruptis autem nihil tale enasci potest: diserte hic de ijs quæ in 4. cap. 3. sub finem vere monstra vocavit, ea ex corrupto semine excrementisvè generari, sive semen ipsum corruptum sit, sive quiddam simile, imo cum incaluerit, nasci ex eo animal diversum quidem ab eo à quo editur, quoniam diversa ad ortum principia, motusq́; in generatione illorum. Quo faciunt illa etiam verba ex 2. de gener. animal. cap. 3. Solis calor & animalium non modo quæ semine continentur, verum etiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à natura, tamen id quoq; principium habet vitale. Ille autem locus, ut verba nulla torqueantur, non parum iuvat ex 3. cap. l. 4. de gener. animal. Ad extremum motus solvitur & materia non superatur, remanet quod maxime universale est, id est animal. Hic eo usq́; proceditur generando, ut non Coriscus, non homo, sed animal tantum: Fateatur ergo necesse est gigni animal, & quia non quod debuit, ergo diversum. Et quia κύημα primum vegetabile est, quia animal. Deniq́; rationale, si homo non fit ex homine, & animal relinquatur, quale illud tandem fuerit? Certe aliquod & id quod potuit ex ma-

Motus aliquãdo solvitur, ut universalé remaneat.

teriæ potentia educi, fortasse aut vermis, aut rana, aut glis pro degenerantis materiæ, & modi degenerandi diversitate: dicendum enim omnino est quod animo comprehendi queat: Potest ei rei etiã hoc succurrere ut videtur. Patet ex multis generari à partium excrementis in homine animalcula nonnulla, pediculos, lendes, lumbricos, alia item grandiora & varia. Quid obstabit igitur eiusmodi alia quorum ortus his non est dissimilis, eo in loco potissimum ubi officina generationis est, nihilq; eorum abest, quæ ad vivi animalis constitutionem requiruntur, posse existere? Materiam postulas? Quid impedit in utero tale quid colligi quale in terra, unde hac imperfectiora ibi solent? Ibidem etiam inde, quæ in aqua. Nam si ex quo vermes in terra fiunt, id etiam in homine reperitur, cur non etiam ex quo ranæ, in homine detur, maxime cum materia imperfectiorum talium sordes lacuum, quam quicquam aliud, ipsa quoq; animalcula stercora potius sint, quam quicquam ex nobilioribus, etsi nihil non suo in genere perfectum est: Quod si quis agnum diceret aut elephantem ex homine ita nasci posse, merito is ridiculus habendus. Nunc cum de iis tantum agatur, quæ ne creata quidem sunt, nisi ut in suis principiis latuerunt, & elaborata solum stercora sunt, quorum neq; duratio longa est, neq; constitutio adeo operosa cur quod in stabulis,

Animalia in hominẽ ab excrementis.

bulis, navibus, lacunis potest, non idem in vivi animalis utero, hoc est, cloaca publica, ex tot & tam dissimilibus alimentorum & sanguinis superfluitatibus, ex quibus possunt foris, ubi minus quam intus adjumenti est, generentur: de calore enim non dubitandum, an id in matribus possit, cum major sit ad formandum ea, quæ dissimilibus partibus constant, humani caloris facultas, quam vel solaris. Raro temperatus sol est, ut humanus, nunquam ille æqualiter vel lucet vel calefacit, sed ex intervallo abit reditq́, imò calefacit, imò frigefacit abiens, & quasi ab opere fugitivus discedit, unde & sata sæpe & germina evocata à calore, cum frigus intervenit pereunt. Nostri autem caloris continua, æqualis & temperata effectio est, neq́ cessat dum quod cœpit absolverit: Quod si igitur hoc etiam ibi adsit, cur imperfectiora animalia in homine, id est, aliud in alio animal nasci non posse, cum omnia suppetant, credamus? Ex putredine igitur his de causis quædam nata, non videri possit inconveniens, & suffragantur iisdem illa, quibus ostenditur hodie, à magnis philosophis operose, & subtiliter, omnia quæ ex semine orta sunt, posse eadem sine semine existere: Tamen dum Aristotelem pro se afferunt, videant interim ne hic autoritatem desugiat & destituat. Quomodo enim eius principiis, quæ ad ortum in philosophia sua posuit, ut Pro sententia contraria superiori.

 certissi-

certißima, hoc consentiet, maxime vero cum omnium entium, perfectorum inprimis, sed non minus & imperfectorum certam materiam, hoc est, οἰκείαν καὶ πρώτην ὕλην esse decernit. Maxime in 4. Metaphys. c. 4. de materiali substantia latere non oportet, quod etsi ex eodem omnia primo aut iisdem tanquam primis, & eadem sit materia, ut principium, illis quæ fiunt, est tamen quædam cuiusq; propria. Phlegmatis prima materia ipsa dulcia aut pinguia. Choleræ vero amara, aut aliqua alia. Fortasse autem hæc ex eodem: sensus est: Materia rerum duplex est, una prima & communis omnibus: Altera propria certis tantum. Prima eadem est, sive primam illam in principiis materiam sive prima corpora, ut elementa, designemus, ex quibus inferiora componuntur, & in eadem resolvuntur: Propria non est eadem omnibus, sed diversorum diversa, unde quia alimentum ἑτερογενὲς est, ex alia eius parte sanguis, ex alia phlegma, ex alia bilis fit, & si quæ partes plures sunt, in quovis alimento, ea copiosius humoris fomentum habent, adeo unumquodq; ex proximo suo prodit secundum naturam, quod idem in 2. phys. cap. 1. Formam quamlibet non ex quolibet educi, sed ex determinato subiecto & privatione, formam quippe esse ad aliquid, alterius formæ aliam esse materiam, & econtrario. Vt igitur excrementa sint in utero, in qua

Omnium entium definita materia.

Materia rerum communis aut propria.

in quæ & magna putredo incurrat, censeamus
ne propterea, quæ foris ex suo peculari educuntur, etiam intus in animali posse educi, ut nihil
differat, quale sit ex quo producatur? Non sane.
Nam αὐτομάτοις etiam plane peculiarem esse
materiam, quæ illis tantum cedat, patet primum,
quod ut maxime in plantis & animalibus ea enascantur, non tamen omnibus contingit nasci ex
omnibus: ex situ araneus, è spuma araneus, è 1.
rore vermiculus, è fimeto muscæ. In plantis quidem fraxinus cantharides habet, salix cimices
suos, ruta vermiculos, solanum suos, itemq; ulmus, populus, abies, bombyces, è mori folijs, non
salicis. Ergo hic etiam naturæ lex: Animalia
autem neq; prodeunt è quovis animali, neq; in eo
latent, aut aluntur. Ex bobus apes, ex equis
vespæ, ex asinis fuci, ex mulis crabrones, de cæteris ita similiter habet. Probat & hoc alterum,
quod varietatem animantium talium videmus 2.
materiæ diversitatem sequi, non calorem aut cœli vim, cuius causæ quia ad plures effectus indifferens est actio, particularem effectum non producit. Materia ut alia atq; alia est, ita idem calor cum in eam agit, diversa efficit, unde in mari testacea externa portione corpulentaq; cum
induratur, concrescere diserte scriptum est in 3.
de gener. anim. cap. ultimo. Atq; ex tenuiore
subtilioreq; muscæ & ranæ, & culices, & quæ sic

Etiam αὐτόματα ex sua materia propria

leviora sunt. Ita diversitas naturam materiæ sequitur. Nam agens idem pro subiectæ materiæ conditione nunc nobiliora nunc ignobiliora producit: Non igitur ita lascivit natura, ut ex qua-
3. *libet materia quodlibet gignat; Idem ex loci natura colligitur, fieri vix posse. Ea ipsa etenim* αὐτοφυὴ *ita producit illa, ut non quovis loco omnia, non ubiq; sordes vivificat, & ranas quidem in loco stagnoso tantum, non arenoso, neq; minus locum quam materiam convenientem desiderat: neq; licentiose officinas transfert, sed æquabiliter ubi fieri unumquodq; debet, ibi exequitur, & ne potest quidem ex se aliter. Quid quod ab Aristotelis de monstris sententia prorsus dissentit? Non dicit Philosophus in totum degenerari, ut quod maxime fugit, in aliam speciem per saltum transeat, sed vim naturæ inferri in motu, ita ut ex parte tantum præter naturam sit monstrum* ὅταν κρατῇ ἡ ὕλη *non ita, ut fit in putredine, ubi extremus principiorum* χωρισμὸς. *Quid quod perdurum est credere,* τῷ πλάσει *huic in materia putrida aliam à matris phantasia ideam apponi, ad cuius formulam & præscriptum agat, imo & variam, qua obliterari aut depravari prior possit: Itaq; quod dicit Aristoteles aliquando eo usq; procedi degenerando, ut non homo sed animal tantum relinquatur, minus laxe accipiendum, quasi ranam aut glirem sit necesse,*

Locus non sinit quidvis ubiq; gigni.

Quomodo in universale transeatur.

sed

sed ita quod imperfectus homo, atq; ita non verè & absolutè homo, unde exorbitatio à formula quasi in καθόλου definit, cum à specie instituti principalis disceditur, non fit, quod fieri debet, & quia non homo verè; ideo animal tantum. Nam in eo semine cui inest ὁ γεννῶν, in eodem & καθόλου, & cum τὸ ἴδιον καὶ τὸ καθ' ἕκαστον non præpollet in semine, manet quod potest & ad proximum transitur. Si ad proximum, quam proximè rana homini est; cum vix etiam animal sit? Alibi cum diversæ species coëant, ea tantum voluit coire posse ad conceptum, quæ cognata sint, & parî magnitudine & quorum tempora graviditatis non longe diversa: Ita hic quoq; ut in multis titubandum est, sed quia clarior est posterior, plusq; lucis ex sana philosophia affert, placet hanc sequi, alteram exasperent & scalpant, qui scabie litigandi pugnandiq; contra omnia infecti sunt.

CAPVT XIX.

De altero monstrorum genere, in quo non mutatur species: Ac primum, quomodo à similarium partium degeneratione monstra nascantur: Investigantur causæ, fœtus in utero facti lapidei.

Nonnun-

Nonnunquam in aliam naturam non fit transitus, sed partes depravantur enormiter, nunc ut id cui eæ competunt, monstrũ appelletur, quomodo ut fieri posśit, & quibus ex causis, exponamus. Pars est, quæ circumscriptionem propriam habet, & alijs adiuncta est: Partem autem dicas, vel particulam, parum interest. Sed patet ex ijs esse, quæ aliquò referuntur, hoc est, ad totum quod integrat, ut enim totum est quod partibus cõstat. Ita pars portio corporis quæ complet totum cum a io quidem, vel cum alijs, cum sit in ijs, & quæ multa & quæ pauca: Iam ut animal sine membris nõ est. Ita non quoquo modo se quicq; habeat, corpus esse, aut partium ulla potest, sed cum id inest, quod essentiam eius constituit, quippe physica omnia corpora formæ essentialis instrumenta sunt, instrumentum autem tum, quando tale est, ut agens eo uti ad functiones posśit: Qualibet autem forma corpus habet proportione sibi respondens, unde & formæ & corpora differunt: Formæ naturales triplices: Aliæ quidem formæ inanimatorum, aliæ mobilium incorruptibilium, aliæ corporum corruptibilium: Priores duæ formæ quæ inanimatis & incorruptibilibus seruiunt, simplices sunt, hoc est, simplicisśimum motum habent, posteriores plurium motuum, & perfectiorum est principium: Itidem autem & corpora differunt: illa homogeneum satis est, istis

Pars quid.

Formæ naturales triplices.

istis verò varium & multiplex. Homogeneum dicitur, quod partium est consimilium, & undiq; uniforme ob materiæ similitudinem, ex quo etiam partes totius nomen obtinent, ut cœlum, & elementa. cuius rei ea causa est, quod horum corporum effectiones variæ non sint, ut pluralitatem varietatemq; partium desiderent, sed quod proprium ijs est, id consimili in substantia possunt peragere: Aliud est organicum corpus, quod diversas partes habet, materia, temperamento, figura, seu forma corpore, & usu atq; officio differentes. Talia sunt plantarum & animantium. Constant autem animantia, Theophrasto etiam plantæ, duplici membrorum genere, similari & dissimilari. Illæ priores sunt generatione, hæ posteriores, & similia dissimilarium gratia sunt, ob id constant hæ ex similaribus tum pluribus, tum etiam singulis, ut viscera nonnulla, 2. de part. anim. 1. Et constant fere omnia multiformi figura quæ ex corpore similari condita habentur. At fieri non potest, ut similares ex dissimilaribus conficiantur: Atq; his quidem de caussis membra in viventibus magis varia sunt inanimatis, & animalibus quam stirpibus. Nam quæ unà cum vita sensu etiam prædita sunt, hæc sæpeterum multiformiorem, numerosioremq; varietatem recipiunt, atq; inter ea alijs alia magis & eo amplius, quod non solum vivendi, sed etiam bene

Corpus homogeneum.

Organicũ corpus.

Membra similaria & dissimilaria.

Alia requirunt alia membra.

bene vivendi rationem natura earum obtinuit, quale hominu genus est, quippe quod aut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis particeps sit, ac omnium maxime. Stirpium natura quia stabilis est, non ex multis & varijs partibus dissimilaribus constat, quippe cum ad paucas actiones paucorũ instrumentorũ usus requiratur. 2. de part. 10. Iam autem partes in animalibus omnes secundum naturam dispositæ sint necesse est. Ac similarium quidem natura in eo consistit, cum singulæ sibi convenientem primarum qualitatum, quatuor mistionem temperamentumq́; sunt assecutæ, cuius beneficio forma & agit & patitur, quæcunq; per partem similarem, quatenus talis est, agere pative potest: κρᾶσις ea nihil aliud est nisi qualitas, tum prima & secunda, tum siqua est præterea alia, ex iusta miscibilium unitorum mutuaq́; ipsorum inter se actione & passione resultans, manentibus quidem illis, sed fractis actione contrarium miscibilium, aliarum tamen ut alia mistio, ita temperamentum aliud est, unde differentiæ ad sensum notatæ, aliæ alijs magis minusq́; calidæ, aliæ molles, duræ, siccæ, solidæ, lentæ, rigidæ. Nam ad alia mollities, ad alia durities commodior est, & alia intendi, alia flecti debent, ob id vires sibi obtinent singulæ eiusmodi accommodatas. In dissimilaribus & organicis cæteris per quod vel cum quo forma

Natura similarium in quo.

forma maxime movet, ea ratio est, ut organica non sit, nisi sub certa earum conformatione, actione in corpore vel utili tantum, vel necessaria serviente: Ea vera est in 4. in figura, magnitudine, numero, & situ, quibus quintum addiderunt, continuitatem, non male. Nam ut similari etiam competat, non minus tamen organici natura id vult, ut cum vitæ principio, unde spiritum caloremq́ accipit, conjunctum sit, quam similaris. Quod vero sextum addidit Averroes colligantiam, id & ad situm & unitatem referri potest. Eodem & consensus est, nam à compositione derivatur: Ex his omnibus tamen figura potissima est, quæ singulis propria est, adeoq; varia, ut oculi plus in dissectione corporum, quam methodus ulla erudiat. Has autem utrasq; in primo earum ortu è semine in quo omnium partium confusio est, & secretione postea distinguuntur, ita format ὁ πλάσης, cum principia se recte habent, ut ad destinata serviant. At si quid minus benè in principio constitutum est, & motus undecunq; solvitur, generatioq; non assimilat perfecte, aliquando quidem in similaribus, aliquando dissimilaribus, fit, quod non convenit, & dissimile, ut in monstrosis, cum vel deest vel abundat quippiam, vel non, ut justum est. Multis omnino modis id potest fieri, neq; tantum ex principiorum corruptione, sed ex quotidianis in genere ratione erratis;

In organicis quinq; requiruntur.

Error in formatione.

erratis, cum vis naturæ ex nimia vivendi licentia, dum in opere ipso est, infertur. Ita autem II. de usum partium cap. 10. Est inprimis admiranda natura, quod res adeo parvas ferè semper rectè efficit, raro autem labitur. quanquam quantum in ijs est, qui nos procrearunt, ac utero gestarunt, non vitium, sed quod rectè factum sit, inventu rarum est. Ebrij enim cum ebrijs coeunt, & qui præ crapula ubi terrarum sint, nesciunt, cum mulieribus ita affectis consuescunt. Quo fit, ut genituræ principium statim eo modo sit vitiosum, quod & mulieris utero gestantis peccata sequuntur, cuius generis est in corpore mediocriter exercendo desidia, cibi immoderatè sumpti, iræ, ebrietates, balneæ, venereorum usus intempestivi, quæ nemo facile numerarit, attamen adversus tot injurias natura obsistit, ac plerumq; mentis compos efficitur. Cum tamen neq; frumenta, neq; bordea, neq; vites, neq; olivas ita seminent ac conserant agricolæ: Sed primum quidem cuiusmodi terræ sua committant semina, multum diuq; provident: post autem, magnam curam adhibent, ne multo humido demersa putrescant, neve squalore exarescant, aut frigore extabescant. Hominum verò nullus eam in serendo adhibuit diligentiam, neq; in eo quod jam conceptum est, educando: Sed quemadmodum in omni vita, alij omnibus seipsos ducunt posteriores.

Natura obsistit monstris injurijs.

In serendo adhibita diligentia.

riores, alij quidem insatiabilibus voluptatibus atq; abdomini servientes, alij divitias, aut dominationem, aut magistratus ambientes: ad eundem modum & ipsam primam generationem posthabuerunt, &c. Vt minus mirum sit, cum natura ut homo prudens tribuere soleat suam cuiq; rem qua uti possit. 4. de part. 10. Corpora tamen nonnulla ad usum ineptissima persæpe in lucem edi. Quod si autem in utroq; potest degenerativo evenire, ut monstra fiant, quærendum initio, num & in similaribus. Nam de dissimilaribus dubitari non potest. In prioribus etiam patet, sed vel seorsum vel cum dissimilarium vitijs. Rariora tamen sunt, neq; si quæ pars sicca est aut dura, quæ humida & mollis esse debebat, ob id ilico monstra dicentur. De populis tamen quibusdam in Æthyopia scriptum est, eos toto corpore flexiles esse, & in omnem partem, quod ossa nervea sint, aut nervi pro ossibus, quæ cum absunt, corpus soliditate sua ad firmitudinem, & multa obeunda alia necessaria destituitur. Qui muti etiam nascuntur, interdum intemperiem nativam afferunt, humiditatem quidem & laxitatem Galeno, cum impelli nō possit lingua, quantum satis est: Sed potest etiam alijs esse ex causis. Ex omnibus autem, quæ huius loci esse possunt, nullum memorabilius, quam quod nostrum seculum vidit Lithopædium: Mulier enim quæ-

Non est mirum naturā monstra gignere.

An monstra in partibus similaribus.

Homines flexiles.

Muti.

Lithopædium.

dam Senonensis cum ex homuncione facta esset gravida, conceptum intra se annos viginti octo habuit, quamvis interdum partus indicia se ostenderent, nihil autem præter serosum ichorem quendam erumperet. Post tot annos autem cum vita esset functa, aperitur, utero infans in orbem implicitus transversus jacens in callosa quadam tunica jacere visus est, distinctis quidem in figura membris omnibus, sed in lapidem concretis, adeo firmum, ut è marmore sculptum repræsentaret. Intus cor, epar, renes, cæteraq; efformata quidem, sed similiter indurata. Quod si tam justa fuit partium fœtus, intusq; latentium structure, quandam nobis scriptores tradiderunt, monstrum in intemperie fuisse videtur: Sed à qua causa ille ita concreverit in vivo corpore operæ precium est inquirere: In re & rara & abstrusa, causa investiganda ex similibus rebus, quæ foris ante oculos sunt, inprimisq; lapidum concretione: Generantur hi non in terra modo, ubi & metalla, sed in animantibus multi & varij. Partim quidem ordinaria lege naturæ, sicut in piscium capitibus, partim non ita, sed & præter naturam, ut in hominibus non optimè institutis calculi nascuntur: Diversis autem partibus, renibus, vesica, intestinis, pulmonibus, juncturis, in utero etiam Hippocrates in famula Dyseridis in Larissa, quæ cum sexaginta jam annorum esset, & à meridie porrum

De lapidũ concretione.

Vbi repe-riantur.

rum multum comediſſet, orto dolore, altera mulier immiſſa manu expreſſit lapidem aſperum magnitudine verticilli fuſi. In nonnullis non ſolitarij tantum, ſed etiam copioſi, neq; modo argilacei, ſed & ſplendidi, duri, firmiq; ut vitrum æquarent: Vis lapides formans aut in ipſa materia eſt, aut externa. Si in materia, ut luto, vel ſucco eſt plaſtes, erit ſicut in ſemine animantium. At non ita ineſſe patet, quoniam ſic animatus eſſet lapis, & quia ſemen in ſe non habet, ne vim quidem quæ formet. Siforis cauſam habet, erit vel cœlum vel elementaris qualitas. Cœlum ſpecies non procreat, nec in his cœli, vel Ariſtoteles meminit, vel Theophraſtes, & à ſtellis non eſſe, ij calculi docent, qui generantur in animantibus. Elementares autem qualitates quia proxima naturæ agentis ſunt inſtrumenta, ideo his & ortus & interitus rerum rectè attribuitur: Materiam ergo habent humidum & ſiccum terreum, ab hoc conjunctionē & ſoliditatem: ab illo cōtinuationem. Concreſcit aqua quidē ſola in duriſſimā glaciem; ſed durabilis nō eſt ea compactio, & à facili calore diſſolvi poteſt. Terra vero ipſa in omnibus ineſt etiā puriſſimis, ſicut gemmis tranſlucentibꝰ, & pumice leviſſimo, quoniam illæ, ſi aquæ injicias, gravitate fundum petunt, & cum teruntur magis etiam, ſicut & pumex, nec pauca materia, & paulo purior, ſed impurior & multa

Quæ vis lapides formet.

Cœlū ſpecies non procreat.

Materia.

mixtis transparentiam adimit. Eos, quos animantia infixos habent in partibus, & terreum quid constituit, ut ex arena colligitur, & humidum lentum ac viscosum, quo siccæ partes ut glutine compinguntur: Sed quia hæc in patientium ordine sunt: facit an calor an frigus solum, an utrunq; suo modo, & certi generis lapides? Et frigus id ne quod in aqua humidum? an quod in terra, ut siccum? lapidum alios liquefieri posse, alios non posse manifestum est. Itaq; alios quidem frigus compingit, quos calor solvit, alios calor indurat: & calor igitur hoc potest siccando, & frigus constringendo. Nascuntur enim multi in ripis, & alveis fluminum, quamvis aliquibus non ibi generari videantur, sed abrasa superne terrâ, ibi apparere: Verum frigiditatis potentiam arguunt etiam illa Φαιγνόμενα, quod in aquis quibusdam & plantæ & animalia lapidescant. Facit eius Ovidius mentionem:

Efficiens causa lapidum.

Alij à frigore, alij à calore.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

In Italia inquit seneca lib. 3. Natural. quæstionum in quibusdam locis evenit: sive virgam, sive frondem demerseris, lapidem post paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, oblinitur q; paulatim. Qui sunt in animantibus calculi, homine præsertim, ex medicorum

In homine unde calculi.

communi sententia, sicut materiam, habent humorem crassum, lentumq́ cum sero eo ruptum, ubi hærent, ita efficientē causam immoderatum verum calorem, sive ea constitutio sit insita, ut in hæreditario malo, sive postea ex errore contrahatur. Fieri enim utrumq; potest. Vtriq; igitur, & qui foris fiunt, & in corporibus animalium, quomodo fiant, potest ita utcunq; intelligi. Sed de fœtu in lapidem verso nondum æque manifestum: an in materia ipsa vitium fuerit, an ab intemperie periculum; Indurari videmus multa etiam alia in nobis non in minorem, plerumq; duritiem, quam est lapidum. Sanguinem coire in solidißimam substantiam compertum est, & in quodam post diuturnam languiorem sanguis in venis universus ita concreuerat, ut demum coralli modo fruticantis eximeretur. Hic cum fibris caret, quas à prima ventriculi coctione, eiusq; peculiari facultate accipit, hoc modo in grumos concrescit. In epate scirrhi aliquando durißimi sed à gemina causa. Nonnunquam enim immoderate refrigerata ab admotis materia astringitur, nonnunquam diaphoresi, & vi caloris tenuiore parte dißipata, quod craßius est indurescens subsistit, Argumento est, Ex bile crassescente in epate scirrhus, & cum isti liene nimis vehementer digerentibus, & quidem initio adhibitis cogitur in duritiem materia: An horum aliquid etiam

De muris marmoratis in Dios. Matthiolus.

Sanguis concretus.

Scirrhi.

Plantæ lapidescentes. *fœtu potuit accidere, ut quemadmodum plantæ tota lapidescunt, cum succus lapidum, aut jam etiam lapidescens in earum poris receptus, insinuatusq; constringitur, & totum illud in suam naturam commutat, ita hic etiam aut materia*

Materia lapidosa. *seminalis, aut alimentaris aut excrementitia concretioni idonea fuerit, aut quam interperies aliqua efficacißima ita exiccaverit. Iuvant symptomata, quæ adjuncta, menses suppreßi, picæ affectus, motus animadversas, & labores vero partui similes, juvat quod sensim induratus videri potest ab inflammatione vehemētißima undecunq; orta, & sive in toto, sive unaparte, simplex vel cōposita, sola vel cum materia. Alteratur n. variecuiusq; rei natura, cum vehementius à calore inflammata incenditur, sicut aliter cū frigefit, siccatur, humefit, potißimum tamen ex calefaciendo & frigefaciendo, quippe cum hæ efficacißimæ qualitates sint. Vtrumq; autem aliquando & durities sequitur,*

Duo in eo casu miranda. *sicut & mollicies, & craßi habitus, atq; gracilitas. Et quid non possunt exuperantiæ qualitatum à diversa in materiam actione sua? Quanquam duo sunt digna admiratione. Vnum cum fœtus, quemadmodum & puerorum ex omnibus calidißimum & humidißimum sit, quæ tanta potuerit esse intemperies, ut in lapidem etiam exiccaverit. Alterum, quoniam sicut in viscere calido & humido omnis exorta inflammatio in abscessum desinit, cur in fœtu etiam putredo potius*

non sit subsecuta? Quod si etiam dato medicamento, intemperies aliqua invasit, sicut sanguinis ex opio concretio, cur illæsis cæteris, fœtus solus cum eam sensit, non item in matre cætera? ut statui difficulter etiam de intemperie aliquid possit, nisi videantur rem minus absurdum facere, ossium, dentium, vnvigum, testarum ovorum, & in malacostratis tegumenti concretiones in vivis animalibus solidissimæ. Sed hæc ordinarie agentis naturæ opera sunt: quæ dat animalibus quod singulis est convenientissimum: Hæc ipsa vulgo aliunde videntur orta, si quando eveniunt, ad maleficia transferunt. Est hoc altioris contemplationis, & quia in toto res varietate sententiarum intricata est, non habeo quod affirmem vel negem. Quod si tamen id genus hominum animos potest ad amores allicere, & generādi in vtriusq; vī impedire, homines in bestias commutare, nubes cogere in grandines & pluvias, immittere morbos, non tam vi earum rerum, quibus utuntur, verbis, signis, herbis, characteribus, quam alterius & occultioris agentis adminiculo, non video cur hoc etiam nequeat. Negat Augustinus l. 18. de civitate Dei, ab immundo spiritu integritatem lædi naturæ posse, quod ei visibilium rerum natura non serviat: Sed Thomas dissentit: Et certe si in opinione hominum tantum, id est positum, cur tam crebra in divinis Maleficia.

divinis humanisq́; legibus mentio? quin & pœna constitutæ: An Diabolo premendi affligendiq́; potestas nulla concessa est? Concessam dico, nõ enim haberet ullam, & in tantũ potest, quod permittit naturæ Dominus, ita Deo nihil adimitur. Astrologi ut omnia, ita hoc etiam fortasse vanissime cœlo attribuerunt: Quod si ex his hic ad explicationem nihil sufficit, imaginationem advocare quis posit, cuius etsi tanta vis est, ut illecebris in coitu in maxima gestationis temporis parte, quantum in immutandis etaim figuris à specie abhorrentibus, & de formandis ac distorquendis partibus esse ostendimus, haud scio tamen an eo usq; etiam progredi concedatur, Licet igitur confugere ad salutare illud ignorantiæ asylum, ad abditam mali causam & occultam.

CAPVT XX.

De Monstris in conformatione. Primumq; in quibus figura monstrosa est: Ea ostenduntur quadruplicia. Exempla singulorum: Causæ eorum quinq; exponuntur.

Maximè patent vitia, quæ in dissimilaribus partibus insunt, Etenim sicut naturalis cõstitutio in sanis quatuor desiderat, cõformationem, magnitudinem, partium numerum & earum situm, quibus rectè continuitas additur, ita enormis læsio in iisdem est: & quatuor ex his nascuntur

guntur differentiæ, cum figura vitiatur, aut magnitudo, aut numerus, aut situs. Quo plura autem in uno corpore inhærent, hoc gravior lapsus, quales & multifariam monstrosos dicere possumus, ex eo numero sunt qui Scythiam incoluisse scribuntur, sub montium excelsorum radicibus, ab ipso primo ortu calui, simis naribus, ingenti mento, cætera etiam deformes prorsus. Quicquid autem in his accedere potest, ut ab eo monstrum dicatur, enorme esse oportet, & magnam degenerationem, in cæteris morbus tantum. Iam de figura primum dicamus: Ea μορφὴ potius est quam εἶδος, eadem in mortuis etiam residua ut in viventibus, etsi rectè differre specie dixerit Aristoteles. Partium termini figuram absolvunt, quem quæ in corpore non possunt habere, figuram etiam non habent, ut humores & fluida: Organicæ omnes figuram habent, & quia multiplices sunt actiones pro totius salute non solum materia, sed & figuris differant necesse est: causam attulit Plinius in 4. de part. 6. cap. Galenus in magno illo de usu partium volumine: Et quia partes formæ serviunt, sicut formarum, ita partes secundum figuras etiam differunt, in singulis speciebus aliæ & peculiares, cuius monitu individua in una specie ab individuis alterius discernimus, ipsa vero sibi similia secundum formam sunt, ut: lupus lupo cuilibet, homo homini & cætera

Dissimilarium vitia quatuor.

Partium termini.

Organica figurá habent.

Figura differunt individua.

tera similiter, quandoquidem diversæ partes, etiam figuras membrorum dißimiles habent: Atq; ut in pluribus evidens & perpetuum, ita secundum ætatis nonnihil in individuis sub una specie contentis discrepantia, & similitudo, vir viro, puer puero, senex seni, & in sexu vir viro, quam mulieri similior membrorum effigie. Magis autem in dißimilibus, quamvis sunt quædam etiam inter diversa cognationes, & simia simili turpißima bestia nobis. Ergo cum conformatio ad opus proprium partis membriq; figuræ concinnitatem postulet, si quando eam instrumentum insigniter læsam habet, Monstra dicuntur in figura.

Monstra in figura. Quatruplicicia.

1. *Conformatio hæc quadrupliciter vitiatur. Primum cum ipsa figura aliena est, ut in vacijs.*
2. *Secundo si meatus, ut in eo qui anu clausa est.*
3. *Tertio in receptaculis, cum iusta non sunt.*
4. *Quarto in superficie non naturali.*

Homo erectus.

Figura aut in toto considerari potest, aut in partibus: Hominis corpus erectum esse decet, cuius rei nobis causam 2. par. an. c. 7. exposuit Aristoteles, & hoc ut est in 4. de par. c. 10. solus animalium habet, quam ut posset habere, natura corpulentiam parti superiori ademit, & inferiori addidit: itaq; nates carnosas fecit, & femora, & suras. At quadrupedes cæteraq; animalia è contrario, parte sui superiore pondus, omnemq; corpulentiam sustinent, demptam inferiori parti. Simiæ tamen forma ambigua,

ambigua, ut in utroq; & in neutro constituenda sit: Partibus certa sua est & propria, quoniam & actiones cui forma servit, Ex his foris summæ sunt quatuor 1. Hist. an. 5. caput, collum, thorax, brachium & crus duplex: In singulis depravatio potest esse satis monstrosa. Recitemus autem exempla horum nonnulla, deinde causas investigemus: capite monstri sunt, qui macrcoephali dicti sunt. Nam usitata forma non est, neq; appetenda, eorum, quia ortum nobis tradidit Hyppocrates lib. de aëre, verba annotanda sunt: Nulla omnino gens est; quæ similia capita habeat macrocephalis, à principio quidem consuetudo in causa fuit, ut tam longis capitibus essent, nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspiravit, siquidem generosissimum apud eos putatur, quam maxime longum habere caput, consuetudinis autem hoc initium fuit: cum recens infans natus est, caput eius adhuc tenerum ac molle existens, celerrimè constringunt manibus, coaptantesq; cogunt in longitudinem augeri, quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea consuetudo tantum effecit, ut eiusmodi natura capitum existeret, temporis vero progressu, natura quoq; tales produxit, ut non esset necesse, consuetudine priore cogere. Cum enim semen genitale ab omnibus partibus corporis

Partes summæ quatuor.

Macrocephali qui dicti.

Capita longa generosa olim.

corporis procedat, à sanis sanum, à morbidis morbosum, fiatq́ ut ex caluis calui gignantur, ex cæsijs cæsij, & ut plurimum distortus distortū generet, eademq́ ratio sit circa reliquas formas, quid prohiberet, ut non ex macrocephalis macrocephali gignerentur? Nunc autem non nascuntur ita magnis capitibus quemadmodum prius, cum consuetudo non amplius durat per incuriam hominum intercepta. Hactenus ille, cuius posteriora verba non videntur cum superioribus per omnia consentire. Nam si natura tandem tales produxit, cum etiam ex consuetudine cura non accederet, quomodo intermissa consuetudo causa esse potest, ut hodie non sint macrocephali? Potest autem caput multis alijs etiam modis figura esse absurdum, cum eminentia anterior vel posterior, aut utraq́ concinnitatem amisit, quarum figuras nobis tradidit Vesalius l. 1. cap. 5. Quanquam & Hippocrates & Galenus è quibus sua conciliator mutuatus est, differentia. 79. Tres

Dubium in verbis Hippocrates.

Caput figura absurdum.

1. *enim non naturales habet. Vnam cum eminen-*
2. *tia anterior coronalis perijt, Altera cum poste-*
3. *rior, Tertia cum utraq́ vitium habeat: Quar-*
4. *tam negat dari posse salva vita, si nimirum maior sit dimensio dextræ ad sinistram, quam anterioris ad posterius: Et tamen in nano quodam monstroso, & in alio quodam non dissimili deprehendit caput, maiorem distantiam à tempo-*

ribus

ribus utrunq; , quam ab occipite ad sinciput, id quartæ huic responderet, potest igitur dari, neq; obstat quod rara sunt eiusmodi, aut etiam non vitialia. Habet Solinus nonnulla & Plinius lib. 6. & 7. Sunt in historijs Cynocephali quasi dicas, homines caninis capitibus: si homines sunt, monstra sunt: sed simiarum talium faciunt mentionem autores. Galenus meminit in anathomicis administrationibus: Restat, inquit, simianía homini quam similium artus dissecare, cum te in exemplo exercere instituerit. Sin ea non detur, aliquam ei proximam deligito, aut si nulla omnino simia reperitur, cynocephalum vel satyrum vel lyncem. Nec tacuit eos Albertus: Quicquid sit, nesci homines posse, qui similitudine canem referant, quod notati nonnulli, hoc nomine sunt in historijs. Cœlius periculi bocadhæsisse scribit, Etsi id nusquam diserte scriptum est, nisi quod Plutarchus turpi specie fuisse narrat, & facie ob longa, ceteris etiam partibus non respondente, ex quo factum est, ut omnes eius statuæ velatæ sint cassidie, quod nollent artifices eius partis turpitudinem conspici. Cynocephali.

Gibbi & repandi & obstipi collum, cervicem, & spinam depravatam habent. Homero Thersites fuit gibbus, humero, coniuncto pectori, horum vitiosa conformatio cum obtorta sunt, qui dicuntur ῥαιβοὶ, si extrorsum vatij & blesi, Gibbi, repandi. Thersites.

qualem

qualem describit in epigrammate Martialis Poeta, ubi in Phœbum quempiam.

Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua Lunæ,
In Rhytio properas, Phœbe, lavare pedes.

Ῥυτὸν quid sit. Ῥυτὸν autem monent poculum esse cornu incurvatum referens, seu literam υ. Idem Poëta Vetustinam quandam describit mire deformem, cuius partes singulas, certis animantium figuris assimulat. Pectus cicadæ, pedes formicæ, os Crocodilo, certe φοιβῦ ϭὸκ ἔοντοσ natæ. Versus sunt in lib. 3. ad finem.

Cum tibi trecenti consules Vetustina
Et tres capilli, quatuorvè sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculumq; formicæ,
Rugosiorem cum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas,
Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat Crocodilus angusta,
Meliusq; ranæ garriant ravennates &c.

Socrates deformis. Cætera inhonestiora sunt, quam ut debeant referri. Socratem etiam scribunt adeo fuisse natura deformem, simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, repandis cruribus, ut cum duæ uxores Xantippe & Myrto Zelotypia quadam in contentionem venirent, insanire eas iudicarit, quod de tam deformi homine litigarent, in quo ad amorem nihil esset commendabile. Idem apud Athe-

Athenæum irridetur, quod sit πόλυ τῶν σειληνῶν αἰσχίω *multo ipsis Silenis deformior. Meminit Scaliger pueri cuiusdam Hispani, quem ex India advectum ex Indicis parentibus in Hispania natum candidis pilis totum tectum fuisse annotat. Idcirco Barbet à Gallis dictum, quo nomine villosum canem vocant, quem Flandri VVatterhundt. In meatibus errores huius loci sunt, puellas velatas & attritas vocant, quæ ita clausæ sunt in pudendi sinu & ore uteri, ut nec viri consuetudinem ferant, nec affluant menstrua: Et non perforatarum meminit in 4. de gener. anim. cap. 4. In fœminis os uteri compressum concorporatumq́, ab ineunte ætate ad tempus menstruorum, tum autem ruptum aut dissectum. Vaccæ Perinthi cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur, dissectaq́, anus denuo propere coalescebat, nec resecando vitium evinci potuit. In Amato est de quodam cui glans non perforata: Albertus imperforatos etiam vivos vidit: Sed exemplorum ubiq́, satis magna copia. Nunc de causis laboremus: Si illud prius monuerimus, ut in cæteris etiam, non quicquid vel leviter figuram partis deformat, ab eo monstrum dici, sed quod enormem lapsum gignit, & multum ad usum impedit: Antiqui ut est apud Aristotelem 1. de generatione 17. Figuræ principium ex eo deducebant, quod semen ab utroq́, parentum*

Puer pilosus in toto.

Anus clausa & pudendum.

Vaccæ Perinthi.

Causæ monstrorum in figura.

Opinio antiquorum. rentum secretum, è toto corpore, & unaquaq; eius parte derivaretur; quatuor id argumentis

Eorum rationes. ostendebant 1. à voluptatis vehementia in toto, quam defluxis ab omnibus membris gignat

1. 2. quod ex mancis manca procreentur. Semen enim

2. ab ea parte quæ abest, negant proficisci, unde non

3. accesserit, ne quidem gigni. 3. Similitudo parentum, similes enim gignuntur, ut toto corpore toti, sic singulis partibus quoq; causa similitudinis erit; quod ex unaquaq; parte corporis aliquid ve-

4. nerit. 4. Quod non solum rebus naturæ insitis & nativis liberi similes parentibus prodeunt, sed etiam adventitias & externas præsentant. Iam enim cum parentes cicatrices haberent, filij aliqua parte eadem sui corporis idem habuerint, & Chalcedone cum pater brachio esset compunctus, filius idem retulit. Confusa tamen nota minusq; explanata.

Averhois filius nos tam aui habuit. Averhoes etiam scribit in filio suo representatam notam quãdam in mammis, quæ in materno avo fuisset. Addit & rationem aliam Philosophus, quod quemadmodum totius aliquid est, ex quo primum generetur, sic partis quoq; cuiusq; sit semen aliquod proprium.

Contraria Aristotelis sententia. Aristoteli secus videbatur, duabus de causis; primum quod oppositæ sint in contrariam sententiam rationes gravissimæ, deinde quod quæ ab illis dicerentur,

Semen sensu simplex. firmitatis nihil haberent: Obstant igitur priori sententiæ hæc, semen sensu simplex prorsus non potest

potest esse à partibus tam varijs derivatum: Non potest etiam ab omnibus, quoniam sic etiam à minimis: Sed quod minimum est, non potest minus fieri. Quin & ab ea decisione, totum corpus uno concubito colliquari esset necesse, quod fieri non experimur. Deniq; si tantilla portio à toto singulisq; partibus derivata sit, quantum decidi necesse est, qui potest in ea procreandi partem similem vis aliqua inesse? Quas vero rationes afferebant non satis validæ sunt: Primum enim causa cur voluptas Venerea vehementior sit, non est quod ex toto secesserit. Sed quia prurigo oritur propter turgidam spiritus eruptionem. Quamobrem si quis frequenter ea re utitur, minus afficitur voluptate: Voluptas etiam Veneris in fine coitus potissimum est: At si ex toto se- Vnde voluptas. *cerneretur non simul, sed singulis partibus, alijs prius alijs post voluptas cieretur. Secundo quod* 2. *ex mancis manci sunt, nihil probat, nam & non* Manci à mancis. *manci à mancis gignuntur, ut & dissimilis parentibus. Multum vero hic & imaginatio & metus, qui incidunt, dum uterus geritur, valere solent, ut supra ostensum est. Tertio de simili-* 3. *tudine fœtus, cum corpore progenitoris, nullum* Similitudo. *indiciũ sumi potest, ut semen ex toto fluat: Quandoquidem & voce, & vnguibus, & pilis, & motu similes procreantur, ex quibus nihil provenit: Nonnulla etiam nondum habent, cum generant,*

erratis. Frigiditatem multum posse plus stringentem, quam sit necesse, deinde & compressionem, sive hoc fiat à mēbris vicinis, vel humore infracto vel apostemate, aut carnosis excrescentijs, largitatem vero meatuum caliditati & humiditati assignat. Ex his licet æstimare, vitia in figuris monstrosis, aliquando à materia, aliquando ab agente, nonnunquam & uteri cōstitutione existere, quibus accedunt externæ causæ aliæ. De agente & materia præclare Plinius 2. de generat. cap. 4. Nam cum ossa dixisset, à calore interiore siccante humorem fieri, addit: Hic calor nec ex quolibet carnem aut os facit, neq; quolibet modo, aut tempore, sed ex materia apta, & ut aptè, & cum aptè effici potest. Neq; enim, quod effici potest, efficitur à movente, quod actu careat, neq; quod actum obtinet, efficere ex quolibet poterit, sicut nec faber arcam, nisi ex ligno facere potest, neq; arca ex lignis effici potest, sine suo artifice; item hic calor in excremento seminali, tantam talemq; habens motionem & actionem, quanta modice ad quamvis partem corporis accommodetur, quod si vel deficit, vel excedit, rem quā fit, aut deteriorem efficit aut læsam, aut mancam, similiter ut in ijs agitur, quæ foris igne coquuntur, in cibum & alium usum, sed in ijs motum nos moderamur, in illis natura gignentis accommoda: Quod de materia dicit tale est: Partium, secundum Hippo-

Causæ figurarum monstrosarum in quatuor rebus.

De agente & materia.

Partium sua materia est.

Hippocratem, in libro περὶ ἀρχῶν, sua quælibet materia est, pinguis oßibus, glutinosa nervo, alia membranis, neq; eadem omnibus: Non tribuit ipsa per se formam materia: Nam id agentis est, sed materiæ aptitudo, agentem iuuat, inhabilitas impedit ut fit in artibus, ut non male prorsus Athenæus dixerit, ex alimento & materia figuras mutari: Vt enim intra plantæ corpus succus unius modi non est, sed varius influit, ex quo diversæ partes prodeunt, flos, folia, pediculi, fructus, semen. Neq; hoc tantum, sed & in una eademq; planta diversus animæ motus est, & diversi effectus producuntur: Ita fit in seminali principio animalium. Vnum ibi est agens primum forma, cuius potestati tota subiecta ipsa movetur materia, sed quoniam materia non est in universum eiusmodi in qualitatibus suis, nec motus æqualis, tum ab uno diversa effici nihil mirum: Nam cum per tot principia fertur forma, sicut materia variat, & aliter, atq; aliter elaboratur, ita partes pro materiæ qualitate, affluxu, modo & motu diversæ existent, quod non fieret, si materia non dißimilis, & idem motus esset: Certe crassum semen facile formationem accipit, in ossa prompte concrescit, extenditur in nervos, excavatur in venas & in figuras diduci potest, ita quod nimis fluidum est, formantem non sequitur, quia cogi non potest, quantum satis est,

Ex alimento mutantur figuræ.

Cur ab uno fiant diversa.

Nec crassum nec fluidum semen formationem bene recipit.



est, aut extendi in dimensiones. Ad materiam facit pororum & meatuum in hac natura, qui

Pori per quos materia fertur.

cum iusti sunt, ut convenienter influat, quod nutritio augmentumq; postulat, cum per eos ducatur materia, fertur linea recta: Sed si secus habent, & oblique sit affluxus, etiam figuram mutari docent nodi in arboribus. Nam in quibus arboribus rectissimi meatus sunt, longissimæ eæ fiunt, in quibus obliqui & intercepti incurvantur in nodos. Materia his atq; aliis modis in monstris causa esse potest. In facultate etiam & calore aliquid

Vnde nodi arborum.

2. situm est. Calor quidem instrumenti proximi rationem habet: τὸ γὰρ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ὡς ποιητικὰ λέγομεν, τὸ γὰρ συγκριτικὸν ὅπερ ποιητικόν τι ἐστι. Igitur calor, si tantus non est, ut distinguere heterogenea, cogere homogenea, terminare, dilatare, unire, & facere cætera potest, quatenus animæ organon est, figura non succedit, quæ debet, cuius signum, quod monstrosa corpora plerumq; ob principiorum vitæ debilitatem pallent, citissimè extinguuntur. Frigus ad omnes actiones naturæ ignavum est, aut non sufficiens. Aristoteles certe nimio calori depravationem figuræ tribuit in probl. 4. sect. 4. Quærebat enim cur blæsis pedibus essent Æthiopes & Ægyptij, causam eam attulit, quoniam ut ligna, ita etiam corpora animantium depravari à calore soleant, quod etiam pili declarant, quos crispi-

Facultas figuram vitians.

Monstra non vitalia.

Blæsi vnde.

crispiores quam cæteri gerunt: Crispitudo namq; veluti pilorum blæsitas est. Galenus ex oculorum figura non de materia tantum, sed de temporamento etiam iudicium sumi posse existimavit: Oculorum magnitudo concinna, vna cum actionum integritate, temperatæ materiæ nota est, eiusq; copiam significat, quæ si hæc desint, multam quidem materiam, sed malè temperatam notant: Igitur cum inconcinna est figura, alterutrum erit vel virtus non satis valida, vel materiæ vitium, vel utrumq;. In quibus ergo capitibus figura perversa est, eminentia anteriore sola amissa, in ijs defectus fuit materiæ, sed virtus valida. Si posterior desit eminentia, multa ibi quidem materia fuit, sed humidior, atq; ita inepta, ad cerebelli, quod siccius esse oportet, constitutionem: Qui vero caput utrinq; inconcinnè figuratum habent, sed magnum, materia quidem multa, sed inepta, & caloris formantis actioni repugnans, vnde monstrosæ species variæ possunt existere. Quod si & parvum caput & absurdissimum, paucitas materiæ in causa est, cum eiusdem corruptela, atq; hi quidem plerumq; fatui, & bestijs non absimiles. Tertio, loci seu uteri ratione depravantur in fœtu figuræ, idq; dupliciter 1. Si ipsæ à naturali habitu declinent, deinde si in eo infans indecenter moveatur; Aristoteles sect. 10. prob. 40. Cum quæreret, cur homo omnium maximè claudus

Figuræ perversitas unde.



Parvũ caput male figuratum

3.

Vtero cau sa figura monstrosa.

Homo cur claudus.

claudus oriri posset, causam esse ostendit, motum fœtus in utero. Nam cæterorum crura robustiora esse, quod esse & nervo tum quadrupedum, tum avium constent, hominum autem crura carne redundent: Itaq; hæc facilius ob suam mollitiem lædi posse, cum se in utero moverint, facilius autem infringi, quæ tenerrima sunt, & eo magis quo plus temporis intercesserit. Averhoes, dissertius in 2. de gener. anim. discrimen figuræ, uteri causam assignat, diversitati fœtus, tum in numero, tum qualitate. Alibi duas posuit, caloris debilitatem existentis in corporibus. Deinde frigiditatem loci contingentis, Eo quod congelat antequam figuretur: Non tamen hæc sola sunt: Verũ si uterus situ inæqualis est, quia repletus est vel quia ob vicinas partes id accidit, cum obliquus & contortus, si asper, scaber, aut tale quid patiatur. Vtenim si linum aut ceram formulæ, aut vasi rotundo imprimas, figuram rotundam accipiet, si quadrato, quadratam, itemq; plumbum calefactum eius figuram repræsentat, cui liquatum infunditur; ita propemodum in certis partibus maxime pedibus & manibus, aut ubi iuncturæ sunt, uteri figura aliquid variat. Nam cæterarum figura matricem in forma sequi, non necesse est, itaq; hoc quidem de certis tantum accipimus, & externo partium statu. Ac quamvis figuram negent habere uterum, sicut & ventriculum, non est tamen

Figura ali- quando se- quitur lo- cum.

men absq; omni figura, quæ ei conveniat: Nocet etiam si ætate aut morbo vim suam uterus perdiderit, ut in effætis aut languidis ex pluribus & frequentibus difficilibusq; partubus. Multo certe magis si senium sit, & semen infusum aquosum, & semimortuum. Quid enim & ex fece quasi seminali, & in solo sterili enascatur spetiosum?

Quartò adijciamus & hoc: Claudos nasci, scripsit Hippocrates lib. de septimestri partu ex inordinato in latera congressu, cum semen perverse, & quasi fractum infunditur, cuius pars quædam, modo à toto avulsa, non exquisite ei adiungitur. Quod si accipitur, cur nō eodem modo, & gibbos & repandos, & obstipos similiter. Etsi hi etiam ex alijs causis ita nascuntur, prius autem vitium lordosim vocant, alterum cyphosim, si in posteriorem partem torquentur. Tertium scoliosin, si in latera, spinæ in his inversio est: Causæ mali duplices. Extrinsecæ & intrinsecæ. Extrinsecæ quatuor potissimæ 1. ab ictu, casu, aut vi externa aliqua, Secunda, si decussatis genibus aut pedibus gravidæ frequenter sedeant. Sic enim aut cogi aut divelli, tenera in fœtu membra. Tertia, si ut laboriosæ solent, totos dies curuato corpore sedeant, ad colum vel alios labores, idq; frequens in ijs, quæ acu pingunt, ac lanam tractant. Quarta ab onerum libratione, aut vehementiore partium extensione, & conatu. Addi potest vinculorum &

4. Claudi à motu seminis indecēti.

Gibbi unde.

1.

2.

3.

4.

Internæ.

vestium arcta astrictio: Intus humores abscessus, & excrementitij humores decumbentes circa vincula, membranas unius vel plurium vertebrarum, cæteris inviolatis. Nam sic trahuntur à suis ligamentis tumentibus, & loco cedunt vertebræ. Estq; quod in ramis, cum curvantur, de Gibbis est in 22. Feu. Tractatu 1. c. 12. In Æagineta l. 6. c. 18.

4. Imaginatio. Addi quintum potest, imaginatio & terror, quid hunc sequitur ex aspectu rei monstrosæ improviso, motus, quo concepta species per spiritus fœtui imprimitur, eo modo, quo dictum est, qui vero Diabolis id tribuunt, quemadmodum & Paracelsus, iis probandum relinquimus. Postremum sit in hoc loco: Figuras quæ monstrose hodie deformant corpora gentibus quibusdam, non modo monstrosas visas, sed artequæsitas, quemadmodum de Macrocephalis Hippocrates scribit. Nam cum formosas putarent nonnullæ gentes, facies, si oblongæ essent, obstetricibus mandarunt, darent operam, ut redderent quam longissimas, quales in statuis & imaginibus videre licet etiam antiquissimis.

Figura hodie monstrosa olim gentibus pulchra visa.

Synesius vidit corpus fœminæ in Africa arte flexum, in formicæ figuram, jucundo tum hominibus spectaculo. Multis etiam artificio habitus in pectore maxime fœminis mutari solet, quæ formæ quia quæruntur & placent, pro monstris non habendæ sunt, curiositas autem sæpe pœnas luit metamorphoseos non necessariæ.

CAPVT

CAPVT XXI.

Qualia sint in magnitudine monstra. Incrementi ratio. Tempora & differentiæ tres. Causæ itidem. De Gigantibus & Pygmæis. Octo causæ monstrorum in magnitudine:

ET ad pulchritudinem & ad necessitatem interest, membra in animalibus non quantacunq; esse magnitudinis, & certam ad cetera proportionem habere. Magnitudo omniū definita est, iusta etiā inter omnes ratio ad totius salutem, neq; negligenter quicquā Deus, & natura moliuntur. Sed ab initijs parvis in ortu ad incrementa proceditur, quæ certa sunt in speciebus singulis, neq; solum natura figuram partibus tribuit, sed præterea in magnitudinem extendit, successuq; temporis, per additamenta auget, donec terminum assequatur, in quo insistit. Non enim in infinitum progreditur, dixitq; vere Philosophus, omnium rerum naturalium maximam esse & minimā quantitatem, ultra & citra quam nulla formæ actio consistat, utq; essentia rerum, perfectio, actio, sic instrumentorū parvitas, & magnitudo certis finibus est inclusa, idq; & opera & instrumēta artis ostendunt, rursumq; hoc ipsum & de toto & de partibus accipiendum est. Extrema enim sunt & media, maximum & minimum. Cœlo nihil maius in natura, atomo nihil minus, in cæteris similiter ut natura fert, impedit autem pars aut nimis magna, aut

Magnitudinis certa necessitas.

Magnitudo definita.

Nimiæ

Et nimis magnum, & nimis parvũ malum.

Nimiæ moli virtus regens non sufficit, exigua non satis est virtuti. Certa igitur quantitas organorum, his de causis necessaria est; propterea septemo politicorum dixit Aristoteles, ut civitates, & politias, ita & animalia ac plantas constitutos habere terminos, quos non possunt excedere: calamo, nec scriptor uti potest, nec navi nauta, si aut nimis parva, aut supra modum vasta, sua cuiq; idæa est. Hoc de organis viventium, ita verum est, sed quæ vitam non habent, quanquam & ipsa finita actu sunt, desinita tamen quodammodo moles non est, ut in igne, cuius augmenti principium, foris & externum est, qui & maior & minor fit, pro materiæ combustibilis copia vel paucitate. In viventibus modus necessarius est, qui non exceditur, ac ne in minimis quidem. Alas muscarum si modicè reseces, videas volare non posse amplius, sed ridiculo spectaculo subsilire tantum. Igitur formatrix vis illa cælestis à summa, omnium rerum opifice, causa gubernata in ijs quæ ortum habent & interitum, materiam disponens in partes, figuram quantitatemq; assignat certam, ut neq; imbecilliora sint, neq; mole nimia. Boni enim causa facit omnia, ideo non quovis modo, sed admirabili Symmetria, & proportione effingit, magnum, quod magnum esse oportet, & parvum similiter. Nam si secus ageret, perinde esset, ac si non esset factum,

Ignis augmentum quale.

factum, quod in lingua patet, quæ cum immodica est, agitari non potest, ut est apud Galenum, itemq́; fit in immani corporis mole. Patet ex his, augeri etiam animantium corpora oportere. Sed incrementi tria tempora sunt. Vnum dum in utero aliquot mensium spacio fœtus excrescit: quod incrementum omnium est maximum: Secundum est in editu, infantili ætate prima, prioribus annis tribus, quo tempore mediætatem suæ magnitudinis fere assequitur. Tertium est, annorum sequentium, ad ἀκμὴν usq́; quod alij quindecim annis, alij pluribus circumscribunt. In hoc tempore, etsi amplius est utroq; priore, minus tamen fit augmenti; post hæc nihil conspicue augetur, sed & paulatim imminuitur corpus. eius rei causam, juvat inquirere, à qua incrementi tanta fit differentia: Cur enim tam insigne est in fœtu & infantibus, obscurius postea. Non potest esse dubium, à duobus id evenire, sanguinis & jecoris constitutione diversa: Nam hæc ut nutritionis, ita augmenti principia sunt. quo liquidior igitur sanguis est, & uniusmodi in substantia, & moderatè calidus, jecur vero ipsum mollius & benigno calore temperatius, hoc melior fit nutricio. Rursus quo crassior sanguis, dissimilaris impurior calidiorq́;, jecur vero durius, densius, calidiusq́;, hoc minus animal nutritur. Sanguis est qui adsit & auget, Ipar à quo consi-

Incrementi animantium tria tempora.

1.

2.

3.

Vnde incrementi differētiæ.

Incrementum à jecore & sanguine.

Sangis alit & auget.

conficitur, utriusq; differens conditio dissimilia in nobis secundum ætates operatur, jam & sensus docent, & patet ratione aliud in fœtu & infante, jecur inesse, aliud postea & in senibus, itemq; sanguinem: Atq; ut major vis utriusq; in ijs dum augentur, ita minor in decrescentibus senibus: Iecur molle, tenerum, temperatum & blandum fœtui, & infantibus, sanguinem etiam liquidum, æquabilem, pinguem, dulcem, moderateq; calidum, progignit: Hic fusus in omnes partes (fundi autem ob tenuitatem facile potest) partibus teneris absq; difficultate agglutinari, & concrescere potest. Signum eius est, calor in jecore infantum, & sapor, & substantiæ modus: Calor ad albedinem magis vergens. Sapor in eo dulcior. Substantia ipsa ad tactum mollior: quas conditiones sanguinem etiam sequi necesse est, ob id nutritioni, & amplificationi corporum maxime idoneus fuerit, quoniam & bene fluidus, & pinguis dulcisq; moderateq; calidus. Sed cum in lucem editus infans est, quoniam adhuc ea jecoris temperatio, mollitiesq; perdurat, laudabilemq; ut antea succum procreat, omnia in bene liquidum, suavemq; succum convertens juniorum corpora primis ipsis annis multum omnino augeri videmus: Postea quo magis ab hoc statu epatis, humorumq; receditur, hoc lentius est incrementum, tandem etiam nullum: Fit enim indurescente paulu-

Infantes quale iecur & sanguinem.

paululum epate, & aucto calore, succus crassior, impuriorq́, minusq́, gratus partibq, maxime in jam senescentibus, in quibus salsa biliosaq́, excrementa contaminant membrorum alimentum. Ad extremum cum durissimum & exuccum epar est, crassissimus etiam & impurissimus sanguis, neq́, modo paucus, sed & corruptus, perparte aut etiam nulla sui portione in alimentum trahi potest. Causa igitur augmenti & decrementi eiusmodi est: & auget natura ut debet & potest; cum sibi relicta est: Interdum degenerat conceptus secundum hanc rationem, quod jam monstrosum dicimus. Dico autem magnitudine monstrosum, quod ab eo multum discessit, quod in unaqualibet specie optimam habet. Symmetriam. Hic discessus à symmetria in defectu & excessu est, magna latitudine tamen. Ac primum quidem potest hic peccari dupliciter. Primum si quid mole excedit. Deinde si quid nimis parvũ est: Vtrumq́, autem, vel in toto, vel parte, vel partibus evenit. In toto nimia moles est, illa quam gigantea appellant, qualis hodie monstrosa fuerit fortasse, olim non item, quoniam communem mensuram superat. Horum duo genera reperio. Vnum eorum qui citissime ingenti mole corporis facti sunt, ut Aloidæ, quos aiunt singulis mensibus in novem digitorum altitudinem excrevisse, non superasse autem annum nonum ætatis, fuisse autem novem brachi-

Indurescẽte epate minus fit sanguinis boni.

Magnitudine quid monstrosũ.

Dupliciter.

Gignantea moles duplex.

brachiorum amplitudinem, longitudinem vero novem passuum. Fabulosa hæc esse non dubitari potest. Nam potentia magna fratrum illorum denotata est per corporis molem, regnasse autem annos tantum novem, à terra autem nutritos, quod agros occuparint fertilissimos: Huc cætera refero de Atlante & Nyphæa multa nugaria. Alterum genus eorum est, quod in sacris etiam sæpissime describitur & in lib. Num. & Deut: & in historia Goliath, quæ allegoricè non possunt accipi, ut placuit quibusdam ex antiquis. Nam tantos fuisse istos diserte scriptum est, ut cæteri locustæ viderentur. Testantur id ossa in sepulchris reperta, nomina item & staturæ expressa mentio, & sedes, & res gestæ quamplurimæ. Magni præterea testes, præter Homerum, Pausaniam, Plutarchum, Plinium, Philostratus in Apollonij vita sic: Ego Gigantes fuisse dico, multisq; locis diruptis tumulis eiusmodi corpora ostendi, non tamen ut fertur, cum Dijs pugnasse, sed forsan Deorum ædes & templa violasse. In libro de Mirabilibus legitur. Neronis ætate terræmotu multas Asiæ urbes fuisse deletas, in divulsis autem terræ partibus reperta cadavera, quorum magnitudine territi incolæ non ausi sunt ea loca attingere. Indicij causa Romam missum dentem viri exemplum, qui pedis mensuram non modo æquaret, sed superaret. Iussit tum insignem Geome-

Fabulæ de Aloidibus inter pretatio.

2. Genus.

Esse Gigantes aut fuisse.

Geometram Tiberius porportione fingere, faciem illi respondentem, quod & factum est. In Plinio lib. 7. cap. 16. multa sunt. Augustinus etiam l. 15. de civitate DEI, vidi, inquit, non ipse solus, sed alij mecum in Vticensi littore molarem hominis dentem, tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis viderentur facere potuisse: Habet Cardanus non pauca. Adiecit autem Scaliger hoc: Non digni sunt Indi illi, quos Gigantum titulo admiremur, sed is cuius ossa in Corcyro effossa anno ante hunc circiter septuagesimo. Brachium enim totius iusti cruris longitudinem exaquabat: Sed & post victoriam quam sub Ludovico rege ad laudem pompeiam vicimus, Mediolanum profecti offendimus in publico Nosocomio juvenem tantæ proceritatis, ut stare non posset: Neq; enim poterat à natura satis alimenti, ad crassitudinem, roborisq; proportionem meditari. Itaq; jacebat, explebatq; lectos duos simul junctos. Samogithij autem populi, cum proceræ staturæ maxima ex parte sint, tamen quasi per vices tum proceros, tum pene vanos generant: Haud absimile ingenium arboribus quibusdam, ex quibus apparet non irrisisse sapientes Gigantum historias, sed ad omnipotentiam DEI retulisse, quos tamen deletos esse videri volunt. Habet Colu[illegible] exemplum in anatomia sua. Thuci-

dides fabulosa credidit, quæ Plinius vera: Sed tuetur antiquos Solinus, cap. 5. Nunc si de ipsis formis hominum requiramus, liquido manifestabitur, nihil de se antiquitatem mendaciter prædicasse, sed corruptam degenere successione sobolem nostri temporis per nascentium detrimenta, decus veteris pulchritudinis amisisse. Licet ergo definiant, nullum posse excedere longitudinem septem pedum, quod intra mensuram istam Hercules fuerit, deprehensum est tamen Romanis temporibus lib. D. Augusto pusionem, & secundillam denos pedes & amplius habuisse proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in conditorio Salustianorum videntur, postmodum D. Claudio Principe Gabbarum nomine ex Arabia advectum, novem pedum & totidem unciarum. Sed ante Augustum annis ferme mille non apparuit forma eiusmodi, sicut nec post Claudium visa est. Quis enim jam ævo isto non minor suis parentibus nascitur? Priscorum autem molem testantur etiam Orestis suprema, cuius ossa Olympiade quinquagesima & octaua Tegeæ inventa, à Spartanis oraculo montis didicimus impleße longitudinem cubitorum septem. Esse Gigantes ex his patet, & hi monstrosi mole hodie putantur: Illis oppositi sunt pygmæi, parvitatis in toto exempla, sed de his nō minus quæsitum, fuerint ne ulli, & an hominibus annumerandi.

Vetustas nō est mentita in historia gigantum.

Pygmei & fuerant & sunt.

Esse-

Testantur fuisse Aristoteles, Plinius, Apollonius, Augustinus, Albertus, Strabo, Lucanus etiam. Sed locos legere expedit, magis si conferantur. Aristoteles lib. 8. hist. cap. 12. Grues ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco cum pygmæis pugnare creduntur. Non enim id fabula est, sed certe genus tùm hominum, tùm etiam equorum pusillum ut dicitur est, deguntq; in cavernis, unde nomen Troglodite à subeundis cavernis accepêre. Plinius lib. 7. cap. 2. Spithamaeos vocat ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes. De pugna cum gruibus, & sede ac domicilio idem cum Aristotele. Hodie qui peregrinationes suscipiunt, vidisse se aiunt ad ea loca brevitate admodum insitata. Paulo etiam minore quam vulgo æstimetur, mulieres tamen viris longiores. Numero non multos uno in loco, sed sub legibus & principe vivere, tributa pendere, jussos venire ad mandata, victum ex venatione quærere ferarum, bombardis & jaculis uti, miram autem celeritatem in persequendo feras per altißimas arbores, saliendo ab una in aliam, ut sciuri solent, inter ipsos quidem jus nullum, potum esse ex ursorum sanguine admista aqua. Incantationis tamen peritos, ut si à quopiam læsi aut erisi sint tantum, quicquid denunciarint, minando, id malum Pygmæi quales.

 corpo-

corporibus paulo post infligi. Credamus ijs, qui hac nobis tradiderunt, etsi non ignoro, male jam pridem audire peregrinantes, & qui è militia redeunt, quasi hi soli strenue plerunque mētiantur: Sed omnis fides his adimenda non est. Præsertim si à gravibus quid dicatur, & à multis, ac constante fama: Neq; multa sciri aliunde possunt: Albertus refert vidisse se puellam novem annorum, quæ magnitudine unius anni videretur. Ubi autem fœtus omni parvitate monstrosi, quos editos trium gravissimorum autorum testimonijs, Ludouici viuis, Erasmi Roterodami, & Guiccidiani credimus. Nam & historiam referunt, & epitaphium. Ita autem habet: Illustris domini Florentij, Comitis Holandiæ filia, cuius mater fuit Mathildis, filia Henrici ducis Brabantiæ, fratrem quoq; habuit Gulielmum Alemaniæ regem: hæc præfata domina Margaretha, anno salutis 1 2 7 6. ætatis suæ anno 4 2. ipso die parasceves, hora nona ante meridiem peperit infantes vivos promiscui sexus, numero 3 6 4. qui postquam per venerabilem Episcopum dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Ioannes, fœmellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris animæ, ad Deum æternaliter victuræ redierunt: Corpora autem

Memorabilis historia.

autem sub hoc saxo requiescunt. *Est & morbus in magnitudine imminuta, cum extremè emaciati nascuntur & macri, larvæ hominum, quanquam seminariæ adsint partes, quibus salvâ, vita potest consistere, de quo Galenus, lib. 1. de usu, cap. 3. & 12. cap. 3.* *Carnes vincula sunt constituti corporis, & cum abest prorsus, actiones lædit internarum & exteriorum partiū, quamvis inter symptomata recenseatur, 4. de differ. symptom. Hæc parva in toto sunt. Partium moles excedit in macrocephalis, etsi ad figuram etiam retulimus, quia duo insunt vitia. Gal. 6. Epidem. Comm. 1. aph. 37. Periclem dicit tam grande habuisse caput, ut in comœdijs etiam ex agitaretur: Sunt & hydrocephali capite admodum amplo, si tamen ita nascuntur, quod ad monstri rationem attinet, sunt gentes, quibus aures ita amplæ, ut ijs totum corpus velare possint, tanquam veste. Fanesios vocant & Satmalos. De Midæ auribus est in Poëtis. De Charini Naso elegans est Bezæ illud:* Emaciati. Periclis caput grande. Fanesij.

Quod quacunq; venis, Charine fuga est,
Ceditur q; tibi velut tribuno,
Tandem desine quæso gloriari.
Naso, non tibi ceditur Charine.

Linguam immodice magnam descripsit Galenus lib. 1. de diff. morborum, & Scaliger ita Lingua immodica.

grandem vidit, ut ob mendacij suspitionem silere maluerit. Manum in fœmina duplo altera minorem, pedem ephippiario, Mammas juvenculæ virginis tam vastas, ut brachiorum latera ventris superiorem partem occuparent: Sunt & partium parvitate nonnulli in historijs insignes, alijs capita, quæ pessima esse Galenus dixit, alijs manus aut pedes:

Octo causæ monstrorum in magnitudine.

Causas colligamus: Eæ possunt octo in universum enumerari, materia, facultas, locus, imaginatio, cœlum, immaturitas, Dæmonum vis, Errata partus. De singulis peculiariter. Cardanus cœli naturam, propagationem, victum & artem nominat. Nam regiones aliæ alijs maiora producunt animantia. Pumiliones facere licet arte, sicut & canes. Ex magnis etiam magni, ex parvis parentibus parvi. Magni etiam ex nutritione & parvi simul, sed hæc in illis comprehenduntur, partim non est necesse, monstrosa esse, quæ ab his causis paulo maiora aut breviora sunt usitatis. Plinius lib. 7. cum arborum fecisset mentionem tantæ proceritatis, ut sagittis superari nequeant, hoc inquit, facit ubertas soli, temperies cœli, aquarum abundantia, ut si libeat credere, sub una ficu turmæ equitum condantur, arundines verò tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. Multos sibi quinos cubita

cubita excedere. Omnino nimiæ atq; inusitatæ magnitudinis causæ duæ sunt: quæ & crescendi duo principia. Primum materia copiosa affatim, & perpetuo affluens, idonea, & ad transmutationem habilis. Deinde calor à quo duo: Transmutatio alimenti: & dilatatio corporis quod incrementum debet suscipere. Igitur hæc si sunt in proportione, augeri corpora tanto magis necesse est, quo illa validiora sunt. Magnitudinis duo principia. Calor ad molē duo facit.

Multam materiam calor sufficiens cum vincit, extendit & dilatat, nimius absumeret, unde in calidissimis illis regionibus Maurorum, & Indorum corpora gracilia, breviaq;. E pauco grandescere nihil potest. In Epiro olim vaccæ loco & campis fertilissimis insignis erant magnitudinis, Aristotelis tempore, sed alijs in locis eædem non ita augebantur, ut hodie fit in Hollandicis, & Phrysijs, quarum & Albertus meminit. Visæ sunt quæ à stantibus mulgerentur, ut singulæ magnas amphoras lactis præberent, Alicubi tanta pabuli lætitia, ut nisi interpellata sagina, interdum fuerit abstinentia, pecora rumpantur, quales in armentis Geryonis, solæ opes eius, tantæ famæ, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. E pauco nihil grandescit. Vaccæ insignes.

Ex quo Plato in Timæo & Gal. 6. de locis affect. arbores & plantas aiunt, non minus

posse ob nimiam alimenti affluentiam ægrotare, quam animantia. Obstetricis in hac repub. nostra filiam vidimus puerperã, ita plenam lactis tumentibus mammis, ut paucis diebus collectum sit, quod aquario vase ligneo capacissimo vix excipi potuit, Flos pinguissimus detractus, ex quo butyrum factum, & casei, miro casu & spectaculo, nec cibo ullo aliquandiu usam aut ausam etiam attingere. O gratam rusticis vaccam, & quæ mactatorem non metuerit. Igitur in materia affluente multum est positum, eamq́ diserte attigit Philosophus. 4. de gener. cap. 4. Vt perficiendi cuiusq́ animantis certa magnitudo est, tum ad maius, tum vero ad minus, quem terminum non supergrediuntur, ut vel maiora vel minora evadant: Sed in medio magnitudinis spatio excessum defectumq́ inter se capiunt: atq́ ita homo alius alio auctior est, & cæterorum quodvis animalium, sic materia seminalis ex qua consistunt, non indefinita est, nec in plus, nec in minus, ut ex quantalibet possint generari. & paulo post: Partium supervacanearum præter naturam, eadem causa est, quæ geminorum generationis. Iam enim in conceptu causa accidit, videlicet si plus materiæ consistit, quam pro ipsius partis natura sit: Sic enim accidit, ut vel pars maior quam iustum sit, efficiatur, verbi gratia, digitus, aut manus, aut pes, aut aliud ex ceteris

posteriorum

postremis, aut membrum, vel ipso conceptu plures reddantur, quomodo in fluviis vertigines geminantur. Hæc igitur sunt à materia, tum ea quæ primum ad fœtus constitutionem facit, tum illa altera quâ alitur: Contraria parvitatis causa est contraria, defectus materiæ, & in alimento quidem, cum vel non affluit, vel quod affluit vitiosum est, aut non apponitur toti aut parti. Ea res interdum quidem inappetentiam sequitur, interdum totius imbecillitatem, vel cum effluit, & absumitur, ut in intemperie vehementi. Effluxus autem mentionem fecit Hippocrates, *lib. 1. de morbis mulierum. Quæ in utero habent, & uterus magis quam oportunum est, hiat, augmentum fœtus dimittunt. Descendit enim cum mulier in ventre habet, sanguis paulatim in uteros à corpore toto, & in orbem, circa id, quod in uteris est circumstans, illud auget. Si vero hiant uteri, magis quam oportet, sanguinem singulis mensibus velut procedere solet, dimittunt, & quod in uteris est, tenue ac debile fit, quod si non curetur mulier, fœtus corrumpitur: Sed & cum plures juncti sunt fœtus, accidit, ut alter tenuior fit, non sufficiente alimento pro utroq., nam sæpe & interire alterum necesse est ob defectum, quod fit aliquando in uter, nonnunquam paulo post, raro enim supervivunt gemelli: Simile quippiam accidit hic, ut in radicibus duabus*

Causæ parvitatis.

Gemini raro vitales.

bus calidioribus si vicinæ sint, quarum cum utraq; multum attrahat, aut alterum aut utrumq; exarescere observatum est, ut rutam & brassicam. Materia autem ita in monstris istis se habet. De Gigantibus autem & Pygmæis paulo post peculiariter:

2. Causa. Robur facultatis. *Altera causa est facultatis robur, vel debilitas. Nam duo huius officia sunt, unum immutatio materiæ, alterum dilatatio partium in amplitudinem: Ex quo magnitudo & parvitas membrorum facultatis robur potest indicare, quantum fuerit.* Magnum caput. *Magnum caput Galeno non modo materiæ copiam, sed si esset cum figuræ concinnitate, etiam propriæ facultatis potentiam arguebat, quoniam forte agens materiam valide dilatat, modo idonea sit, & ad extensionem habilis. Exemplo sint plantæ in umbra, aut loco frigido positæ, quæ incrementum tardius accipiunt, brevioresq; sunt ut plurimum, quam quæ soli expositæ. Quod si & alterum materiæ defectus accedat, tanto minus augmentum est. Ne dubitetur de caloris vi in augendo viventia, docent quæ in 4. Met. Philosophus tradidit, & lib. de sensu & sensib. Ca-* Probatur calorem facere ad augmentum. *lor enim movet transitq; ad circumferentiam, sicut frigus cogit & astringit, augmentum impedit, cuius signa sunt inter cætera & duo hæc. Primum quod animalia videmus in iuventute, & calida*

calida ætate augeri, minui cum senescunt: Deinde quod pro varia mistura temporum anni animalia pulchriora, minorave efficiuntur. Anates Indicæ, cœlo mutato, breviores fœtus educunt, & phasiani in frigidioribus locis nati: Ob id *Asiam ab Europa differre dixit* Hippocrates lib. de *aëre, non modo rebus ex terra nascentibus, sed & hominibus, quod illa in medio solis exortu sita sit ad auroram, à frigiditate ac caliditate remotior.* Incrementum autem & benignitatem, *inde proficisci omnibus in confesso est, cum nihil sit præcellens, & violenter urgens, sed per omnia æqualitas vigeat.* Ex eadem est, *quod ubi calor adurens non est, squalorem & humoris inopiam afferens, neq; frigus nimium oblædens, non modo multi fructus, & maturi, sed magni etiam reperiantur:* Homines alij in alijs terris.

Tertia causa locus est, & pecularis uteri affectio. Hic aut grandior est aut contractior. 3. Causa, Locus. *Si grandior, ad levem commotionem eijcit semen, aut si servat, excrescere sinit supra modum, cum cætera augmenti principia adfuerint: Si angustior, non potest habere incrementum suum fœtus, unde & immatura nonnunquam illius eiectio.*

Quod si ex una aliqua parte angustior est, contingit deesse partem, & mutilum generari monstrum. Nani autem non ob hoc tantum, sed si utrunq; simul insit. Exigua seminis moles, & uteri angustia: Sed quia uterus perinde ut stomachus extendi multum potest, rarior inde causa est: posse autem ab eo vitium esse, docuit divinus senex in lib. de genitura. Si non habuerit spatium, ut in eo fœtus nutriri posit, necesse est eundem tenuem nasci, utpote quod non habeat satis amplum spatium ad incrementum capiendum. Si vero satis amplum spatium habet, neq; ægrotet, verisimile est, ex magnis parentibus magnam semper sobolem prodituram. Quod ipsum hinc disce: Qemadmodum enim si quis cucumerem, qui jam defloruit adhuc tenellum, & in cucumerario hærentem immittat in haustrum, εἰς ἀρυςῆρα, æqualis ac similis evadet, ipsius haustri. Sin verò eundem in vas amplum indat, quod verisimile sit cucumeris esse capax, neq; multo tamẽ maius, quàm pro cucumeris natura, æqualis itidem ac similis fiet vasis cavitati. Increscens enim vasis, cavitatem æmulatur. Et omnia fere nascentia eo proveniunt modo, quo quis ea provenire coëgerit. Ita quoq; in puero se res habet. Si enim in spatioso loco incrementum acciqiat, maior evadet: Si in loco angusto, minor.

Quarta causa est imaginatio, aut ῆ motum,

qu

Mutili.

Nani.

Locus figuram tribuit.

4. causa. Imaginatio.

tum in immutandis fœtibus concepta à matre species posit, & exemplis ostensum est, & ratio exposita, qua id fieri probabile videatur. Quod si figuram potest invertere, & numerum, & situm, & continuitatem, cur in parvitate & mole non possit? Eadem enim causa in omnibus.

Quinta est, cum immaturus fœtus eijcitur anticipato tempore, quod natura præscripsit. Certum autem singulis est, etsi variat maxime in homine, & editi septimo mense vivere possunt. Quo immaturius autem eduntur, hoc imperfectiora erunt, tantoq; minora, quo longius absunt ab eo spatio, quo soliditatem justamq; quantitatem habent, quam possunt accipere in utero. Certe septimo mense editis, sæpe aurium & narium foramina defuisse scribit Plinius, quæ etsi figuræ vitia sunt, minus tamen mirum, in quantitate imperfectionem esse, si figurari nondum potuit. 5. Causa Anticipatio. Immatura imperfectiora.

Sextam causam astrologi nobis obtrudunt cœlum, non ut medici solent, anni temporum constitutiones, sed peculiari astrorum facultati id assignant: Aiunt enim ab antiquis ita esse observatum, in sobolis propagatione, si quæ diversitas à gignentibus reperiatur, non ex ijs tamen causis, quas cæteri physici nominant, & in principijs sunt corporum, semine, sanguine, utero, excrementis, motu, terrore, victu, affectibus, evenire, unde flaccescat natura, & imbecillior ad gignendum 6. Causa cœlum.

dum reddatur, sed cœlum ipsum alijs liberos in totum denegare, alijs tribuere non vitales, aut certi sexus, alijs fœdare, & polluere, inde mutilos, balbos, nanos, Gigantes, longimanos, pro signorum naturis & locis in genitura positis, ex eo fieri, ut pars brevior, vel longior sit: Contra hos multa supra docuimus, & vel una ratio non sinit nos cum ipsis consentire. Nam si virtuti cœli & stellarum, id tribuendum est, alterò horum duorum modorum fieri necesse est, ut vel communi vi cœli, eiusque motu calore & lumine fiat, aut solis in Zodiaco. Vel alicuius peculiaris constitutionis efficacia. Si primo modo tum necesse fuerit monstra, certis tamen temporibus nasci, ut solent cætera maxime circa æquinoctium vernum, & in plantarum generatione & insectorum ortu videmus, quæ quia à cœlo foventur, non possunt alijs temporibus se exerere, & esse desinunt, cum illud tempus abijt: At monstra quovis tempore, quocunque sub cœlo. Non igitur vi cœli communi: Quod si peculiarem constellationem nominant, non nascentur monstra, nisi ea constellatio appareat, quod vix fortasse multis annis semel eveniret. Est enim singulis quidam conventus & concentus, aut dissensus plurium siderum: cum vel opposita sunt, vel se quoquomodo respiciunt: At nascuntur sub varijs schematibus, & certum quiddam afferre non possunt.

Contra Astrologos.

1.

2.

Non igitur videtur consentaneum, quod de cœlo afferunt: Rectius philosophia quæ, proximas in agente, materia, loco, & ipso naturæ motu ac principijs insitas causas eruit.

Septima est in erratis admissis, circa partum, cum aut pressa contrahuntur quædam, aut breviora fiunt, aut extensione longiora. Mentulam scribunt breviorem fieri, si cum editus puer est, umbilici ratio justa non habeatur, & retrahitur supra modum. Vrachū enim & vesicam penemq; cum eo retrahi. De capitibus omnino verum est, si prima cura neglecta sit, longiora remanere, quam oporteat: Maciem autem huc referri posse video: Galenus consulendus de ea, & locus ille, qui est in 2. Aphoris. 28. & lib. 4. de diff. Symptom, & 5. de tuenda sanitate 24. Avicenna 7. 4. tractatu 4. ubi cæteræ omnes expositæ. Qui verò sagis effascinantibus attribuunt, rationes sequuntur, quæ nō ex proprijs ducuntur principijs. Meminit earum Plutarchus 5. Sympos. 7. & Trallian. 2. prob. 50. Aiuntq; tripliciter lædere. Visu per oculos, Tactu, ut in scabie. Halitu, ut in ptbisi, & cum alijs etiam causis videatur, posse maciem existere, tum his attribuunt, si usitatis remedijs non cedat, & causa alia manifestior non posit nominari: quorum neutrum necessarium est:

7. Causa. Externa.

Mentula unde brevior.

Sagæ quid possint. Lædunt tripliciter.

Postremò

8. Causa Dæmonū vis.

Postrema est de Dæmonibus, quibus ortum Pygmæorum & Gigantum attribuerunt nonnulli, & hodie qui Paracelsum sequuntur. Is locus quanquam parum potest exercere, attingendus tamen est: Si unum addiderimus: Quoniam

Problema. An magnitudo rei vitium ei tribuat.

monstra sunt, in quibus aliquid nimis magnum est, quæri possit, num magnitudo rei vitium aliquod revera conciliet. Rei enim bona per se essentia, non videtur augmento posse corrumpi. Manus apprehensionis causa data est, apprehendet firmius, quo maior fuerit. Quod si de parte hoc verum est, quid ni de toto etiam ita pronunciandum, tanto ad usum commodius esse, quo moles eius maior, in mole autem robur? Et si res imminuta mala est, eadem si augeatur, tanto gratior esse debet. Caput parvum de necessitate malum dicebat Galenus, si recte sensit, cur non magnum caput optimum? Non autem ita se res habet.

Omniū certa quantitas

Vbiq; enim natura finibus certis inclusa est, & naturalium rerum iusta ac definita quantitas est, tum in toto, tum partibus, organis autem maxime, quæ tum demum vere agenti instrumenta sunt, & ad obeundas functiones accommoda, cum modum etiam in magnitudine non egrediuntur. At cum moles nimia est, vel infra subsistitur, fungi officio male potest, ex eoq; fit, ut partes non modo detractione, sed etiam appositione vitientur. Motus utrinq; impeditur.

sane non quantocunq; calamo scribere possumus, si vectem aut malum æquaret, sed eo quo manus uti potest. Ex eo certa sit oportet in partibus mensura, quæ vitiari utroq; excessu potest, ut sit in virtute, à cuius mediocritate tam recedit, id quod nimium est ὑπερβολὴ, quam quod in defectu errat.

CAPVT XXII.

De Gigantum ortu triplici: Et an hi à Dæmonibus geniti: Rationes in utramq; collatæ:

DE *Gigantibus ob maximam magnitudinem accuratius quæsitum fuit. Horum ortus triplex statuitur. Alij quidem ut veram accipiunt historiam, ita planè divinam horum faciunt originem, & à Deo ita ut cete in mari, & specierum omnium generatio, ac mirabilia cætera ad omnipotentiæ suæ maiestatem commendandam creari, nec ortum esse eorum simplicem ac communem, ob id neq; perpetuum. Altera est ex fabulis, quam ita Diodorus lib. 4. de fabulosis gestis antiquorũ recensuit. Minervam ferunt permisse Alcidam, feram stupẽdam, ex terra ortam, & antehac quod plurimũ ignem evomeret, pugna insuperabilem. Ea primum in Phrygia apparuit, regionem quandam comburens, quæ huc usq; exusta, Phrygia dicta est. Deinde ad montem Taurum transcendens sylvas continuas usq; ad Indos vastarit:*

Gigantes unde.

Ortus triplex.

1. Divina.

2. Fabulosa.

ſtavit. Poſtmodum per mare in Phœniciam reverſa, ſylvas Libani accendit, perq; Ægyptum in Lybiam profecta, ad loca pervenit occidua. Poſtremo ſylvis circa Ceraunia deſtructis, omniq; incenſa regione, cum homines partim flamma abſumti eſſent, partim timore patriam linquentes, ad remotiora loca diffugerent, Minervam ferunt eam feram necaſſe, pellem pectori circumdediſſe. At vero Alcidæ morte terra commota, Deorum hoſtes Gigantes produxit; Sed fabulæ ſuam ἑρμηνείαν habent. Plurimi trahunt ortum eorum ad Dæmonum concubitus, quod teſtatur & Bonaventura in 4. ſentent. diſtinct. 44. Is cum monſtra negaſſet reſurrectura eſſe, ob id quod in iis non naturæ veritas, ſed error potius ſit: hæc addidit: Si ſunt magnitudine Gigantes in via, in patria non erunt: Si vero quæras unde habuerint ortum, dicendum, quod ſicut narrat Ioſephus, Dæmones incubi aſſumtis corporibus generent, & Dæmon oſtendit mulieri, cum qua concubuit, figuram talem hominis maximi, & ideo tum propter ſeminis multiplicationem, tum propter virtutem animalem generatus fuit homo, miræ magnitudinis, & ille poſtmodum alios generavit. Si quæras quomodo Dæmon generare poßit, cum ſolus homo hominem generet, ad hoc reſpondere poteſt, quod Dæmon prius aſſumta effigie mulieris ſeipſum ſubijcit viro, & ipſum ſe-

3. Gigantes à Diabolis.

Bonaventura.

men susceptum trāsfundit & conservat, sicut novit per aliqua remedia, ne calor & spiritus evanescant: Adjunxit quid sibi de eo videretur: Totum hoc magis conjecturæ est, quam rectæ rationis. Reliquit igitur in dubio, quod & Augustinus fecit lib. 3. de civitate DEI. cap. 4. cum ait, Quæstionem, qua quæratur, utrum prævaricatores angeli, cum filiabus hominum concubētes genuerint Gigantes, grādes ac fortes viros, similem esse ei, qua quæritur, utrum Venus ex Anchisa Æneam, Mars ex Sylvia Romulum gignere potuerit. Nam ne Varronem quidem credidisse, homines ex diis genitos, sed civitatibus utile fuisse, ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & impleat securitate ipsa felicius: At totis gentibus apud Indos certum habitum est. Dubitant patrum plurimi, vel pugnant potius in contrarium. Albertus animalia facere Diabolum posse concedit, sed tribus quidem conditionibus. Primum non quævis, sed imperfecta tantum. 2. Cum motu & successivè. 3. Cum DEI permissione. Tum enim illos ex communi naturæ semine, & certis alicubi latentibus materiis rectè aptatis species eas posse constituere, quæ potestate insint, neq; quicquam admirationis præterea inesse, nisi quod virtus naturæ tam brevi

Conjectura est opinio de dæmonibus.

Augustini sententia.

Diabolus facit animalia.

temporis spacio ita non possit exercere. Sed ut ad priorem sententiam de incubis & succubis spiritibus redeamus, ita ambitiose confidenterq; multi de eorum cum hominibus cõsuetudine loquuntur, ut non audiuisse, sed interfuisse videantur. Digna etiam visa quæstio, quæ coram Sigismundo Imperatore agitaretur: an nasci aliquid ex spiritibus possit.

De Spirituũ natura theoria difficilima.

Est de his omnino post Diuinæ majestatis mysterium, tractatio omnium difficilima, & obscurissima, cum non satis pateat, quæ eorum natura sit, differentia, actiones, agendi modus, corporei an incorporei, quod pati aut afficere omnino possint. Vnus est ex 6. cap. Genes. qui favere ijs videatur.

Locus Genesis de gigantibus.

Vbi ita scriptum est: Et fuit cum cœpissent homines multiplicari in superficie terræ, filiæq; natæ essent eis, tum viderunt filij DEI filias hominum, quod pulcræ essent, & acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Gigantes autem fuerunt in terra diebus illis, & postquam ingressi sunt Filij DEI ad filias hominum, genuerunt eis. Isti sunt potentes, qui à seculo fuerunt viri nominis. Mirifica verba, in quibus expediendis non levis varietas: duo ambigua primum. Quid per filios Dei & filias hominum accipiendum. Quid deinde ad eas ingredi.

Tres sententiæ de filijs Dei.

De priore tres sententiæ: Filios DEI aut Dæmones esse, aut patrum & patriarcharum progeniem, aut principes potentes. Spiritus vocari

aliculi

alicubi filios DEI *verba in Iobo arguunt: Advenisse Satanam etiam cum filiis Dei, ut sisterent se coram Iehova. Negat Chrysostomus malos spiritus ullibi* DEI, *filios appellari. sed hostes & iræ filios.* Librum verò aut *abijciunt, ut apocryphum, aut interpretantur mysticè, ut ἀποκάλυψις quædam in ijs lateat. Nec generationem etiam angelis competere, cum scriptum sit, nos in altera vita ijs futuros similes, cum generare & nubere desinemus. Ergo filij* DEI *non hi, sed patriarcharū liberi seu progenies Lothi, in qua sola Dei legitimus cultus tum quidem conservabatur, reliqua humani generis parte à vero cultu alienata. Sunt autem filij Dei, qui Deum colunt: Ita mundus quasi in duas familias fuerit distinctus, in religiosam & profanam. Hi igitur filij Dei ex profanis gentibus formosas sibi uxores eligebant, atq; ita non sui generis, sed externi introducentes consuetudinem Dei interdicto adversam. Quippe oportebat sacrum eum ordinem separari à desperatis cæteris, & degenere profanorum turba. Tertia sententia Chaldæorum est, qui ita existimant magnates intelligi per filios Dei, qui se plebeis conjugibus commiscerent, ut sensus sit: Magnorum heroum & principum liberi, obliti dignatis & excellentiæ suæ, ad humilium hominum consuetudinem se conferebant. Dicuntur autem filij Dei, qui cum imperio sunt, & gubernando præsunt alijs, quod*

Spiritus non generant.

diuinum officium est, ex quo Dij etiam vocantur principes. Atq; de primo quidem dissensio est eiusmodi.

Generatio cur ijs competat. *Maior cura in altero est, aut curiositas potius. Possintnè spiritus, ut homines & animantia, quicquam in alio generare, aut ex alio concipere. Nescio quid humano captu maius inest. Nam si immateriales sunt & simplices, quomodo is motus ijs competit, qui corporum est, ac ne horum quidem omnium? Generant enim tantum corpora: Assumere autem aliunde corpus fortasse facilè possunt, & celeriter & commode spiritus isti, & quidni possunt, cum sol ex fimeto ociosum muris corpus efformet? At potentiores istæ intelligentiæ sunt, quoniam superiores. Ex uno ne faciant elemento condensato & colorato, an ex pluribus, nihil ad hunc locum attinet, sed si assumunt: Visi enim sunt Dæmones, & auditi alicubi frequentius: an generandi gratia id facere eos credibile sit? Quæ verò gignendi libido, quibus propagatio per generationem nulla necessaria est. Sicut cæteris speciebus ob id concessa est? Et si generant, num ex suo vel alieno? At semen non habent, neq; enim verum corpus. Ex alio verò vel non suscipere, vel virtutum salvam in excepto retinere nequeunt. Quod si etiam eiusmodi esset illis potestas, jam mundum universum monstris plenum liceret intueri, tantus est eorum ad nocendum generi hominum ardor.*

dor. Verba verò etiam non atteſtantur, quibus hoc tantum dicitur, non natos ex mirifica aliqua conſuetudine Gigantes, ſed fuiſſe iis temporibus tantum. Eos verò qualeſcunq; fuerint, ingreſſos ad filias hominum genuiſſe. Nec de mole tantum corporis, ſed facinoribus, & quaſi magnæ famæ latronibus interpretari quis poſſit: Et ne multa non generare eos inde ratiocinari licet, quod unus eſt ex ordinaria lege modus propagandi homines; neq; exempla ulla ab hoc diverſa uſpiam, niſi primi hominis, & Salvatoris noſtri. Hæc ſunt ex una parte: operoſiora ſunt, quæ tuentur alteram: Primum quidem quicquam ἀσώματον eſſe præter Deum conſtanter negant, Auguſtinus, Apulejus, et Platonici omnes. Spiritus igitur & habere corpora & circa corpora verſari. Sic definiebat Apuleius Dæmones genere animalia eſſe, corpore aërea, ingenio rationalia, animo paſſiva, tempore æterna in lib. de dogmate Platonis: Tres enim animantium eſſe ſpecies: Primam ex natura ignis, eiusmodi eſſe ſolem & lunam, ceteraſq; ſyderum ſtellas. Alteram ex aërea qualitate, ut Dæmonum. Tertiam, ex aqua terraq; coaleſcere, & mortale genus corporum ex eo dividi in terrenum & terreſtre: Terrena arbores & fruges, quæ humi fixæ vitam trahunt. Terreſtria, quæ alit & ſuſtentat tellus. In libro autem de Dæmonio Socratis vocat Dæmonum corpora

Vnus eſt propagandi hominis modus.

Nihil præter Deum ἀσώματον.

Definitio Dæmonũ.

Tres ſpecies animantium.

Qualia Dæmonum corpora.

Qualia dæmonum corpora. pora multo minus concreta & subtiliora, ex purissimo aëris liquido & sereno alimento coalita, non temere visibilia. Quod si quando igitur spiritus dicuntur incorporei, intelligendum non esse crassis corporibus similes, & in collatione adhuc quasi sine corpore, quod aspectum tactumq; fugiant. Quod si etiam patiuntur spiritus, & igne torquentur, quomodo vacant corpore? Quæ si vera sunt, & affici & afficere possunt, generare & concipere. Atq; ut non concedatur in se esse hos vexatores nostros corporeos, at saltem, quia per omnem terram vagantur, & hominibus insidiantur, assumere posse dari debet. Ac qualescunq; sint, manifestè tamen corporibus se insinuant, occulte in viscera abdunt, valetudinem vitiant, mentes furoribus quatiunt, morbos aliocient multis modis. Testantur id & nomina

Esse succubos & incubos. incuborum & succuborum Dæmonum. Testantur multorum tùm virorum tùm mulierum libera extortaq; quæstionibus confessiones de familiari illorum secum consuetudine, & convictu, quales sunt, qui pacta cum ijs ineunt, neglecto fœdere, quod semel cum Deo initum est. Augustinus utrumq; non improbavit lib. 15. de C. D. cap. 23. & lib. 3. cap. 4. Et esse inter Diabolos incubos & succubos. Et posse non minus, quàm angelos formas repræsentare varias corpora ad usum, easque nequitias, quas compatant,

sunt, assumere, & cum velint eadem deponere. Tanto autem minus incredibile est, cum modus dari posit, quo id efficiant. Si corporei ipsi non sunt, (sinamus enim jam hoc dubium esse,) essingere sibi ex aëre circumfluo & corpusculis tenuibus in eo volantibus possunt, sive verè id fiat, sive præstigijs sensus ludant tantum, & corporis speciem repræsentent, in eoq; semen hominum aliunde copiosum, calidissimum, spirituosissimum, crassissimum excipere ab ijs, cum quibus consuescunt, maximè tamen à calidissimis & humidissimis, robustissimisq; corporibus, quale quia copiosum & temperatum ad molem aptissimum est, & conservatum, ne vis plastica exhalet rursus celerrimè communicare incumbentes corporibus, quæ ad id sibi elegerunt, imaginationi etiam, qua venerea, multum ducentur, voluptate etiam insigni excitata, objecta specie tali, quæ ad rem esset necessaria. Quid & quomodo agant illi.

Quin & astrorum positus congressusq; observari ab ipsis, ut à cœlo ad generationem sit adjumentum. Confirmat idem malitia insignis Gigantum, ferocia, superbia, nequitia, & ad omne vitiorum genus mira quædam propensio, inserente diabolo principijs eorum, non modo roboris, sed scelerum seminibus, cum animi mores corporis κρᾶσιν sequantur: aut Deo etiam omnem gratiam Gigantum natura.

tiam subtrahente ÿs, qui sic orti sunt. Itaq; saluis etiam naturalis Philosophiæ principÿs, quid prohibet opinari aliquem esse modum, quo hi invisibiles spiritus hominum insinuantes se corporibus, sed mole inusitatorum generationem, quibus causæ affectionum notißimæ sunt, applicandiq; modus, posse expedire, cujus conatus Exempla multa sunt, & habet Cardanus, quot possunt satis esse accipienti hæc cognoscere. Et quorun-
Cambiones. *dam opinio eos quos cambiones pueros, hoc est, supposititios (Nam cambio est commutare μετ᾽ἐλάττομαι) qui sunt Germanis* & Wechselbelg & Kültropff, *ex hoc commercio constare, quorum & capita supra modum vasta sunt, & forma ipsa turpißima, voracitas, & trahendi lactis insatiabilis aviditas (Nam plerisq; vix cum matre quinq; nutrices satis sunt) clamor perpetuus, sordes & alia in cæteris inusitata, de quibus est in Iurisconsultorum libris aliquid, qui & ipsi tamen rem in dubio reliquerunt. Placuit alÿs id genus monstri ex conceptu fluentibus menstruis & ingerentibus sese excrementis omnibus puro semini, & contaminantibus massam, motumq; naturæ impedientibus, perinde ut quædam alia monstra deducere. Sed ut ad Gigantes redeamus, nunquam cordatis ea sententia placuit, & quæ Psellus Platoniciq; afferunt, stomachum etiam moverunt. Quanquam non ignoro*

videri

videri, etiam Eusebium sensisse & Iosephum, & Lactantium lib. 2, c. 15. & Iustinum, nonnullosq; alios. Incertiora enim omninò sunt, quam quæ ex cœteris naturæ principijs, & communi gignendi modo dici ad probabilitatem possunt. Si homines sunt, ut habentur, & à primo homine orti, ex iisdem, quibus cœteri constituentur, & non possunt aliter. In quo autem à communi natura hominum differunt, potest in agentis & materiæ constitutione causam habere. Quod enim in plantis evenit, ut pro cœli clementia, soliq; ubertate cum plurimum optimi alimenti affluit in tantam magnitudinem excrescant, quanta multum commune superat. Sic à magnis parentibus & ubertate materiæ seminalis Gigantes provenisse, ne eos Deos faciamus, ex dijs aut dæmonibus natos, ut hoc perpetuum sit, quantumcunq; sit in magnitudine excessus, à materia non esse recedendum, argumento etiam hoc, quod è proceris parentibus primuli nati sunt, ob principiorum in ortu defectiones, aut impedimenta alia. Samogithij per vices & nanos & proceros gignunt. Gigantum ortus qualis.

Fortasse nihil est necesse ita confugere ad dæmones. Nam si illi olim deunculi generarunt, cur non & hodie? At nascuntur nulli. An mortui illi: An effœti non possunt amplius generare, aut non habent subsidia, quæ olim.

Quod

Quod si generare illis concessum est, & obstrepere ordini divino, quid tandem prohibebit, ne humanum genus aut deleant prorsus, aut sua generatione pro arbitrio iniquißimè polluant? Ioculare igitur hoc proscenium generationis non agnoscimus, & Arabiæ dæmones suos, & opiniones suas, & mercaturam hanc relinquimus.

CAPUT XXIII.

De Pygmæis: Eorum ortus ex doctrina Aristotelis: sententia impia de his Paracelsi exposita, & abiecta.

Pygmæi unde.

NON *minus mirifica fabula est de Pygmæis, de quibus supra retulimus. Ex Aristotele de iis hæc pauca, & securißima quidem eius disquisitio ex 10. sect. probl. 14. Cur, inquit, homines nana statura proveniunt? vel potius quærendum in universum, cur in animantium genere alia parvo, alia magno constant corpore.*

Causæ duæ.

Causa duplex sanè reddi potest. Aut enim locus, aut alimentum id facit. Locus, si est angustus, Alimentum, si exiguum. Quod etiam partu jam edito nonnulli efficere conantur, ut qui catellos in alveolis occlusos educant. Quibus itaq; locus causa est, hi pumiliones redduntur. Sunt enim latitudine quidem profunditateq; pro magnitudine suorum

suorum parentum, breves tamen omninò, cujus rei causa est, quod rectæ lineæ in curvas se flectunt. Igitur quomodo tabernarum picturæ quamvis breves, tamen distentæ in latitudinem profunditatemq; cernuntur, in pumiliones quoq; formari ex loci angustia incidit. At vero, qui ob alimenti inopiam perfici non potuerint, hos membris quoq; puerilibus constare videmus. Fitq; ut aliqui, quamvis breves sint, admodum modicè tamen coagmentatas omnes sui corporis partes habeant, ut melitenses catelli. Ratio enim, quod non ut locus, sic natura ipsum opus suum efficere soleat. Benè hæc Philosophus, & cum optima ratione, suffragante etiam consensu in multis aliis φυρροςδ̓ϛεις. *Ova quæ geminos vitellos habent, unum semper maiorem habent, alium minorem. Hoc quidem ab alimento. Et quæ nimis teneræ concipiunt, fœtus etiam breviores edunt. Sufficiebat hæc sanior sententia: sed visum est subycere aliam, non quidem recitatione aut cognitione dignam (nihil enim stultius ea aut magis impium & intolerabile, & quavis proscriptione dignum) verum quia passim in libellis circumfertur vulgari etiã sermone, placuit latinè ex teutonico fideliter reddere, & cum veritate conferre. Igitur Paracelsus in lib. cui titulus est de natura rerum ita loquitur: Porro & homunculorum generatio nullo modo prætereunda est. Est enim vera*

Paracelsus quid de Pygmæis.

vera aliqua, quamvis ad hæc usq; tempora inter cœtera mysteria & res abditas latuerit, neq; exigua vel dubitatio vel quæstio inter veteres nõnullos Philosophos extitit; poßitne natura aut ars extra muliebrem uterum aliquo pacto generare hominem. Ego verò ad quæsitum ita respondeo. Neq; spargiricæ arti, neq; naturæ id esse contrarium, sed poßibilem rem factu. Quomodo autem id fieri poßit exponam: sperma viri in cucurbitam includatur, vel in ventre equino summo putredinis gradu, putrefiet dies quadraginta, aut ita diu, dum vitam accipiat, moveatur, & agitet sese, quod observari facilè potest. Cum id tempus hominis similitudinem aliquatenus repræsentabit, pellucidam tamen erit citra corpus. Postea arcano humani sanguinis cautè nutriri oportet usq; ad quadragesimam hebdomadam, & inæquabili ventris equini calore conservare, inde verus & vivus fœtus existit, omnibus membris perfectus, perinde ut cœteri à mulieribus nati, sed breviori staturæ, eosq; homunculos nominamus, neq; minore cura & diligentia postmodum, atq; reliqui infantes, donec ad iustam ætatem pervenerit, alendus est. Hoc profanißimi hominis impium mendacium est. quod ut vendibilius faciat, hanc hederam prætendit: Hoc vero nimirum est unum ex summis & maximis arcanis, quæ Deus mortalibus hominibus patefecit. Est enim miraculum & magna-

An ars extra uterum poßit producere homines.

magnale Dei, & arcanum arcanorum, & erit arcanum usq; ad postrema tempora, cum nihil erit occultum, sed patefient omnia. Et quanquam hoc cæteris hominibus secundum naturam ortis hactenus ignotum fuit, non latuit tamen, sylvestres & nymphas & Gigantes, sed diu notum fuit, unde & sic orti sunt. Nam ex his homunculis adultis fiunt Gigantes & Pygmæi, & homines mirifici Heroës, qui ad magnas res gerendas nati sunt, feliciter hostes superant, omnia occultissima sciunt, quæ scire reliqui non possunt. Nam ars illis vitam tribuit, ars corpus, carnem, ossa & sanguinem communicat; arte deniq; nascuntur. Itaq; ars illis ingeneratur, aut connascitur potius, à nemine discere necesse habent, sed alij ab alijs discunt, quoniam ab arte producti, ut rosæ vel flos in hortis, & nominantur sylvarum & Nympharum liberi, propterea quod factis & viribus non hominibus sed spiritibus similes sint. Hæc ille & quædam alia; Otio videtur abuti, qui hæc persequatur, aut excutiat ulterius, quod deniq; est sine disquisitione manifestum. Reperias tamen, quibus hæc non omnino displiceant, sunt, quibus etiam suave est saltem cognoscere, nos his delirijs hæc opponimus? 1. Non convenire ad ordinem, quem ad propagationem autor in hominum genere sapienter constituit. 2. Ex uno etiam semine hominem non nasci posse. 1. de gen. 18. 3. Non etiam extra

Contra Paracelsi sententiam

extra matricem suam. 4. Non ab alio calore fovente & ministrante sine anima: in paucis autem verbis ipsis, quam crebræ contradictiones? Arcanum hoc dicit nunc primum revelatum: paulò post, fuisse jam pridem notum nymphis: Quid etiam hoc? differre eos tantum à cæteris statura brevitate: Et tamen ex iisdem Gigantes fieri: Mihi verò omninò videtur ex fabulis hoc advocasse, qualis in Luciano non iniucundior lectu, ut opinor, quam sunt hæc ipsius. Genus quoddam hominis est apud illos, inquit Lucianus, qui dicuntur arborei, idq́; hoc modo nascitur: Testiculum hominis præcidentes, in terram plantantium modo defodiunt: inde autem exoritur arbor carnea maxima, ut Psallus: Ramos quidem habet & frondes, fructus verò cubitales glandes. Vbi autem ea maturè fuerint, decerptas cudunt. Atq; in homines effingunt: Pudenda habent apposititia, quidam eburnea, pauperes autem lignea, quibus creant. Postquam autem senuerit aliquis, non moritur, sed ut fumus solutus evanescit in aërem. Persuaserit hæc Lucianus æquè facile fortassis Lectorem, quam hic sua: certe minus offendit, quoniam falsa ut falsa ad laxamentum fessis parat; hic falsissima non pro veris modo, sed etiam mysterijs.

Fabulosus hominum ortus.

CA-

CAPVT XXIIII.

Monstra in numero, quæ, quotuplicia: Exempla illorum vetera, nova, cornuti: Galeati: Quæstiones tres: unde fœtuum pluralitas: unde connati: unde abundantia, & defectus: an canum fœtus cœci monstra.

ANimal non ut lapides & metalla similare ens est, sed pluribus & differentibus constat partibus, quæ omnes cum adsunt, perfectum partibus dicitur. Latini rotundum eleganter dicebant, quoniam ea figura perfectißima, quomodo bonum virum suum describens Virgilius ait: Mūdi instar habens teres atq; rotūdus. Externæ ne quid labis perlevia sidat. Et Varro: Quomodo potest esse rotundus sine capite, sine præputio? Id igitur natura agit, aut Deus potius, qui ut est Sapientiæ 17. omnia disposuit in numero, mensura & pondere. Itaq; ut in definiendo nihil aut superfluum decet esse, aut diminutum, ut orationis ac rei æqualitas sit, ita in animantium corporibus numerus partium definitus est, quem plerunq; aut semper sibi relicta sapiens ac justa illa Oeconomia natura observat, membra ad usus exigentiam accommodans, duos oculos homini, totidem manus & pedes fingit, alijs plures, ut sunt multipeda, centipeda, millipeda, alijs nullos ut in apodi-

Animal non est ens similare.

Rotundus.

Omnia in numero, mensura pondere.

Interdum non pars secundum naturam, sed quiddam præter naturam accedit, quæ potius non pars dicenda est, ut strumæ, tubera, cornua. Natus enim iam puer, ut dicetur, cornutus. Nonnunquam nihil eiusmodi superest, sed ex contrarijs causis abest aliquid, ut cum unus tantum oculus in corpore, unus testiculus, quod cum fit, totum non est, cuicunque enim quippiam deest, id quicquid fuerit, totum non est. 3. Physic. οὗ ἐστι ἀπεσία ἔξω, οὐ πᾶν ὅτι ἂν ἀπῇ *totumque & perfectum aut idem sunt, aut finitima. Partium; quæ desunt, aliæ quidem internæ sunt, aliæ externæ. Internæ, ut ubi unus ren tantum. Externæ, ut nares.*

Quæ partes desint.

Vtræque autem necessariæ sunt, aut minus necessariæ. Necessarias dico, quæ cum desunt, vivere non licet; usque defectus verè monstra facit. Nonnullæ cum absunt, neque vitæ usum tollunt, neque monstrosum reddunt. Averrhoës ea, quæ ad animal referuntur, triplicia constituit. Primum quædam ex necessitate sunt propter finem, ut: oculus. Debet enim videre animal. Secundo, ut res melius habeat. Ita necessarij duo oculi, absque quibus vivere quidem posset, sed minus commodè. Tertiò quædam necessitatem materiæ tantum sequuntur, ut pili. Quæ maximæ ad vitam serviunt, ea cum periculo semper desunt. Rursus quæ desunt, alia ex toto desunt, ut ren aliter: Quædam ex

parti

parte tantum, ut jecur dimidium 4. de gener. 4. sine lingua vivere possunt homines, quibus resecta est ob perjuria & blasphemias. Possunt & dentes artificiosi fieri, ut loqui possimus. Quin & ligneum instrumentum linguæ loco appositum ad sermonem prodest, ut carnea lingua, quod à Pareo est descriptum, Mancum tamen erit, quod ea parte caret, cuius eget, aut omnino, aut cum opus erat. Vlpianus in ædilitio edicto in ff. sanum ait videri, qui unum testiculum habeat, quoniam is generare tamen possit, atq, ita si actioni non incommodat numerus, morbus non erit, in quo semper actio læditur.

Sine lingua vivere licet.

Ligneum instrumentum pro lingua.

Sanus qui uno testiculo.

Eadem sententia illi pronunciarunt impetiginosum non esse morbosum, si eo membro, ubi impetigo esset, æquè rectè utatur. Ego an id fieri possit, dubito. Cum vel levissima scabies usum manus deteriorem reddat. Spadones tamen morbosos faciunt. Quin & Sabinus morbum definivit habitum cujuscunq, corporis contra naturam, qui usum eius ad id facit deteriorem, cuius causa nobis natura eius corporis sanitatem dedit: idq, alias in toto, alias in parte fieri. Quicquid igitur usum ministeriúmve hominis impediret, id redhibitioni locum dare consulebant. Nos hic unde quippiam monstrosum non morbidum tantum dicatur, quærimus, quod tum fit, cum pars necessaria abest, aut si adsit, usum non præstet, quem debet.

Morbus quid Sabino.

Scaliger hominem vidit, cui cornu in dorso excreverat, eumq; in Ligurum triremi sæpè fuisse, quod antea legerat tantum in Aboali & Abumeron. Memorabile apud Amatum Lusitanum hoc, curationum medicinalium cent. 1. curat. 51. Puer cum corniculo in capite non dolebat, nec quicquam noxæ ex eo percipiebat. Grandior verò factus puer, cornu quoq; crevit, quod omninò deponendum ex capite puer contendebat, & à patre efflagitabat, quod pueri illum cornutum appellarent. Accersito chirurgo plus justo audace, primo partem superiorem præcidit, ex qua incisione nullum ferè dolorem puer sensit. Chirurgus verò credens ita eventurum, si radicitus corniculum resecaret, opus aggreditur, sed infelici successu: Intrà paucas enim horas interiit, quoniam illud prædurum erat in parte inferiore conflatum ex cranio, & medullari cerebri substantia: sed & ante annos duodecim natum monstrum quinq; cornibus in capite, qualia arietes solent habere, cum carnosa appendice longa à tergo dependente. Moisen etiam cornutum fuisse vulgò creditur, sed à cincinnis ortum videtur, qualibus delectati olim & Armeniæ sacerdotes, alicubi Crobyli vocantur. Iuvenali cornua crinium plexus in acutum intorti. Huc referri poterant, qui cum vittis nascuntur, seu capitis Galea, qualem habuisse legitur Macrini Imperatoris filium diadu-

Puer cornutus.

Moises cur cornutus dicatur.

dumentum formosissimus, ita dictus, quod nascens diadema capiti adnatum habuerit, adeò validè, ut avelli non potuerit nervis etiam intercedentibus. Hunc diadematum puerum vulgò vocarunt. Sed quæ propriè galea capitis est, si alterius cujusdam membranæ rudimentum est, ex superabundante seminis excremento, à virtute plastica validiore efformata & fusa in circumferentiam, nihil mirificum habet. Id sæpè tamen periculo ob suffocationem non caret, & quod secum non excretum credit interdum fœtus, & inflantur intus. Vitta superstitiosè advocatis ad felicitatem, & successus in obtinendis causis venditur. Quidam sic editus, nullo telo, ne sclopo quidem vulnerari potuisse scribitur. Legitur & de hydra septicipite, & multa mentio in autoribus, etiam Seneca. De tricorpore Herilo in 8. Æneid. Præ cæteris hoc insigne est in Pessulano sectum cadaver virile anno 1 5 6 5. in quo lien duplex repertus, altero incumbente alteri. Cor geminum annotavit in quodam etiam Cœlius. Sine oculis duo pueri nati Arimini. Arimaspi unum in media fronte, in Arabiæ locis monstra tribus oculis. Ore carentes agnoscit Plinius l. 7. c. 2. & 30. Item in 5. habet populos in Æthiopia capite carentes & os & oculi in pectore. Bleptæ & Blemmies. Nostra memoria agnus triceps natus. Anconitana mulier monstrum peperit totum hirsutum &

Capitis galea.

Galeæ an advocatis prosint.

Monstra in numero varia.

 pilo-

pilosum quatuor oculis, duabus naribus: Ludovicus Vngariæ rex sine extrema cute editus, ex quo omen natum est, significari clades eas, quibus regno Christiano ornatus & potentia amissa est. Esse nonnullos sex digitis, & appellatio ostendit, & exempla sunt in medio. Gigas quidem in sacris senos habuit in manibus & pedibus digitos, ut essent in toto viginti quatuor. M. Curatius legitur duas habuisse filias sedigitas. Cœlius de Francisco Philelpho scribit scire se, habuisse illum testiculos tres. Hercules triplicem ordinem dentium, & observavit quædam Valerius l. 1. c. 6. & Plinius lib. 11. c. 38. & Cœlius lib. 4. c. 3. Hi etiam de quibusdam, quibus os continuum in ore fuit, & in virgine nobili Philippus Melanthon. Columbus vidit, quæ utero careret. Sunt & barbatæ mulieres. Ad defectum trabi potest, si quibus musculus insignis desit, qualis est, quem in manibus furum ac latronum multorum, qui ita inclaruissent abesse Columbus observavit.

Philelphꝰ tres testiculos habuit.

Mulier sine utero.

Character furum in manibus.

Nam & regi cuidam furum primum interiorem musculum manus absuisse, etiamsi tendo inesset, natura signante fure sub primum ortum ipsum. variant corpora in vertebris, suturis, aliisq; non paucis, sed non omnia faciunt, ut quid monstrum dicatur. Eorum quæ enumeravimus causas investigemus: Antiqui sicut figuræ similitudinem, ita numerum deducebant ex eo, quod semen

semen ab omnibus partibus flueret, effingerenturq́ membra, à quibus esset seminis pars decisa, à mutilo autem generante non potest ab omnibus. Deesse igitur, id membrum, quod in generante abfuerit: Nasciq́ inde claudos à claudis. Ex hoc seminis à toto defluxu, causam reperire potuerunt defectus, abundantiæ non item, nisi à similibus monstris editi. Infirmat etiam eorum opinionem, quod ab integris mutili gignuntur, & à mutilis integri. Igitur etsi spermati omnium partium principium inest, non est tamen necesse fieri, & talem ἀπορροὴν, *qualem illi credebant: Quoniam cum decedit pars à corpore, non ob id quicquam animæ etiam abscedit, cujus vi fit generatio, quemadmodum eadem est anima, neq́ ei accedit quippiam, cum ex allabente nutrimento dilatat sese corpus, & fit amplius, atq́ in universum, sive adjiciatur quippiam corpori, sive adimatur, anima & eadem est etiam in mutilo integra, non integra in integro, mutila in mutilo. Aliunde igitur hæc petamus. De tribus autem hic distinctè. Primum quidem unde fœtuum pluralitas. Deinde unde plures connati & concrescentes. Tertiò cur abundet aut desit aliquid in partibus.*

Causæ monstrorū in numero.

Causæ à defluxu totius falsæ.

Tres quæstiones.

De primo non una sententia est: Placuit plures fœtus etiam uno initu gigni & pluribus, quod

I. Vnde fœtus plures simul.

quod posterius superfœdationem vocarunt. Nam illud de uteri loculis, in quos collapsum semen divisum in multa distinguatur, anatomicorum diligentia corruit. De uno initu rationes sunt, quod suspicari licet, verè gemellos, quoniam simul eduntur absoluti & uno partus conatu, etiam conceptos simul fuisse. Nam si partus idem, cur non & conceptio? Quod si diversi in utero sunt, & multum diversis intervallis in superfœtatione concepti, si simul cum primo excluduntur, mortui sunt: sin minus, in suam periodum reservantur. Huc faciunt & verba Hippocratis libro de natura pueri. Gemelli fiunt uno coitu. Et ubi contigerit genituram findi, & in duos sinus pervenire, & uteri genituram susceperint, & sinus ad alterum non hiaverit, nec dimiserit, segregatur in utroq; & pelliculas induit. Constat autem hoc testimonio: Est canis, sus & alia animalia, quæ ab uno coitu pariũt duo, & plura, & unumquodq; animal in utero, in sinu ac pellicula existit, atq; hæc ipsi fieri videmus, & hæc omnia eadem die ut plurimum pariunt.

Gemelli et plures ab uno initu.

2. Alterum est, quod à conceptu in prægnantibus solidius os matricis plerunq; ita conclusum est, ut non hiet amplius, aut aditus novo pateat: quod ut crederent medici, multa iis φαινόμενα, interq; ea retentio mensium persuaserunt. Unde & superfœtatio rarior est partu gemellorum, & nos

non etiam omnium animalium, sed equæ ac mulieris tantum. Nam & hæc ἐπικυΐσκεται. In canibus autem multiq; alijs ex una consuetudine plures concipi, ut certum creditur, Nec Aristoteles planè Empedoclem repudiavit; cum in seminalis materiæ copiã πολυγονίαν referret. Sed abundantiam non satis est dicere; nisi distinctio adijciatur. Nam ex abundante potest magnus fieri fœtus, ut multiplex fiat, non item, si continuctum sit. Videtur autem idipsum referendum in efficacitatem naturamq; seminis; & gignentium fœcunditatem, quæ in quibus sunt, multiplicitas fœtuum solet consequi. Quomodo ex optimo hordei grano duorum triumve ordinum spicæ enascuntur loco inprimũ fertili. Quod si igitur semen non modo fœcundum in se, sed & fertile sit, ex uno plura fieri poßibile est, cujus signum, quod & raris hoc evenit è multis; & quibus accidit, ij & ea robustißimæ, sanißimæ & fœcundißimæ. Planè id videtur voluisse etiam Philosophus lib. 4. de gener. anim. cap. 4. Causa, inquit, ut plures conceptus contrahuntur, nec unum continuum ex cunctis consumetur in multiparis animalibus, hæc est, quod non ex quantolibet conceptus incoëtur, sed si aut parum aut multum admodum sit, gigni non poterit: præscripta enim certaq; est virtus agentis & patientis. Quod si aliquando plus accesserit, tum gemini nascentur, ex quo fit;

ut hæc

ut hæc portenta potius judicentur, quoniam præter solitum, & quod magna ex parte agatur, proveniat. Disertius autem ibidem: & in Exemplo se aperuit fluminum: Partium supervacãearum præter naturam eadem causa est, quæ geminorum generationis. Iam enim in conceptu causa existit, videlicet, si plus materiæ consistit, quàm pro ipsius natura partus sit: Sic enim accidit, ut vel pari major quam justum sit, efficiatur, verbi gratia, digitus, manus aut pes, aut aliud ex cæteris membris, vel fisso conceptu plures reddantur, quomodo in fluvijs vertigines geminantur. Fit enim ibi, ut humor qui fertur, & profluens movetur, si in aliquid offenderit, seceiur, & ex una in duas evadat constitutiones, quæ eundem habent motum. Hoc eodem modo in conceptibus evenit. Adnascuntur partes illæ vacantes maximè quidem propinquæ: sed aliquando etiam remotæ propter conceptus motionem, quanquam præcipuè, quod materiæ ibi exuperantia redditur, quo tandem decubuit. Formam verò unde superfluit, inde recipit.

Contra causam depositam.

Quod verò huic sententiæ objicitur. Non videri verisimile semen dividi, neq; rationem dari posse, cur quandoq; dividatur tantum: ἐπιλέχεσαι autem esse τὸν πλάσμον simplicem & continuum quiddam, non satis est ad infringendam eam: Nam copiosum in gignentis corpore semen cum sit, dividitur tamen in partes, & emit-

titur per intervalla virtutis pars, quæ intus unita fuit: Vna est in semine anima, quam dividi ad materiæ divisionem nihil impedit dicere, modo materialem animam cum accipimus, aut eum potius spiritum, qui formandi aut est ipse autor, aut proximum organum. Et est tota in parte etiam sua. Iuvat plantas intueri, in quarum ramis multæ taleæ à quibus singulis nova fit, una tamen in omnibus anima. Materialem autem esse eam virtutem, quæ deciditur, affectiones eæ docent, quæ intemperantem seminis effusionem consequuntur, quo ex incommodo interiisse certum est plurimos. Quod vero gemelli interdum nascuntur diversi sexus, ut mas sit alter, alter fœmella, qui in diversis singuli membranis separatim continentur, sicut in una continentur, si duo sint unius sexus, causa in divisione seminis posita videri potest: Nam non quælibet decisi seminis pars fœtui ad fœtum est, & aliquando ob id fœtus cum mola junctus est, & quæ portio plus materiæ & virtutis in se habet, ea pro masculo est, quæ minus, pro fœmina. Ita sensit & Hippocrates sub finem libri de natura pueri. Nam & in muliere & in viro, & in omni animali, in singulis, & debilior & fortior genitura inest. Addit & uteri sinum fortiorem & crassiorem esse pro masculis, humidiorem & debiliorem pro fœminis, pro utriusq; verò masculis utrumq; sinum fortiorem. Hæc una est plurium

Virtus in seminali materia partibilis.

Vnde gemelli diversi sexus.

fœta-

fœtuum origo, neq; modo gemellorum, sed interdum numerosioris multitudinis, ut ex superioribus patet, & scribit Aristoteles, mulierem quandam viginti liberos quatuor partubus enixam, ex ijsq; maximam partem adoleviſſe: ui temerè neget Ptolomæus plures tribus fœminam parere non poſſe, ut superſint: qui & hoc tamen, ut alia omnia, aſtris ſuis tribuit. Naſci enim plures propter commixtiones, cùm duobus aut tribus locis inſignibus ſunt ſigna bicorporea, aut duo pluresve planetæ conjuncti ſunt. Quod ſi utrumq; concurrat, ut bicorporea ſigna ſint in locis maximè inſignibus, & plures planetæ ea aſpiciant, naſci plures duobus. Quin & numerum in iiſdem ſunt à planeta dominante: ſexum verò ex Planetis ſolem, lunam, aut horoſcopum intuentibus. Tres mares idem Saturno, Iovi, Marti. tres femellas, qualis eſt charitum generatio, Veneri, Lunæ, Mercurio. Sed hæc ita parum autoritatis habent apud Philoſophos, ut ne mentione quidem digna judicent, & certè non attigit Ariſtoteles verbulo. Alterum eſt, unde plures exiſtunt fœtus, ſuperfœtatio. Ea eſt ἐπικύησις altera in jam gravida muliere, conceptio, & ἐπικύημα fœtus alter poſt primum conceptus alio initu. Accidit hoc quidem non omnibus in animantium genere, ſed mulieri tantum & equis juxta Ariſtotelem, cum cætora ingravidata mares non patiantur. Sed in

Mulier 4. partubus enixa fœtus. 20.

Ptolomæus de pluribus fœtibus.

Plures fœtus à superfœtatione.

In quibus ea fit.

matri-

matribus etiam rarò fit hoc ipsum, quod probabile sit evenire iis tantum, quibus os matricis, quæ jam continet, malè clausum est. Interdum quidem quoniam uterus est natura humidior, laxiorq́, interdum si Venere irritatus uterus in motu, voluptate adjuvante, hiatum, sese recludit ad novi seminis admißionem. Hic uteri descensus, & apertio in propensionibus ad Venerem in nonnullis finit superfœtare. Sed non est uniusmodi hæc superfœtatio. Nam si alter coitus proximè à priore accesßit, enutrire poßunt, quod superfœtatum est. Iam enim id evenisse compertum est. 4. de gener. 5. Sed si jam aucto priore conceptu coitus adhibetur, superfœtari quidem potest, sed rarius, quoniam uterus magna ex parte se comprimat: si tamen accidit, ut superfœtetur, quod ipsum factum est, perfici non potest, sed conceptus abiguntur similes iis, quos abortus vocamus. Vt enim in uniparo genere omne excrementum absumitur in id, quod præcesserit ob corporis magnitudinem, sic in illis fieri solet, & ut spacii tantum sit in utero pro altero, & excrementi, non tamen tantum ut alterum etiam poßit alere. Sed nec uterus occupatus in fovendo uno, potest etiam alteri satis esse. De superfœtatione autem liber est inter Hippocraticos. Apud Philosophum autem non pauca, max. li. 4. de gener. anim. c. 5. idq́ primum caput est.

Superfœtationis dissimilitudo.

Alterum cur connascantur & cohæreant. Narrat Munsterus gravidam cum altera quadam

2. Cur fœtus connascantur.

colloquentem forte à prætereunte, sed currente concitatius allisam esse fronti fœminæ alterius, ex eo casu gravidam gemellas peperisse, sed in ipsis frontibus usq; ad nares concretos & cohærentes. Hic collisionis Phantasiam allegarit quis. Ego eam haud tantum posse crediderim, quoniam gravidæ sæpè etiam vehementius illæso fœtu & fœtibus impingunt. Sed quid subitus inopinatusq; impulsus cũ terrore in imbecillioribus præsertim naturis mulierum, & maximè gravidis de nullo quã de fœtu intus sollicitis, valeant, si quid spiritibus vehementius impressum fit, supra ostendimus. Sed est & alia omninò manifestior causa, in quã derivari id incommodũ possit. Nam fœtus, qui membranis involucrisq; initio sunt distincti, si undecunq; ruptæ fuerint, confluantq; massarum diversarũ semina, commistio ea perturbationẽ inducit, & separatiõem impedit. Qua parte autem ruptio fit, contingentibus sese massis, ibi concretio fit, si in capiti, frontes connascuntur, aut tale quid, si infra pedes. Eius signum est, quod dum salva sunt interstitia plurium, nullum periculum ex hoc quidem, & distincti eduntur, atq; id quidem in ovis experiri licet, cum vitella confunduntur.

Phantasia.

Ruptura involucrorum.

3. Quæstio de partium abundantia & defectu.

Tertium est, cui partes abundent, aut desint. Manifestum hoc, morbos in numero ex materia superflua fieri, abundare autem partem naturalem, si utilis sit materia, vel præter naturam, si inutilis, ut in strumis. Eadem enim causa gemino-

rum & partium superfluitatis. Nam si major eius materiæ sit quantitas, quàm ad unius fœtus constitutionem satis est, nec tamen ita copiosa, ut duobus integris sufficiat, membra generari superflua necesse est: & quia membra pars animati sunt, nunc hoc, nunc aliud pro materiæ natura & motus varietate membrum duplex gignitur. Ac si pro capite gignendo altero conveniens est, biceps fœtus nascitur, si pro pedibus, manibus, plures erunt pedes & manus, quam desiderantur. Quod si verò id in nobilioribus partibus evenit, aut non nascitur vivum id monstrum, aut natum citò extinguitur: sed in ignobilioribus potest vivere. Sunt autem atilis materiæ causæ duæ jam exposita. Vna exuperantia calidi & humidi in temperamento æquabili. Altera corporis parvitas, ex quibus duobus & multi fiunt fœtus, & partium non necessaria multitudo. Ex multo multa fieri possunt, Multum est autem non in calidis & siccis, neq; in frigidis & siccis, aut frigidis & humidis, sed in calidis humidisq; corporibus. Biceps capite.

Verum etsi eiusmodi quædam sunt, tamen quia valdè grandia sunt, multum materiæ excernere non possunt, quandoquidem in corporis amplum habitum cedit, ut parum restet generationi. Itaq; parva quidem solitarios fœtus habent, sed paulò grandiores tamen. Minora verò animantia abundant semine, & plus generato conferunt.

Minora at nimantia abundant semine. In ijsdem etiam quia non magni sunt fœtus, locus etiam satis est pluribus. Duæ igitur hæ sunt causæ, materia, locus, quibus tertium addi potest, virtus facultasq́ue valida. At partes quidem à materia ita cōstitui ova ostendunt, in quibus cū distinguuntur mēbranā, si rapta illa alicubi continentur monstrifici prodeūt, modo capite gemino, modo auribus quaternis, ut antea dictū est, proinde in delitijs habetur, ova ad id deligere commodè, ut monstra ita enascantur. Nā si quē volunt pullū gallinaceū quaternis alis enasci, aut alijs partibus geminū, ova cum binis boletis capiunt, qualia fæcundæ gallinæ solēt parere, partimq́ue ex magnitudine agnoscuntur, quæ superant reliqua, partim si soli opposita aspiciātur (deprehendūtur enim gemina) si in his pellicula rūpatur, gloccētiq́ue gallinæ suppenūtur, fit mōstrosus in partiū numero fœtus, sicut gemini, si illæsa esset membranula relicta.

Monstra ex ovis possunt fieri.

De mutilis autem in libro de genitura Hippocrates causas multas ac propè omnes externas, internasq́ue recēsuit, unde & ab integris possint, & à mutilis parentibus. Fit enim utrumq́ue. Cū mutilatus in utero puer prodit, ait, eum collisum fuisse arbitror, vel quia percussa sit eo loco mater, vel quia in fœtū ceciderit, vel quia quamcunq́ue aliam vim passa est. Quà verò parte puer colliditur, ea mutilatur. Quod si vehementius etiam, ita ut pellicula ipsum continens rumpatur, abortivus perit. Quin & alia huiusmodi causa pueri mutilantur.

Mutili.

cum in utero locus is, in quo priore modo mutilari fœtum contingit, angustior fuerit, necesse est corpus pueri, quod in angustia movetur, mutilari juxta locum illum. Quemadmodum enim arbores, quæcunque in terra sunt, & nō habēt satis amplum locum, verum à lapide, aut aliqua alia re impediuntur, cum enascuntur, aut tortuosæ fiunt, aut parte una crassæ, altera tenues. Sic fœtibus etiā accidit in utero, si ibi aliqua pars corporis angustiorē locum altera occupet. Cæterū ex mutilatis hominibus sanos & integros oriri pueros, ut plurimū contingit. Habet enim mutilatū corpus omnium partium numerum æquè ac sanum: Quod si verò morbus aliquis parentibus, & humido ipsorum acciderit, à quo semen provenit, ut genituram totam nō exhibent: Ita debiliorem causam habent, quæ ex mutilata parte provenit, ut proinde mirum nō videatur, si fœtus etiam ipse mutiletur, sicut parēs. Averrhoës tres causas nominat. Vnā materiæ convenientis defectum. Deinde impedimentū receptionis formæ necessariæ, hoc est, cū tribui parti forma nō potest, quæ ei competit, sive ob materiæ, sive ob loci vitium. Tertiam, debilitatem virtutis agentis in discernendo & separādo materiā huic vel illi membro aptam. Ex quo regula nata est. Additamenta esse à calore: defectiones à frigore. Addamus quartā etiā cū uterus angustior est. Quintam ex causa intus morbosa, ut cum cæci nascuntur, quibus abscessus fuit intus in oculo. Sextam, ut

Averrhoes.

Additamenta à calore.

enim quæ multa in se continent, plura alere diu non possunt, donec perfecta sint, unde & inarticulati fœtus nonnulli edütur, ut ursi, vulpes. Nam ursos ait Philosophus, fœtum nudum, cæcum & cruribꝰ propemodum, membrisq; alijs pluribus indiscretum & rudem producere 6. Hist. c. 10. Parit cæcos & vulpes, atq; etiam infirmiores, ac ursa, cum partum ediderit, lambendo refovet, & concoquit. Lupus itidem cæcos generat: quorum tamen tempus pariendi, quod vulgo definiatur diebus duodecim, negat certum esse: sicut & hoc: Lupos semel in vita parere.

Multipara edunt imperfecta.

CAPVT XXV. De monstris, ubi situs non conveniens. Partium situs naturalis quis: Situs duplex: vitia situs duplicia. Causæ mutati situs. Monstra in unitate soluta.

EST *ubi partes quidem formatæ sunt, quæ debent, in figura, quãtitate, numero, oculi, aures, brachia, sed alio loco, & situ, quàm conveniebat. Nam et certus debet partium situs esse, & singula toti quidẽ cohærentia, sed locis disiuncta, alibi pes, alibi manus. In homine, verbi gratia, ita sunt membra disposita foris, ut sit aliud superius, aliud inferius, prius & posterius, dextrum & sinistrum. Et hæc quidem ex similibus ferè particulis, & ijsdem (sunt enim utrinq; brachia) sed sinistra ut plurimũ dextris imbecilliora. At posteriora prioribus, & superiora inferioribus discrepant. Quia*

Partium situs.

autem & locus optimus naturæ visum est, hunc etiã observari oportet, ut ne sit alibi in alieno. Quid enim aures in dorso? Deinde & intervalla in geminis iusta esse debent. Nam & hoc ad situm referendũ est. Quis situs sit partium tùm interiorũ, tùm exteriorum sensus docent, & anatomicorum diligentia descriptus est. Foris summa partes quatuor, caput, collum, thorax, brachia & pedes. Capitis anterior pars alio loco est, quam occiput posteriq. Media inter occiput & sinciput vertex est. Facies calvæ subiecta sub sincipite. Dorsum pone pectus est. Venter infra pectus parte priore. Collũ inter pectq & faciem. Interiorum, cerebri, epatis, renum, pulmonum, cordis certa ac definita sedes cum secundum naturam sunt disposita, non prodigiosè. sed in situ differentia est: aliaq; à natura ipsa, alia nostri respectu: A natura, in quibus partes determinatæ à natura, ut principia aliquorum motuũ, sicut in hoc universo levia sursum, gravia deorsum. Hic illorum situs est. In viventium etiam motu cum augentur & decrescũt quædam sursum fiunt, quædam deorsum. Sursum dicitur, unde alimentũ accipitur. Deorsum pars opposita, unde excrementa deijciũtur. Ante & retro in animalibus sunt secundũ sensum. Dextrum & sinistrum secũdum motũ localem, sed in plerisq; inanimatis differentiæ situs nostri tantum respectu sunt, ad quos se habent hoc vel alio modo. Vnde eadẽ columna, sinistra & dextra potest esse, prout homini dextra

Partium situs naturalis.

Situs duplex.

& sinistra est. Caput in homine sursum, sicut cœlum etiam. Venter & pedes deorsum. In plantis è converso. Radices enim proportionales sunt capiti, quoniam idem agunt, hoc est, cibum & alimentum attrahunt. In brutis caput neq; sursum, neq; verò deorsum est. In singulis igitur modo est. Sed in monstris etiam hoc pacto ab ordine receditur, & situs vitiatur ita enormiter, ut παρὰ φύσιν sit. Fit autem cum membra θέσιν suam non habent, quod accidere internis & externis potest. Foris si animal cornutum, cornu non in capite, sed in auribus habeat, aut in ventre enatum, quod iam observatum est. Et est in Aristotele capra gerens in crure cornu, sicut & iecur in eodem autore ad latus sinistrū, & lien in dextro contentum. Vnde signa laborantis morbo aliquo epatis in sinistro apparent, in dextro verò si lien affectus est, contra quā accidit in cæteris, ut est in 4. Collig. 4. Augustinq; sermone 37. ad fratres, se vidisse ait in Æthiopia homines sine capite, sed quorum oculi fuerint in pectore, cætera nobis similes. In libro autē 16 de C. Dei eorum meminit, quorū plantæ versæ ad crura, etsi id aliunde petitum fuerat: In quadrupedibus nonnullis lienem cum iecinore legitimū locū permutasse visum, annotavit etiam Aristoteles 1. Hist. 18. Minus autem conspiciuntur interna in viventibꝰ, sed cum mortua secantur. Quæ foris fiunt manifestiora sūt, ut si oculi in tergo sint collocati, nō in anteriore parte. Visus est, cui pes unus in

Situs monstrosus quis.

Vitia situs interna occulta.

in umbilico excreverat. Sed exẽplorum ubiq; magna copia est: Causa quæratur è qua positionis vitia proveniunt, cum aut suam sedem partes mutarunt, aut cum inter se consensum ordinemq; naturalem non servant. Recurrendum hic etiam primum ad τὸ βίαιον τῆς φαντασίας *in matribus specie absurdi objecti turbatis, dum gravidæ sunt. Neq; enim dubitare licet, si in cæteris multum valet, in numero et figura mutanda, quin & positum vitiari hoc modo contingat. Aristoteles ad diversionem motuum translationemq; materiæ retulit in 4. gen. 4. Si enim plastica vis per partes seminis inordinatè moveatur ac distribuatur, fit, ut partes non formet convenientibus locis. Materia verò ipsa impetu violento ad indecentes locos agitari potest, ea verbi causa portio, ex qua oculus, vel pes, jam destinata certæ sedi & cœpta formari in teneritate prima, & fluida adhuc substantia, nõdumq; firmiter alligata vinculis, & constricta, perinde ut miles in acie, locum mutat, fit ut in tergo sit, qui sub fronte esse debet. Unde & brachia eò contorta aut repulsa primo eius partis rudimento in tergo nasci possunt.*

Causæ mutati situs.

Motus phantasiæ.

Materiæ translatio.

Minus etiam impossibile ex eodem motu faciem inverti ad posteriora, aut ad latera: Non desunt, qui coitum à tergo accusant, eiq; hoc malum imputant in impudicis, quorum cum facies aversa est, conceptus eandem repræsentat, sive hoc divinitus fiat, vindicta justissima, sive ex

Facies inversa unde.

Phan-

Phantasia gignentium, & concipiẽtium, quanquã scio quid de canibus obijci posit, quibus hoc ita lege naturæ est consuetum. Sed quod his est, homini non est; Potissimam autem omninò in Embrionis motu primò inesse existimare licet. cujus tamen varietas inexplicabilis est: sed qui foris apparent motus, cum partes in aliũ situm trahuntur, luxando aut distrahendo ligamentis, aut ruptis, aut laxatis, etiam huic vitio nocumentam præbent. De quatuor autem speciebus monstrorum in conformatione, & quibus ex causis singula possint existere, hactenus expositum est.

Monstra in soluta unitate.

Postrema sunt & in quibus unitas soluta est, sicut is infans, qui ut antea dictum est, ea parte hiante editus legitur in historijs, qua in pectore, & quidem exquisitè, gravida uxor viderat maritum in tumultu vulneratum esse. Rara hæc sunt, & ut multa alia non videmur aliò rectius, quam ad τὸ βίαιον τῆς φαντασίας matrum posse referre, de quo jam satis multa. Non enim sufficerit, quod de erosione aut divulsione quacũq; dici possit, cũ ratio nulla sit. Quare in ea potiùs parte appareat, ubi foris Vulnus visum sit, quam in alia.

CAPVT XXVI. De iis monstris, in quibus fit tantum aliquid insolitè. Infantes barbati: dentati:, Zoroastres: Risus & fletus in utero. Tardissimè editi: Anthropophagi cur hominum carne vescantur.

HÆC in monstris expositis ἁμαρτήματα corpora ipsa vitiant manifesta. Sed sunt præter hæc, quibus vulgò monstri nomẽ tribuitur: quævis illæsa habeant omnia in corpore membra, neq; depravatum quippiam in his appareat. Est tamen nihilominus, aut fit aliquid insolitè. Duorum enim generum sunt, quibusdam aliquid adnascitur inusitatè. quædam fiunt tantum mirificè. Prioris generis sunt hirsuti in toto vel parte editi, hirto corde gigni quosdam proditum est, nec alios esse fortiores industria; sicut Aristomenem Messinium, qui trecentos occidit Lacædemonios. Sunt & barbati & cani in partu exclusi, itemq; dentati. Nam etsi hæc omnia animali competunt, pili ad tegendum, dentes ad masticandũ, non eminent tamen hi aut ille, ita ut paulò post in adultioribus. Finguntur dentes à prima formatione, perinde ut spermatica omnia, & intra gingivas continẽtur, cartilaginum instar, ut in infantium dissectis corporibꝰ licet aspicere, numero totidem, quot postea foras emergunt; in primum autem natis eodem die rarissimè conspiciuntur, prominẽtes & ad usum perfecti. Sunt tamen in historijs eiusmodi, qui ita legũtur editi, interq; hos celebris ille Zoroastres, ad quem Magiæ inventionem referũt: Marcus Curius etiam dentatus ex eo cognominatus. Quicquid autem ex hoc genere tempus anticipat tantum, nullo præterea adjuncto errore aut discessu à communi natura, monstrum non est dicendum

De monstris in quibus tantùm fit aliquid in fœtu.

Barbati infantes & dentati.

Zoroastres.

cendum, maximè cum naturales eius eventus cau-
Vnde dentati nascãtur. *sa tradi poßint. Nam ut de dentibus dicamus, qui calorem fortem habent, facultatemq́. formantem validam, cum seminalis materiæ copia eo potißimum in loco confluente, ubi dentes gigni solent, nihil mirum, si etiam ante legitimum tempus & consuetum in cæteris prodeant, magis etiam hoc de pilosis ita natis se habet. Nam quibus in corporibus fuliginosa excrementa (ex his enim materia pilorum) statim abundant cum primum adolescit fœtus, iisq́. ad cutim feruntur à valida virtute agitante ad circumferentiam, ac propellente materiam viamq́. & transitum inveniente feligini. Fieri potest, ut corpus, sicut foris pilosum, in utero reddatur. Nam ut gignerentur, materia requiritur, & agens & locus aptus. Vt verè maturius hæc omnia accommodatißima esse oportet, neq́. enim si aut qualiscunq́. materia aut agens adsit, anticipatio illa fieri poßit. Non sunt omnino, & glabra manent, si materia desit, non subito, si pauca. Sicut & a calore debili, & cum locus poriq́. non sunt accommodi: in quibus illa omnia insigniter se habent materia, agens, locus, celerius illis quàm quibus hæc desunt, aut omnia, aut quædam tantum, aut imbecilliora sunt. Quid enim exiguus calor poßit, qui materiæ resolvendæ non satis sit, aut si cutis plus justo diffluat, durior sit, quam ut perforari poßit? Certè in plantis ea citißime germinant, quarum principia sunt vali-*

da, tar-

ta, tardius, ut in mero, ob eorundem principiorum debilitatem: Quod de risu aliquorum narratur, obseruato in partu, ut in loco non apto, non sine causa fabulosum habitum est, cum multa alia de hoc superstitiosissima reperiantur in historijs veterum, quæ credere nihil est necesse. Non illud dico, quod viginti annos solo caseo vixerit, (Nam id & multis rusticis evenit.) sed quæ præterea de eo incredibilia, sunt passim exposita. Quod si quis ridens natus aliquando est, quid hoc habet admirabile? Nam si flere possunt, & ridere possunt. Vtrumq́ habere in natura causas suas potest. Nostris temporibus infans triduo antequam ederetur in lucem nullo ad exitum parato aditu flere auditus est, in hac ipsa urbe nostra Bresla. Factus is homo & morbis & fortuna miserrimus usq́ ad obitum. Qui vero monstra ob id appellata sunt, quod serius essent editi, mēse tredecimo, decimoquarto, aut anno etiam altero. Primum quidem si in nascentibus nihil perturbatum apparet, quod à specie discrepet, monstrum Aristoteli non erit. Deinde non est necesse se editos esse ijs mensibus, quos matres annotarunt, cum in prægnatione & uteri ferendi tempus aliquando ita ignotū sit, ut collectis ōnibus etiā conjecturis, statui nihil possit maximè, in quibus uterus antè alijs de causis intumuit, aut flatus spem facit, aut menses non fluentes, & subsecuta est deinde imprægnatio. Cum enim prægnantes non sint, putant tamen esse,

Risus in utero.

Infans flens in utero.

Tarde editi.

Anthropophagi cur homines devorarint.

quæ res numerationem impedit & calculum. Anthropophagos etiam monstra video numerari ob id solum, quod victu uterentur alio, quam cæteri, & humana carne se explerent: nec hi propriè τέρατα fuerint Philosopho, si perfecti corporibus. Sed cur hoc cibo potissimum usi sunt, non alio? Cardanus duas attulit rationes, quarum una est, quod eos devorarint feri illi homines, quos odissent, ut nihil superesset ab hostibus. Deinde quod suavis illa caro & sapida esset, ex eo maleficio consuetudinem hanc in naturam transtulisse. Sed quia sunt hodiè ferissimæ gentes, quæ cum immani sint in vicinos hostes odio, non devorant tamen, satisq; est jugulare, & quæ olim vorarunt, hodiè non idem faciunt, causa videtur: ex alterius cibi inopia extitisse. Fuerunt enim ijs in regionibus, ubi & pecora non essent, & agri non fertiles, neq; ijs instrumentis essent instructi, quibus terram colere, aut feras venari, aut pisces indagari possent, quæ si non defuissent, ad hunc cibum minimè confugissent.

PARS ALTERA.

DE AFFECTIONIBVS MONSTRORVM.

CAPVT XXVII.

De affectionibus monstrorum; & problemata nonnulla: Quæ prima monstrorum origo: quis autor. Non esse monstra quædam, etsi habentur in monstris.

DOCVIT *Philosophus in 2. analyt. eas esse definitiones optimas, quæ essentiæ & affectionum & competentium causas patefaciunt, dissolvantq́, si quæ dubitationem habe nt. Et in 2. de anima, cum de facultatibus animæ tradıturus esset, eam sibi methodum proposuit, ut prius diceret, quid quæq́; esset. Deinde quæ de consequentibus proprietatibus & affectionibus, quas passiones vocant. Fluunt enim à formis suis, ut illarum effectus quidam. Quoniam igitur ex causis essentiam monstrorum ostendimus: nunc ea persequamur, quæ circa illa* De monstrorum affectionibus.

offeruntur, qualia multa sunt, & non minus, quam priora consideratione attenta dignissima. Fecit idem Philosophus, investigavitq; non modò quæ inesse animantibus secundum naturam solent, sed etiam in monstris, ut videre licet ex cap. 4. lib. 4. de anim. gener. Neq; ea tantum solummodò, quæ attigit ipse Aristoteles, sed quæri plura alia possunt, de iisdem φαινομένοις circa τέρατα, quorum enodatio jucunda & utilis, sed alicubi difficilis, alicubi facilis & expedita.

Vnde dissolvantur problemata.

Dissolvi autem dixit Alexander initio quæstionum suarum problemata ex rei vel habitu, vel specie, vel actione, vel deceptione sensus, vel æquivocatione, vel ex viribus, quæ magis minúsve possunt efficere, vel ex eo quod res durior, aut solutior sit, maior vel minor ex tempore, ætatè, more; parte essentiali aut adventitia; aut ex rerum similium conditione. Alia autem aliis conveniunt. Ex multiplici autem varietate quæstionum in monstris eas deligemus, de quibus ad probabilitatem aliquid dici potest. Quæ prima monstrorum origo. Cur frequentius in animantibus vel plantis, cur in utero vivant, foris moriantur pleraq; In Ægypto cur frequentissima: Sitnè cœli aliqua constitutio, quæ monstra generet, an monstra corpore & anima sint monstrosa: an speciem multiplicent; multaq; eius generis alia.

Primum

Primum de origine monstrorum, possitnè sciri, sicut, quis primus homicida, nauta, rex, vitium cultor, ita quod primum monstrum, & quod tempus prima dederit mundo. Initio hoc manifestum est: Cum à primo ortu animalium, & homines semper fuerint, & pecora, necesse est, quoniam ita depravata non sunt ab autore condita, paulatim generationem quasi gradatim ad eam imbecillitatem declinasse, ut nascerentur & homines & animantia, quæ propter insignem degenerationem monstra dicerentur. Veritas, ait Tertullianus, antecedit corruptionem, sanitas etiam morbum.

Quæ origo monstrorum.

Monstra non condita.

Veritas antecedit corruptionem.

Alijs autem origo videtur esse antiquissima, alijs neq; valdè novum, sed tamen ne valdè quidem antiquum, quoniam ut morbi novi sunt, ita & hæ depravationes. Morbi qui hodie nomina habent, non fuerunt olim, & qui fuerunt aliquando, hodiè à memoria aboliti sunt, idq; ita medici esse asseverant. Plutarchus disert. 8. Sympos. οἴδε καὶ τὰ νοσήματα, ὥσπερ τέρατα, γεννᾶν ἀξιοῦσι. *Alij, inquit, naturam parere morbos novos, ut monstra, censent.*

Morbi novi.

Apud Plinium est de novis morbis duobus lib. 20. cap. 10. Gemursa hodiè nomine ipso propemodum evanuit, si modo non nomina pereunt, iisdem morbis existentibus. Celsus no-

vos agnoscit; cum rationales scribit medicos in hoc præstare Empiricis, quod novos morbos possint curare, Empirici non possint. Plato ex Socratis sententia 3. de Republ. ante illa tempora ne catarrhi quidem nomen notum fuisse dicit, fortasse ob seculi temperantiam: ἐκ τούτων γὰρ νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν. *Quod si verum est, non corytæ, nõ tusses, non dissenteriæ, non dyspneæ fuerint. Itaq; morborum quorundam novitatem inficiari non licet, quodq; à sapiente dictum est: Nihil esse sub Sole, quod alijs seculis non fuerit, alium sensum habet. Nam ut semper ægrotarint homines, modus tamen esse potuit alijs temporibus alius, & certè; si non morbis, at eorum gradibus differentibus. Mittamus morbos: Fuerint hi semper: Num & monstra? Plena est nostra ætas & superior, non pauca sub Romanis Imperatoribus edita. In Græcia multa & insignia: vetustissimæ historiæ non videntur exempla aut habuisse aut recitasse saltem: Isidorus historicus quid afferi de primis monstris; autoremq; & monstrum nominat, putatq; orta esse ab Hana abnepote vel socero Esau. (Nam in verbis ibi ambiguitas est) Genes. 36, versu 24: de quo ita scriptum est. Is est Hana, qui invenit mulos in deserto, cum pasceret asinos Tzibboni patri suo, quod sic interpretantur. Primum hunc fuisse, cum pastor esset, qui artem in deserto excogitarit procreandi ex*

admissa

Catarrhi olim nulli.

Hana autor monstrorum.

admissura equi & asinæ, mulos novam quasi speciem bigenerem: mulus enim ex confusis duorum diversorum formis animal est, quasi ex coacta natura Venere. Onagros etiam ab eodem admissos ad asinas, ut velocißimi ex ijs asini nascerentur. Sunt qui hoc hominis spurij factum spurium animal introducens improbent, quod mixtura ea divino ordini adversetur, quo animalium generatio secundum speciem fiat, ut expreße in Moise scriptum est.

Primi muli unde.

An mistura animantium improbanda.

Alijs secus videtur, quod sponte etiam & natura impellente hæc diversa copulentur, ut in ijs, quæ in Africa. Quis enim ibi cogit? Ac ne id ipsum quidem reprehendendum, si in eo arte juvetur natura. Et cur non liceat ad vitæ commoditatē ita bestijs uti, ut quales velimus ex ijs gignere poßimus? an jus idem nobis est & brutis, quod homini cum homine. Quæsita est hoc seminio natura quædam media, in qua utrumq; esset, & laboris patientia, & vis vegeta. Nam alterutrum tantum in asino est propter onera, vigor etiam in equo. Mulus utrumq; habet; ut maximè autem hæc mulorum origo sit prima, muli etiam inter monstra, at hæc una tantum differentia. Sed possunt esse, & potuerunt prius alia. Qui vetustiorem faciunt, afferunt nonnulla, sed controversa. Monstrum primum nominant serpentem eum, qui cum Adamo & Eva collocutus fuisse scribitur, lo-

Serpens in Paradiso monstrum.

qui naturale non est serpenti, sed ἰδίωμα hominis, & quidem solius. Hic nihil ad hunc locum attinet negare locutum fuisse, quod fecerunt ex interpretibus nonnulli, indicantes sibilo & nutu id factum fuisse; quod à serpentis natura non est alienum.

An locutus fuerit.

Evam autem omnium brutorum motus habuisse cognitos, ut in prima illa innocentia sua ex nutu & sibilis æquè intelligeret, quid vellet, quàm oratione & verbis, quale est in fabulis de Thyaneo quodam. Sibili nulla mentio est in sacris, & ut intellexerint primi illi, quid bruta vellent, ostendant necesse est bruta etiam potuisse intelligere, quæ ab homine dicerentur, & opponere eius sententiæ, sententiam contrariam, quam alio motu repræsentarint. Nam non modo serpens alloquitur hominem, sed objicienti interdictum & periculum, utrumq; elevat. Si intelligit, mens infuit in serpente, motus pro oratione fuit, Figmentum itaq; est de sibilo.

Figmentum de sibilo.

Alij diabolum afferunt ex serpente locutum; alij ut Avenezra, serpentem non diabolum hoc argumento; quod pœna mutati incessus ipsum quoq; attigerit, quasi qui nunc repit, olim erectus incesserit, & facultatem loquendi, ut homines, habuerit. Hoc rursus totum incertum est, quod si monstrum sit serpens, quia locutus est, naturale esse non potuit. Si naturale non fuit, non hic tantum, sed & asina Bileam monstrum erit. Sed verè monstra non sunt,

An serpens diaboli organum.

sunt, qualia hic descripsimus. Non enim corpora depravata habent, non in ortu primo vitiata, non sic edita, ut abundet, aut desit aliquid, aut aliquid suo loco non sit positum, aut partibus admixtum extraneum, & quæ præterea in propriè monstris apparent. Quòd si locutus est serpens, παρὰ φύσιν fuit, sed momentaneum, non perpetuum, alio igitur nomine appelletur, monstri characterem nullum habet.

Magis videbatur monstrosus Esau, qui in partu statim totus ruffus fuit, totus idem pilosus, ut pallium. Non est hic color infantibus communis, etsi & omnes rubent aliquantulum. Abesse autem pilos omninò oportuit in ea ætate, qui cum nimij sunt in adultis etiam, sensum aut impediunt, aut auferunt. Certè color sanguinolentam crudelemq; indolem eius, pili feritatem indicabant: Hunc igitur monstrum dicere nihil impedit. Esau an monstrum

Nabuchedonosor non monstrum, quoniam nec ita natus, nec factus postea belua verè, annis illis septem, sed ex vita victuq; beluino, figura paululum immutata, capillis excrescentibus immodicè, & horridioribus factis, unguibus verò etiã supra modum auctis. Quid hoc mirũ? Ungues enim non resecuit tanto tempore. Pili autem à fuligine copiosa emanãte à corpore victu brutorum utente, hoc est, alimẽtis crassis terrenisq;. Cũ feris, inquit historia, pars eius in herba terræ, & corpus rore Nabuchadonosor.

cœlesti tingebatur, ut pilorum copia aquilis, & unguibus redderetur similis, volucribus, & pabulo & tempestate, & ferarum convictu corpus ita deformari potuit, hominis tamen forma manente: qualitatibus verò, ut fit in morbis varie pro earum natura novis introductis. Potuit igitur videri propius feræ & bestiæ figuram exprimere, quam regis aut hominis, ob ea quæ foris accesserant. Ineptum enim existimare partim cum corporis sui substantia bovem, partim leonem aut aquilam repræsentasse, quæ metamorphosis planè poëtica est, nec DEO *vel in puniendo sceleratissimos usitata. Quod verò ratio ei adempta esse scribitur, accipiendum melancholico morbi genere affectum fuisse, quo qui laborant, insaniunt quidem, sed non eodem modo omnes. Alia fera & θηριώδης est, altera melancolica tantum, sed causis differunt. In quibus malum hoc copiam melancholici humoris frigidi sequitur, cum metu est & tristicia, & falsis imaginibus, eorumque alij canes se esse putant, unde Cymanthropia, alij lupos, ut in lycanthropia, alij aliud se esse, aut habere imaginantur. Immanior est insania ex usta Melancholia bili flavæ vicina, & cum febre semper. Ex priore genere est dementia Nabuchodonosoris, non quod se canem esse crederet aut lupum, sed ex armentis unum aut pecudibus, hoc est vel bovem, aut vaccam, aut capram, aut simile quid,*

Metamorphosis illius qualis?

Nabuchd. laboravit melancholia.

quod

quod & locus arguit, cum in sylvis oberrraret, & victus ex herbis & radiculis. Beluinum hoc vivendi genus fuit, quod foris hominis figuram ita deformavit, ut cum homo quidem esse non desijsset, figuram tamen beluinam repræsentaret. Non igitur monstrum hic etiam propriè, quoniam in utero non facta est degeneratio, & soluto morbo ad pristinum habitum rediit. Afferunt præter hos Ianum gemina facie, bicipitem, antiquissimum Italiæ regem, qui si talis verè fuit, qualis depingitur, omninò monstrum fuit, & ex insignibus. Ad quid enim in homine duo capita? Sed variæ autorum interpretationes fabulam esse arguunt. Ianus an monstrũ.

Intelligunt enim alij solem quasi geminum, quod janua quadam sit utriusq; in cœlo plagæ, orientis & occidentis. Lucis januam aperit exoriens, claudit & abscondit occidens. Alij mundi vel cœli in eo imaginem constituunt, ut sit Ianus ab eundo, quia mundus in orbem volvitur, et ex se initium faciens in se quoq; recurrit. Nonnulli à prudentia & gubernandi scientia, qua maximè celebratur, quales qui sunt & præterita sciunt, & futura prævident. Etsi non desunt, qui non modo bicipitem, sed quadriformem fuisse fingunt, quæ omnia μυθολογικὰ sunt. Sed quicquid sit, corpore tamen fuisse non absolutissimo, sed ex parte monstroso ex Æliano colligitur l. 9. c. 6. & Fabulæ de Iano.



Monstra cœperunt post confusionem Babylonicam.

c. 6. & Volaterranus l. 17. Augustinus autem lib. 16. de C. Dei c. 8. post Babylonicæ turris ædificationem, & linguarum confusionem, credit propemodum monstrorum primum extitisse initium, dubitanter tamen, ut in plerisq. Quæritur etiam, inquit, utrum ex filijs Noë, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipsi extiterunt, propagata esse credendum sit quædam monstruosa hominum genera, quæ gentium narrat historia, sicut perhibetur quidam unum habere oculum in fronte media, & multa alia. Addit postea, Sed omnia genera hominum quæ dicuntur esse, credere esse, non est necesse. Et in fine capitis. Quapropter, ut istam quæstionem pedetentim cauteq. concludam, aut illa quæ talia de quibusdam gentibus scripta sunt, omninò nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt, aut ex Adam sunt, si homines sunt.

Mosis tempore monstra.

Ex Mose autem, in quo illicitæ consuetudines cum brutis, quales Ethnicis usitatæ fuerunt, severissimo interdicto prohibentur, conjectura sumi potest, jam tùm monstra extitisse. Unde enim certius illius occulti congressus indicium sumi potuit, quàm ex ijs, quæ sic confusis partibus ex materijs diversis unitis nascuntur? latent enim fere, nisi ita prodantur, sed nihil disertè scriptum est, quod primum in natura monstrum fuerit, aut quibus temporibus atq. occasionibus res orta sit, & caremus illa quidem cognitione non magna incom-

incommodo, neq; fuerunt eorum temporum scriptores multi, & quæ scripta sunt, perierunt casibus, & majora quàm hæc præterita neglecta sunt, antequam literæ florerent. Sequamur interea Augustinum post Babylonicam confusionem crebriora, quam præcedente seculo fuisse. Nomina certa quædam satis vetusta sunt, quædam posterius tributa rebus, quibus conveniebant: Sed sunt Græca pleraq; ut Ilophagi, Androgyni, Hermaphroditæ, Ipopodes, Monomeri. Nec tamen quia hodiè non videntur quædam, ob id omnia pro fabulis habenda sunt, quæ illi nobis tradidère. Sunt apud Hippocratem duo insignia, quæ supra recensuimus. Sunt & apud Aristotelem. Illud etiam negari fortasse non potest, aliis temporibus interdum crebriora, sicut & aliis in locis genita esse. Nã & Herodianus in Commodi Imperatoris historia ait; extitisse tùm animalia plurima omnis generis, minimè suam naturam servantia, cum figura prodigiosa, tùm membris nequaquam congruentibus edita: sed primus ortus inveniri vix potest.

Cur in antiquis pauca de monstris sint.

Commodi temporibus frequentia monstra.

Nibil obstat tamen credere, omnibus seculis aut fuisse, aut esse potuisse, quoniam causæ eadem monstrorum olim quæ hodiè. Quarum autem rerum causæ semper fuerunt, earum etiam effectus esse potuerunt.

Semper monstra esse potuerunt.

Prin-

Principia ortusq; animalium iis, qui olim: eadem impedimenta potuerunt obijci in materia, in agētibq,in loco,imagnatiōe,pavore,metu, rupturis, casibusq; alijs,quibus hodiè nō sine ratione degeneratio illa asscribitur. Nam ex eo & pluvias semper fuisse,& balones, & irides, si id fuit, inde postea extiterunt, etsi scriptum nihil extet, perinde ut de monstris etiam. Quanquam minus frequentia fuisse ex eo aliquis crediderit, quod sicut putatur, maior hominum continentia fuerit, quod de victu accipi potest, de moderatione in Venere & libidinibus, affectibus, ipsa etiam pietate non similiter. Æquè magna improbitas fortasse illius seculi primi, nondum constitutis societatis vinculis, per leges severiores sub principum dominio, quàm subsecuta est in posteris. De his supra copiosius.

Cur olim pauciora monstra.

Antiqui non in omnibus continentiores, quā nos.

Quod si de tempore astrologos nostros audiamus, negabunt illi semper extitisse monstra, aut extare hodiè absq; discrimine, quoniam à cœlo & syderum irradiatione ista propagentur. Quod & Alberto non displicuit, ut monstra non minus certi sint temporis, quàm morbus Gallicus, qui cum ad Indos ab astris defluxisset, cæteris gentibus contactu fuit communicatus, ut illi volunt. Ex eadem vi cœlesti populares esse morbos, lycanthropiam in Vasconia, Gutturositatem alibi, de qua est editum ad legem, qui clavum. Herum

Astrologi.

rum sententiam optimus quisq; inter Philosophos non accipit: & certum est ex aliis caussis existere. Morbos enim Epidemios medici fortasse accipiant, quoniam à communi causa malum commune ortum videtur probabile. Invadunt enim plurimos, sive jugulent simul, sive præsidia admittant. Sed si quid tale monstrosa constitutio est, cur vix unum tantum in tota regione monstrum facit; illæsis omnibus cæteris? Debebat enim maximam partem ita evertere: sed paucos videmus, & rarissimè. Quanquam in omnes agant sidera.

CAPVT XXVIII.

An talis cœli constitutio possit incidere, qua fœtus in monstra degenerent. Et, possintne perfecta animantia cœli beneficio ex communi naturæ materia, non minus produci, quam ex certo semine individuorum in qualibet specie per coitum.

VT morbi aliis temporibus frequentiores sunt, & cœli constitutionem sequuntur, ita num monstra possint ita esse nonnunquam frequentia & cœli vi, quæsitum est. Anni tempestates morborum causas esse statuit Hippocratei; & sunt à variis in aëre excessibus Epidemii morbi Morbi à tempestatibus.

morbi certis temporibus exorti, peripneumoniæ, pleuritides, diarrheæ, Storbuti. Anno 1549. in Vngaria paßim in corporibus æstate quadam viperæ & lacertæ verisimiles genitæ sunt, quo malo multi mortui summo cum dolore, juxta Theisum fluvium, aliquibus ad Solem jacentibus per os egreßos scribitur, & eodem mox recurriße, ædes his paßim bestijs pollutas, Id alq ad annum 51. referunt. Tacitus scribit Neronis temporibus multa accidiße mirabilia. Temporibus Henrici quarti multi monstrosi partus editi, pecudes & homines bicipites. De Commodi Imperatoris ætate paulò ante meminimus ex Herodiano. Ergo videtur incidere talis aliqua cœli constitutio posse, quæ fœtus in utero in monstra degenerent impreßis ijs figuris, quæ schemati cœli respondeant. Sed quia hoc ipsum aliunde dependet. Poßintnè animalia perfecta cœli beneficio ex communi naturæ materia produci, non minus, quam ex certo semine individuorum in sua specie quælibet. De utroq; agetur in hoc capite. De monstris primum ita Cardanus sensit, Brassavolam observaße superfœtationem eße instar Epidemij morbi.

Serpentes in hominibus.

Cœli constitutio monstrosa.

An perfecta animalia in cœlo nasci poßint.

Rationem ipse addidit, in commentarijs suis per aphorismos Hippocratis, cum res sit præter naturam, indiget, ut foveatur à causis communibus & potentibus, quare ab his prodeunt plures effe-

Superfœtatio epidemia.

ctus consimiles. Idem de monstris: ideo legitur apud Livium. Cum unum apparebat monstrum, semper plura fuisse. Hæc ille ibi disertè. Pepererunt nobis hanc sententiam Astrologi, qui non modo idem asserunt, sed cœli positum describunt, in quo quasi proventus monstrorum expectari veluti messis quædam debeat, & prædicere ex arte sua longe ante possunt rerum mirabilium eiusmodi opifices annos. Alterum etiam suos insignes autores habet, quodvis animal idem specie simul & ex putri materia, informante sidere aliquo & ex semine nasci posse perfectum & imperfectum. Ita accipit verba Aristotelis Picus in lib. I. Examinis doctrinæ gentilis ex 3. de gen. anim c. II. quam ille risu potius quàm confutatione dignam iudicat. Videtur enim hoc velle primum nostrum ortum aut ex ovo esse, aut verme. Quamobrem, inquit, de prima hominum atque quadrupedum generatione, si quando primum terrigenæ oriebantur, ut aliqui dicunt, non temere existimaveris, altero de duobus his modis oriri: aut enim ex verme constituto primam, aut ex ovo. Poterat & illud citari ex 7. Metaphys. 23. Eadem animalia ex semine & sine semine posse oriri. Et præter hæc illud celebre. Sol & homo hominem generant, hoc est, & homo potest generare hominem, & Sol hominem sine homine, quasi ortus eius nihil à communi naturæ semine differat. Avicen- Aristotelis mirifica sententia.

Avicennæ & Alberti sententia. *na, à qua non videtur Albertus dissentire, interitum hominum à diluvio sensit cæli beneficio restitutum esse, etiam cum homines nulli essent, qui gignerent. Mulieres alicubi ex terra generari, postea univoca generatione multiplicari: Quin etiam sola virtute stellarum ex fœminarum capillis serpentes grandes enasci. Monstrosa capita propter certos syderum aspectus fingi. Idem tradidit Diodorus Siculus l. rerum antiq. 2. Prima animantia apud se orta existimant Ægyptii. Et utuntur autem coniectura, quod nunc etiam in* Murium ortus in Aegypto. *Thebaidis agro certis temporibus multi ac magni mures generantur, qua ea re plurimum stupent homines, cum videant, quorundam anteriorem partem usq; ad pectus & priores pedes murium partem animatam moveri, posteriori nondum incoata, sed informi. Ex hoc perspicuum aiunt fieri ab ipso orbis ortu, Ægyptum primos homines pretulisse. In nulla enim orbis parte id accidit, ita* Principium animantium ubi. *animalia creari, ibi principium omnium animantium extitisse à diluvio. Plutarchus etiam similes habet sententias, quæ ex eo petantur de placitis Philosophorum l. 5. c. 19. Valuerunt hæc tantum apud doctissimum Fernelium, ut in lib. de* Fernelij sententia. *abditis causis non modo non falsam, sed esse verissimam sententiam existimaret.*

Scribit enim, errantium stellarum per orbem signiferum variam radiorum permistionem

tantum posse, ut praestantissimorum Philosophorum monumentis sit proditum, eam cœli posse constitutionem incidere (qualem etiam quondam fuisse tradunt) quae tùm homines, tùm eques, tùm perfectiorum animantium omne genus ex ipsis Elementis tanquam ex communissima aut proxima materia generetur, quemadmodum & imperfectiora videmus, ut mures, ranas, locustas saepè sua sponte nasci. Hoc postremum de ortu hominum ex putredine prius videamus. De monstris posterius.

Averrhoës hoc totum, quod ab Avicenna scriptum est, fatuum vocat, fortasse non sine ratione. Nam cum isti dicunt fieri posse, nondum certi quid afferunt, quo imbecillioribus fidem faciant, si assentiri nolint. Quod si enim factum est aliquando, cur ex veris historijs nihil afferunt? At quia narrare nihil audent? etiam ex eo causa nulla est, cur id credere debeamus. Si futurum expectant, unde id provident, quod à tot seculis factum sit, nunquam id fore aliquando. At si tùm demum, ut inquiunt, cum species aliqua interibit, unde interituras didicerunt? Sin nihilominus, quid necessarium est, aliter oriri homines, quam videmus quotidie? Hominis certe speciem adeo metuendum non est interituram, ut verendum potius sit, ne aut locus habitandi desit, aut quibus alantur. Tot bella olim à priscis, & tot à nostris

Sententia haec Averrhoi fatua.

Cur absurda est opinio.

 semper

semper geruntur, grandia, diuturna, exitiosa totis gentibus, ut non facile dicas, pluráne in mundo uno die nascantur, quàm in bellis jugulentur. Innumeros pestis tollit, & naufragia & fames, & exilia, & latrocinia, & morbi familiares, & senium: comparari tamen qui intereunt ad eos qui remanent, ne possunt quidem. Alijs placet esse loca, ad quæ à nostris peregrinatoribus ob intemperiem nón perveniatur, ibi id evenire.

Primum quæ pars orbis habitabilis est, quæ nostris non pateat? Tum fac esse, quod si tamen nemo eò pervenit, quis hoc enunciavit, si nemo ibi fuit? Possumusnè scire quid agatur alicubi, quo nemini ullo sensu pervenire licuit? Præterea si illæ terræ eiusmodi sunt, ut vivere in ijs homines nequeant ob loci dispositionem, quomodo ibi nascentur? An consentaneum est nasci alicubi posse animalia, ubi vitam tueri non possunt? Cur igitur nascuntur? Benignáne ad ortum plaga est, ad vitam invida? aut vivere ij soli possunt, qui ibi nascuntur, cæteri non item? Non erunt igitur homines, ut nos sumus: vivere enim ubiq; possumus, hic melius, illic deterius, sed vivere tamen. Neq; ego video quid afferre speciosi possint præterea. Sanè ex multis paradoxis videri hoc potest παραδοξότατον. *Quod Aristotelem citant; videant ne ille autoritatem manifestè defugiat: Nam hic disertè sect. 10. probl. 64. Quam*

ob

ob causam animantium alia non solum coitu, sed etiam sponte naturæ procreantur, alia coitu duntaxat proveniunt, ut homo, equus. An quoniam, si non aliam ob causam, tamen quod alijs gignendi tempus breve statutum est, itaq; fieri non potest, ut tempus, quod vim generandi habet, amplietur, prorogeturq;: sed temporum vicissitudine commutationeq; ut procreantur, contingit, alijs multum generatio ampliari solet. Quapropter vel nullo pacto, vel ex coitu procreentur illa necesse est? Quid apertius? hominem, equum aut coitu nasci, aut nasci non posse. Et cur igitur illud Sol, & homo, non copulativè sed disiunctivè accipient? Scilicet igitur Aristoteles ex verme vel fimo nasci homines putarit? Certè quod in tertio de generat. scripsit, id ex aliorum, non suæ sententia posuit, quemadmodum legenti patet? Carior ille alter locus 10. probl. 15. Cur in animantium genere, alia maris, ac fœminæ coitu creantur, alia concretis quibusdam proveniunt, simul atq; primus eorum ortus extiterit? Principium rei cuiusq; maximum est, quippe quod rei dimidium sit. Semen autem genitale principium esse certum est. Ergo minutorum animalium, quorumq; ortus nullo agi mutuo concubitu solet, causa cur ut principio extiterunt, creari nunc etiam possint, seminis exiguitas est.

Aristoteles unum hominis & perfectorũ ortum agnoscit.

Principium rei cujusq; maximum.

Rei minoris minus principium. Rei namq; minoris minus quoq; principium esse convenit. Majorum autem genus mutationem quoq; pro sui magnitudine desiderat ampliorem. Nec reliquæ eius Philosophiæ consentit, & quidem ubi illa firmissima est: ortus omnis animalium duplex est, alius divinus, alius naturalis. Divinus cum per creationem omnia ex nihilo sunt producta, sola Dei virtute, nulla vel materia præcedente, vel eiusdem præparatione idonea ad producendum, sed momento, ne quidem cœli virtute adjuvante.

Ortus animalium duplex. Divinus.

Naturalis. Alius est naturalis Philosophorum proprius, cujus ea ratio est, ut absq; materia propria, & certo agente nihil perficiatur, quo materia, ut ab aliquo, ita ex aliquo fieri necesse est. Ac ex quolibet non fieri quodlibet, sed determinatum ex determinato pro indubitato sibi assumserant sapientes. Quippe alia materia proxima metalli; alia plantarum; alia animalium sua homini, & quidem uniusmodi, ut & cœteris. Has leges natura sequitur in motu, & pro homine ac perfectiu sexum etiam distinxit, iisq; legibus oriuntur perfectiora semper, nisi cum leges suas deserit Deus pro placito suo, ut quando filium suum ex virgine sine mare nasci voluit.

Singularum rerum sunt certa principia.

Natura in rebus conditis est finita. In cœteris hoc est perpetuum, quoniam natura in creatis rebus finita est, & finita habet principia, & sicut ad unum determinata est; ita

uno motu progreditur sibi peculiari, non aliquando in arboribus homines gignit, in utero plantam. Sed ut materia propria, ita determinatum in specie producitur, ut solius infinitæ virtutis sit, ex quacunq; materia quodvis producere, ex limo hominem, ex osse mulierem. In natura unius speciei uniusmodi materia est omnium hominum, omnium elephantorum & leonum & piscium. Falsum igitur ex alia materia, gigni perfecta animalia posse, quam ex semine singulis in specie sua conveniente. Magis hoc de homine verum est, cujus constructio operosissima est, ob tàm diversus, mollesq; ac delicata partes, quales è terrea massa fieri omninò nequeunt. Quod si efficientem causam consideres, minus consentaneum est hic perfectorum ortus. Aget solis calor in materiam subjectam rudem, informem, mortuam. Alterabit credo, at non satis est ad tantam membrorum varietatem, quanta in istis est. Secernat ille, rarefaciat, extendat, contrahat, objungat, incrasset materiam. Vt verò tot partium figuræ, & situs, & numerus, & cœtera ab eo promanent, fieri non potest. Securis lectum non facit, faber facit, nec ignis gladium aut clavum, nec calor ille oculos, epar, cerebrum: ab anima hæc dependent in materia existente. Blandus præterea calor hic sit necesse est, & temperatus, æqualiter & sine intermissione agens. Non est eiusmodi cœli calor, Nunc

Non possunt homines fieri ex terra naturaliter.

Sol in hominis ortu quid possit.

Cœli calor minus potest quã animalium

vehemens est, cujus debilis, occultat se sol sæpius, & quasi ab opere fugitivus discedit, ut vix eis satis sit, quæ & paucis, & non multum differentibus partibus constant: Quid quod alicubi ob debilitatem ne potest quidem quicquam gignere; ne fruges quidem, etiam ubi homines nascuntur. Sive igitur causam in materia quæras, sive agente illo, parum effeceris subsidij ad hanc quidem sententiam tuendam.

Avarrhoes quomodo se opponat huic opinioni.

Rejerunt hanc adulterinam Philosophiam multi ex acutissimis, inprimisq; Averrhoës, qui in 8. Physic. comm. 46. inter cætera habet hæc: Avicenna dicit possibile esse hominem generari à terra, sed convenientius in matrice, & iste sermo ab homine, qui dat se scientiæ, & valdè fatum. Quoniam si esset possibile, ut homo generetur à non semine hominis, tùm de necessitate ille homo

Formæ diversæ sunt in diversis materijs.

diceretur homo æquivocè cum isto homine, quoniam quando materia fuerit diversa, diversa erit & forma, aliàs neq; materiæ essent rerum propriæ, neq; formæ propriæ, & tùm quodlibet generaretur à quolibet, & in quodlibet, & tunc universaliter, materiæ essent otiosæ & superfluæ. Ac si esset possibile, ut homo generaretur à terra, sicut vermis, aut esset necessarium id fieri, aut frequenter, aut rarò. Si necessariò, tùm homo ab homine omninò non generaretur: si magna ex parte, tùm homo generaretur ab homine minori ex

parte.

parte & varius: Quod si raro & casu, tùm eadem species inveniretur à casu & à natura producta. Sed quod casu fit, ei oppositum est, quod à natura est, ac ita rursus respectus tolleretur causarum ad effectus, & sic natura necessarij tolleretur. Thomas de Aquino peculiari discursu istos impugnat in 1. parte quæstionum suarum. Nam cum istis vellet occurrere, tantò id commodius se facere posse judicabat, si verba ipsorum prius referret. Quod fieri, inquit, potest virtute creata, non est necessarium à Deo produci. Sed corpus humanum vi cœli potest produci. Nam & quædam animalia ex putrefactione generantur sola cœli virtute agente. Quid igitur necesse fuit, hominem immediatè à DEO fieri? His ita resistit. Animalia perfecta, quæ ex semine generantur, sola vi cœli generari non posse, licet suo modo ad eorum ortum concurrit, juxta illud 2. Physic. Sol & homo. Nam in perfectis locum temperatum exigi, ad imperfecta tantum materiam dispositam.

Casus & natura opposita sunt

Thomas de Aquino.

Manifestum igitur plura ad perfectorum, pauciora ad imperfectiora requiri. Fieri etiam nullo modo posse, ut is cœli status aliquis sit, qui ex limo terræ formare homines valeat, aut si hoc possit, cœlum etiam cætera efformaturum, quæ præter naturæ ordinem fiunt, ut resuscitare mortuos, cæcis visum tribuere.

Plura requiri ad ortum perfectorum quam imperfectorum.

Vtrumq; est virtutis infinitæ, & creare, & aliquid ex materia nõ idonea facere.

Non enim maioris virtutis est, cadaveri vitam dare, & corpus, quod non est, ex materia non idonea facere, & animam vitamq; communicare. Hominem igitur primum creatum, cæteros naturali generatione produci, in qua activum principium virtus formativa sit in semine existens in iis, quæ ex semine generari solent. quam virtutem virtus cœli præbet iis, quæ ex putrefactione oriuntur, materiam præbente vel elemento aliquo, vel alio ex elementis composito.

In prima quidem rerum formatione principium activum fuisse Dei verbum, quod animalia omnia ex materia illa creata produxerit, vel in actu, vel secundum virtutem, non quod aqua vel terra in sese habeant producendi animalia facultatem aliquam. Hæc ex illius sententia. Nihil opus pluribus in re manifesta. Quod si certum seminium suum habent animantia, & sexus constitutus est, & locus definitus, quid alia vi ad propagationem opus esset? Nihil agit temere natura, quia sapiens est: Et verba illa in Genesi quid aliud volunt? Multiplicentur singula iuxta speciem suam. Itaq; in diluvio cum mundus periret, ne per solem & terram restitueret genus hominum, voluit superesse aliquos, per quos illi multiplicarentur, itemq; fecit de cæteris animantibus perfectioribus. Eo fine arca condita & servata in undis. Quid delectabat ea cura, si enasci è limo bere

boves, homines, equi poterant γαίας φθιμένης σηπομένα τέκνα. Galenus etiam in libro de

Galeni sententia.

semine eum errorem discußit, cum scriberet perfectum animal intra se concipere absq; alterius miscella esse impoßibile, sed posse imperfectum. Quod si hoc intra ipsum animal non fit, minus extra id fiet. Itaq; quod ingeniosißimus nostri temporis Philosophus quidam scripsit, insaniæ simile est, putare è terra nasci homines posse, & Christianæ religioni adversum. Iam si de homine negatum sit eum cœli vi gigni posse, videtur etiam de monstris non admittendum. Est enim monstrum imperfectum animal. Nam quibus ex principijs perfectum nascitur cum integra sunt, ex ijsdem si corrupta, & motus earum solutus, monstra fiunt. Dicunt Astrologi, hoc esse in astris positum, ut figuras fœtui pro natura sua & facultatibus imprimant, dum in utero est. Viventium enim corpora nunc tument succo ad cœli lumen, nunc considunt, & marcessunt recedente humore, ita immutari hoc aut alio modo fœtum.

An verum sit fœtus figuram cœlitus imprimi.

Hæc etiam eradenda sunt. Ita munitus intus Embrio est, ut si cætera omnia lædantur ab aëre, ad uterum nulla aut minima læsio pertingat. Communicatur autem aëri primum, quod ab eo influit. Deinde fac lædi posse, quæ est autem cœli constitutio, à qua figuræ imprimantur, aut impressæ delcantur? Si illa formant, cur non omnes à cœlo

formæ sunt? Si hæ tantum, cur non usitatæ potius, quam istæ raræ & conturbatæ? Et quid erit virtus informans in semine, unde tantæ similitudinis cum parentibus vestigia? Et ut accipiat aer qualitates primas à cœlo, possúntne earum excessus tantum in ipsa corpora? At excessus illi singulis annis sunt in utramq; partem, parùm nocent ad formam, ad numerum, magnitudinem, situm, continuitatem. At dicent, à tota substantia, vel occulta vi influere. Primum hoc dicant, quid illud occultum sit. Nam non immeritò hoc ab illis jampridem postulatur. Sit autem aliquid. Cur gravidis solis nocet, ac ne his quidem omnibus, sed aliquibus tantum iniquius cœlum est, dat veniam cœteris. Cur etiam figuram tantum non vitam adimit? Nihil ergo in horum dogmate est, quod non contemptum potius quàm admirationem mereatur. Sunt ab Hippocrate multæ aëris admirabiles constitutiones descriptæ, à quibus varia incommoda in corporibus existunt. Nulla unquam observata, quæ monstra produceret, ut ranas, mures, locustas, dicit Aristoteles. Tàm illa gigni cum generationis principia corrupta sunt: Quod principium in his cœlum vel aër est? neq; inter causas proximas hominis ulla cœli mentio facta est. Nasci, ægrotare, mori possunt homines, quovis anni tempore, sub quovis cœlo, non possent, si animæ à sinu ipsius effunderentur. Quid igitur

Aer non est hominis principium.

igitur adjungunt, quod ita remotum est? Possunt multum in corpora anni tempora, meatus aperiunt, refrigerant, exiccant, calefaciunt, alterant, ac formari ab ipsis corpora saltem plantarum. & figuras in nascentibus mutari, nulla neque ratio neque observatio nos cogit credere. Itaque totum hoc pro figmento habendum est.

At nascuntur monstra sub sidere tali? Credo. At nascuntur nihilominus, etsi absit: Nec nascuntur cum idem sidus redit. Si qui oriente Orione nascitur, naufragus fit, qui non fit naufragus, non natus erit sub Orione oriente. At fit utrumque. Multi pereunt naufragio non sub hoc sidere nati. Multi verò sub eo nati, non tamen ita mortui. Idem planè de his est judicium. Solvitur astrologorum paralogismus.

Primam autem poëtæ videntur huic opini onis originem fecisse, qui solent veritatem fabulis involvere. Dixit Poëta: Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem, unde homines nati durum genus. Id ex historijs verè interpretationem habet. Fuit is Thessaliæ rex, qui, cum esset magna aquarum inundatio cum uxore Pyrrha in altissimos montes & scopulos securitatis causa confugit. Hic cum inde aquis dilapsis redijsset, è lapidibus dictus est humanum genus reparasse. Origo opinionis è fabulis. Teucalion

Nam

Nam ipse in lapidibus conservatus, ut ille in arca, propagationi novæ servijt 1. Georg. & Ecl. 6. Talis est & fabula de Tage terræ filio. l. 1. Boccatij cap. 12. è quo & interpretatio peti potest. Iucundiora sunt etiam in Luciano, de genere hominum arboreo, quæ oblectant magis, quàm hæc seria, & minus nocent. Quod autem de avibus est apud Gesnerum ex putrefacta avium malo & tignis enatis, primum id dubitanter recitatur ab autoribus. Tum etiam ad propositum parum facit. Nam si qui ita editi sunt homines verè, non minus credemus, quàm illi de avibus.

Tages.

CAPUT XXIX.

Frequentioresnè degenerationes monstrosæ in plantis eveniant, aut animalibus: Cardano illud placuisse: sed sententia eius multis argumentis reiecta: Additur & monstrosorum nominum catalogus.

Non sunt plantæ animantia.

ANIMAL & animatum non idem significare in hoc loco volumus, nec plantas animantia facimus, quoniam verum non est ea inesse plantis, quæ animalibus, etsi ita Plato, & Pythagoræi, & Plotinus senserint, aliiq; nobiles Philosophi, qui eis sensum & appetitum & sexum, multaq;

[illegible] alia tribuant. Anaxagoras etiam spirationem; Et si in ea sunt, quoniam omnino imperfectius, aut etiam imperfectissimè insunt; liceat discriminare in proposito animal à planta. In utrisque autem degenerationes & morbos reperiri, & autoritas Aristotelis ac Theophrasti; & ratio convincit. Sunt enim à Theophrasto in ijs libris, quos de plantis scripsit, multa enumerata, quæ non modò interitum afferre possunt: sed affectuum omnium tùm externorum tùm internorum originem persecutus est, & quomodo utrumque ijs insit, & præter & secundum naturam. Præter naturam discessus & perturbatio rei, quæ secundum naturam sit. In quinto libro de causis plantarum [illegible] morborum initia, sicut & in animalium genere vel extrinsecus vel intrinsecus contrahi docet, & corruptionem dari posse, aut in totum, vel [illegible] fructificent: Intrinsecus cum nutrimenti, copia vel inopia fuerit; aut qualitatis plus minúsve [ac]cesserit: Extrinsecus cum figura supra modum, [u]t æstus, aut imbres, aut squallores, aut aliqua [c]æli gravitas fuerit, quæ pleraque animantibus etiam incommoda vimus, ut dubium non sit multas [a] plantis corrumpi posse etiam sub primum ortum, ut in nobis. Sed an monstrosæ sunt arbores [a]liquæ (quanquam de hoc non videtur esse controversia) & frequentius ne in his, quam in animalibus id evenit; ut in monstrum sit transitus?

Etiam in plantis morbi.

An plantarum etiam monstra.

de

de posteriore hic tantum, de priore nihil necesse est. Igitur quæ multis communia sunt, ea alijs quidem sæpius, alijs rarius eveniunt: Aqua congelari potest, at mari & fluminibus diversimodè: Molam gestare animalium est. At id homini si non soli, at sæpissimè accidit, cum mulieres omnium animantium maximè uteri affectionibus sint obnoxiæ, & menstruis abundent, nec possint ea concoquere. Ita frequentiora non sunt monstra in plantis vel animantibus: Et si in alterutro, quam ob causam? Non una de hoc sententia est, ut in multis alijs. Videtur Aristoteles ita sensisse, plura fieri in plantis monstra quàm animalibus, cum scribit 2. Physic. comm 83. Si monstra in animantibus inveniantur, quorum majorem rationem habeat natura, quantò magis id in vegetabilibus fieri posse. Ea verba ita accipit Averrhoes, ut sit argumentum à majori ad minus. Nam si id ei inest, cui minus inesse videtur, multo magis illi, cui magis. Quod si cavere natura errata in animantibus non potest, in quibus perficiendis laboriosius agit ad perfectionem, multò minus in plantis id efficiet, de quibus minus sollicita est. Ordo enim ut idem ait, magis est in animalibus quam plantis. Sed illa verba, cum recte perpenduntur, non tàm hoc probant, quod hic volumus: an frequentiora sint in plantis, sed hoc tantum: in utrisq; æquè fieri posse, ut in monstra perver-

Num frequentiora monstra in animalib9 vel plantis.

fantur. De quo nulla quæstio est. Nam in utroq; monstra agnoscimus. Cardanus verò disertè hoc ait, plures in plantis errores admitti, quàm in animantibus, quoniam sint viliores. Inde fit, inquit, ut in parvis animalibus, in ijs, quæ è materia putrida gignuntur; in piscibus, in metallis plura abundent, velut in plantis: sed potest secus videri non levi fundamento, plura scilicet in animantibus errata admitti propter naturæ impedimenta in formandis ipsorum corporibus posse, quàm plantarum. Cardano Plura non stra in plātis quàm animalibus.

Non esse veram sententiam.

1. *Ac primum quidem illud est manifestum, in naturali ortu alia quidem paucioribus;*
2. *alia pluribus constare principijs. Deinde & hoc alterum: operosiorem esse elaborationem eorum, quæ à multis sunt, quàm quæ à paucioribus. Deniq; & hoc tertium.*
3. *Vbi magna est causarum varietas ad unum motum, plura impedimenta obijci posse, quibus motus turbetur, quàm ubi simplex, & unius modi ab una causa motus fit. Multæ sunt in animalibus actiones, lædi omnes possunt, illa autem maximè, ad quarum absolutionem pluribus opus est. In videndo facilis & frequens lapsus est, quoniam ut incorruptè videas multa esse benè disposita oportet objectum, oculum, spiritus, distantiam, medium: In audiendo non item, sicut & in scribendo facilior erratio est, quàm in orando, & in loquendo, quàm apprehendendo, in sanguificatione, quàm masticatione.* Multa facilius turbantur, quam unum, & pauca.

VIII

1. *Vbi enim unum tantum contrarium est, minor etiam offensio, quam cum uni plura contraria sunt opposita. Ergo cum in animalium perfectiorum inprimis ortu multa requirantur, quæ absunt in plantis, nihil absurdum fuerit credere, contrarium accidere ei quod Cardanus observavit. At cur frequentius erratur in animantibus quam plantis? Vtraq; oriuntur è semine: sed stirpes ex uno & solitario, animalia ex duplici; in quorum altero si vitium tantum insit, jam satis est ad peccatum in fœtu formando. In illis, si unicum semen vividum sit, sufficit: in nobis utrumq;.*

Causæ cur facilior lapsus in animantibus.

2. *Præterea in uno illo plantarum semine sive id seratur, sive surculi sint & virgulta activum & passivum inest principium; in animalibus plerisq; unum in uno, alterum in altero. Rursus igitur plura corruptionis principia.*

3. *Accedit tertio excrementorum copia in animalibus dum uterum gestant, quæ nisi aut ante expurgentur, aut aliter absumantur, fœtus contaminatione fit deterior.*

4. *Quartò: Multa etiam possunt alia intervenire in animali, quæ in planta non possunt: ætas ad generandum, vel nondum, vel non amplius idonea, aut saltem ad concipiendum. Semina jam morbo, jam ætate affecta ad sobolem lædendum satis sunt: Temperamenta verò quàm diversa*

non-

nonnunquam sunt in mare & fœmina, cujus tanta est vis, ut ne generent quidem nihil, sed in aliis possint, ob exuperantiam & intemperatam corporum constitutionem. Auget periculum, quod ferè sciuntur certa tempora serendi & seminandi, occasionesq; pro stirpibus propè peculiares. In animalibus si non ignorantur, non observantur tamen. Quodlibet enim tempus videtur serendo animali oportunum. Generant enim aliter atq; aliter affecta animalia, homo in primis, modo ebrius, modo iratus, nunc alio modo perturbatus, quæ singula multum valent. Nec omittenda, quæ foris objecta sensibus internos motus turbare possunt. Nihil eiusmodi in plantis evenit, ut mirum sit persuaderi cuiquam potuisse, hoc de frequentioribus in vegetabilibus erratis.

Considerentur deinde, quæ ante oculos sunt. Fuitnè unquam observatum, ita degenerasse plantas ex causis naturalibus? (Nam artem excipio, quæ transmutare naturas variè potest) ut fructum speciei suæ convenientem non protulerit, sed alienum ac plane diversum, pyra dico, ut è poma nata sint, è pyris poma, ex persicis uvæ, sicut ex homine nonnunquam videmus serpentes, ex porco & simihominem. Hæc specierum permutatio & mirifica σύμμιξις animalibus frequens est, non plantis. 5.

Postremò quanta est in plantis & fructibus 6.

similitudo, ut cerasum à ceraso non internoscas? Hominum contra tanta dissimilitudo, ut gemelli etiam ex iisdem parentibus nati, uno initu, sub eodem sidere eodem nutrimento alti, nullo modo facie, moribus, valetudine correspondeant. Albertus etiam favit huic sententiae, causamq; in semen transtulit, quod in animalibus humidum, fluidum ac molle est, atq; ob id citius à causis contrarijs immutari depravariq; potest. Nam resistit minus quam plantarum quod durius & siccius est, & ad patiendum ob id minus idoneum. Quod verò obijciunt monstrositates in vegetabilibus non ita facilè agnosci, ut in animantibus, quod minus omnes species plantarum notae sint, parum id virium habet. Cur enim magis id de plantis, quam de animalibus verum est: An horum species ita exquisitè sunt investigatae à quoquam? Certe tutius stirpium quam animalium maximè bestiarum naturas discimus? Non mordent plantae: Quin ita multa latent, ut si quando ex raris quippiam offertur, existimare possimus cum monstrosum vere sit, non esse tamen monstrosum ob naturam eius in specie tota non animadversam.

Solvitur objectio.

Ipse etiam Philosophus cum de monstris ex professo ageret animalium solorum meminit. Caetera praeterijt. Haec omnia ut manifestiora fiant, age pro sententiae nostri stabilimento Ca-

talogum quendam monstrorum subijciamus, tot nomenclaturas continentem, quot nemo unquam in plantis animadverterit. Sunt enim inter cætera hæc insignia, quibus depravationes & affectiones præter naturam in toto & parte, & quidem enormiores ac plerumq; nativæ, non adventitiæ designantur. Gigantes Longurio, Pygmæi, nani, pumili, macrocephali, crassi, Macrini, Cilolones & Φόξοι, Myconij, Frontones, ἐυρυμέτωποι, cæci, coclites, et unoculi, μεσόφθαλμοι strabones, Pæti, exophthalmi, Flacci, Brochi, Contuoli, Nasones, simones seu simi, silones, labeones, dentones, Flacci, gutturosi, Gibbi, ebstipi, repandi, Pansæ, loripedes, vari, valgi, vatij, compennes, pedones, macropodes, Myscelì, Attæ, Scauri, Sedigiti, Scænæ, depyges, Mutij, Balbi, Trauli, ancynoglossi, sedigiti, longimani, unimani, Hircy, Coxones, Hermaphrodyti, eunuchi, infinita sunt etiam alia, & adeò quotidiana in animalibus sæpè cum jactura, & tædio possidentium. Quid ad hæc tàm multa, uredo, rubigo, carbũculus, sphacelos, fungo, luxuria, nodi, Pani, centra, quorum quædam non nativa sunt, sed aut è Solis exustione, aut vi tempestatum, aut imperitia, non naturæ aut primordiorum culpa accidunt.

Catalogus monstrorum in animalibus.

Itaq; longè abesse possumus ab opinione illa, qua creditur, eò frequentiores esse errores

naturæ in plantis, quo viliores, sicut & in animalibus ex materia putrida. In operosioribus rariorem esse frustrationem, & degenerationem. Certè nec observationes suffragantur etiam superstitiosæ, nec ratio ipsa.

CAPVT XXX.

Quibus in animalibus monstra frequentiora, ostenditur in multiparis: Causæ ex Aristotele duæ afferuntur.

IN 4. *de gener anim, c. 4. sunt inter cætera*
1. *& hæc. Primum ex animalibus quædam fre-*
2. *quentius parere monstra, quædam rarius. Secundò in iis, quæ plura pariant magis id fieri, in iis quæ*
3. *pauciora minus id accidere. Tertiò crebrius in avium genere, quod partus numerosus sit, potissimum in gallinis, quod iis partus sit numerosus, non modò quod sæpè pariant, ut columbæ, sed & quod plures conceptus simul in se contineant, & omni-*
4. *bus temporibus coëunt. Quartò causam addidit: Fieri hoc; quod vicini plerumq; conceptus rupto*
5. *interstitio confluentes cohæreant. Quintò: apibus minus fieri, quod in discretis cellulis partus continentur: serpenti minus propter uteri longitudinem. Postremò homini quidem rarius, quoniam*

niam solitarium ferè edat. Frequenter pro loci commoditate, ut mulieres in Ægypto: Ex quibus patet utrumq; 1. quibus in genere ut plurimum eveniat, monstra parere, nimirum multiparis. 2. Quibq in specie, ut avibus, gallinis. Id igitur evolvendum est. Animalium quædam unipara sunt, quæ unum fœtum uno partu edunt, alia multipara, quæ non modo geminos, sed & plures. Unipara ferè grandia sunt & solipeda. Paucipara quæ bisulca, multipara, quæ multifida. Grandia illa ut elephas, camelus, equus & reliquæ solipedes, quæ partim sunt maiora cæteris, partim longe magnitudine superant, etsi probabile erat, plus ijs seminis inesse, quod pluribus fœtibus satis esset, singulos tamen pariunt, quoniam magnitudo facit, ut succus omnis in tantam corporis molem absumatur, neq; gignendis, alendisq; pluribus sufficiat.

Animalia alia alijs frequentius monstra pariunt.

Unipara.

Præterea, quæ magno sunt corpore, eorum fœtus etiam grandes sunt pro sui generis magnitudine, ex quo fit, ut elephas unum tantum gestet, sed vituli magnitudine. Homo cum omnibus generibus ambigit. Nam & uniparum & pauciparum & multiparum interdum est, sed maximè sua natura uniparum. Hinc etiam tempus ferendi uteri enorme unum hoc animal sortitum est. Cæteris enim unum est tempus, homini plura, quippe cum & septimo mense & decimo nascatur,

tur, atq; etiam inter decimum & septimum positu. Sed quæ numerosè pariunt, duorum generum sunt. Nam aut ideò numerosè, quia sæpè pariunt, etsi paucos uno partu: aut quia uno partu Columbæ. *multos. Sæpè quidem concipiunt columbæ. Vno partu multifida: ita visum fuit naturæ agere, ut species conservarentur. Nam quæ brevi tem-* Cur quædam multipara. *pore viverent, ea numerosè ita esse voluit, ut copia vitæ brevitatem compensaret, ut sunt pisces, aves, sues, canes. Quæ autem diu viverent, ea pauca procrearent, cum temporis amplitudo rei, quam natura spectaret, satisfacere posset, ut in Elephantis, cervis, cornicibus. Quæ verò deniq; mediocriter viverent, ea mediocri partu esse voluit. Idem propemodum in stirpibus accidit, quæ si annuæ tantum sunt, seminis copiam habent, ut triticum, milium: Cætera diuturniora parcius. In 3. de gen. anim. c. caussam attulit* Cur parva fœcunda. *Philosophus, cur parva perfœcunda essent, sicut & in plantis minoribus. Quod enim incremento corporis deest, in excrementum seminale exundat: quamobrem gallinæ hadriana multa admodum pariunt. Fit enim propter corporis exiguitatem, ut alimentum ad partitionem sumatur. Vulgares gallinæ fœcundiores sunt generosis. Corpora enim alteris humidiora, alteris grandiora & sicciora. In 1. autem de gen. c. 8. rursus: de piscium fœcunditate. Ergo triplex est animantium*

tium differentia, quædam singula pariunt, ut Elephas. Quædam multipara, ut aves parvæ. Quædam mediocria inter multipara, & paucipara, quorum & corpora sunt mediocria, & plerumq; bisulca. In hiis quæritur, quænam ad generationem monstrorum maximè sint disposita. Statuit Philosophus fieri in ijs, quæ plura pariunt. Quæ animalia pariant frequentius monstra.

Pauciora verò quæ pariant, ijs rarius evenire. Sed huius rei causa invenienda est. In probl. 16. sect. 10. Philosophus causam numerositatis tantum attulit, quod illa uteros multos totidemq; formandi loculamenta quibus impleri percupiant, quibusq; semen genitale dividendum, continerant. Sed hoc non quæritur, verum cur hiis monstrorum partus frequenter eveniat: Id autem & loco quem supra allegavimus ex 4. de gener. tùm alio sect. 10. probl. 60. ita est explicatum. Cur inquit monstra parvæ quadrupedes pariunt: homo autem grandesq; animantes minus, ut equi & asini. An quod parvæ longe sunt fœcundiores quàm grandes? Illarum enim aliæ omninò singulos pariunt, aliæ magna ex parte. Monstra autem tum confici solent, cum plura semina inter se cohærescunt, confunduntúrq;, vel cum prodeunt ex mare, vel cum se in fœmina permiscent, unde aves etiam monstra edere possunt. Ova namq; vitello geminato pariunt. Cur parvæ quadrupedes frequenter monstra pariunt.

Monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla interiecta membrana distinguuntur. Et hæc ipsa causa in 4. de gen. anim. disertius est posita: cum causam in materia ex toto constituendorum conceptuum esse ostenderet. Cohærere enim conceptus, quoniam in propinquo esset alter alteri, sicut arborum fructus complures. Quod si enim vitella distinguuntur membrana, gemini pulli discreti, sine ulla supervacua parte generantur. Sed si vitella continuantur, nec ulla interiecta membrana disterminantur, pulli ex ijs monstrifici prodeunt corpore & capite uno, cruribus quaternis, alis totidem, quoniam superiore ex albumine, & prius (Vitellus enim pro cibo est) pars autem inferior postea constituitur, quanquam cibus idem indiscretusq; suppeditatur; Sed ibidem quasi prior non sufficeret, adijcit, partum alterum alterius perfectionem impedire & causam genitalem. Ex his locis omnibus causæ potißimum duæ sunt, cur in multiparis frequentius ad monstrositatem fiat degeneratio.

Causæ duæ cur multipara frequentius monstra pariant. 1. *Prima est, quod copia fœtuum plurium perfectionem impedit. Virtus enim distrahitur, quæ ad nimis multa trahitur, ac tùm si satis pro multis non est quicquid ibi gignitur, quodammodo imperfectum est. Vnde & canes cæces generant, & gemelli rarò vitales utriq;, sed alter ut plurimum imbecillior. Huc referantur vulpes, ursi, leæ,*

næ, lupi, è quibus catuli inarticulati quodammodo proveniunt: Sola sus inter multipara perfectus edit. Habet enim ut solum pingue suis stirpibus, ita scropha filijs alimentum copiosum & sufficiens. Aves etiam nonnullæ imperfectos ex parte pariunt, cum quæ parvæ sunt, multos progenerant, ut cornix, pica, passer, hirundo. Deniq; multa proveniunt generationem perfectam ob alendi inopiam, aut virtutis ad materiam proportionem sublatam. Eius generis sunt & pueri, qui septimo mense imperfectiores nascuntur, & aliquando meatibus carent, sed post accrescentes recipiunt: Itaq; & alibi dicebat Philosophus. Multa effici parva posse in eodem, magna difficile esse. Sic multa effici in eodem posse, sed imperfecta & mutila. Mediocribus medium à natura tributum.

Altera causa est, quod in multiparis diversorum conceptuum materia unam in massam rupto involucro, quo distinguebantur, confluit, unde partium etiam & membrorum differentium confusio existit, perinde sicut in plantis videmus, si duo semina in terra vicinitate coaluerint, duplum fit, ut in cucurbitis & fructibus arborum jucundo spectaculo sæpè apparet. Hoc in ijs quæ singula pariunt rarò fit: id enim abest è quo maximè potest hoc incommodum oriri. Possunt hæc Exemplis ostendi, sed nihil necesse est, quoniam a.

superiora possunt satisfacere, quantum quidem pro hoc loco sufficit, &c.

CAPVT XXXI.

Homines frequentius edunt monstra quam bruta: Causæ sunt in varietate partium. Imaginatione, pica, terrore, externis, & quia homo animal nobis notissimum.

EX quo jam alia quæstio oritur eiusmodi. Dixerat Philosophus, accidere monstrosos partus maximè multiparis, minus uniparis. Homo autem in his est, quæ singula ferè pariunt. Sunt tamen in hominibus monstra frequentissima, & variij generis, ut non sit supervacaneum quærere, num alijs ex causis etiam id possit evenire. Et sanè ita est.

Cur monstra humana frequenter nascantur.

1. Partium in homine multitudo.

Ac primum quidem in homine posse frequentiores degenerationes in monstrum fieri, patet ex partium illa multitudine, qua corpus eius constat, quanta nulla omninò est in cæteris omnibus: ut consideranti patet. Nam quæ in cæteris sunt, & in homine sunt, at quæ in hoc, non facilè in alijs: hoc anatomici demonstrare possunt. At ut sint alia, leo, corvus, piscis ex ijsdem, quibus nos communibus principijs, habeantq; ossa,

uti-

nervos, carnem, humores, cor & epar, tamen quæ eadem videntur, tamen primum qualitate & habitudine membrorum differunt, deinde quantitate, tùm numero, deniq; & actione, Multum etiam figuris & accidentibus alijs. Sic in multis lingua & labia, alia tamen in brutis conformatio, quàm in homine, cui ad literarum, sonorum, verborumq; varietatem omnem est accommodatissima. Non loquuntur cœtera. Manus absunt omnibus alijs corporu status erectus est, partium ipsarum summa symmetria. Nam & Vitruvius eam commensurationem in partibus nostri corporis invenit, eamq; analogiam ad justum, ut cum mundo simile quid videatur habere. Vt enim terra medio mundo loco posita est, & ad universi complexum centri rationem obtinet. Ita in homine umbilicus est à quo quasi puncto medio, si circulus in plano describatur, manibus pedibusq; expansis, extrema utrinq; exquisitè attingi manifestum est, quod nobilissimus ille Germaniæ pictor Durerus observavit, & alij post hunc, & ante ipsum nonnulli, Quid? quod quadrata designatio observata in eodem corpore est, ut si à vertice ipso capitis linea longitudinis puncta terminans ad plantam pedis ducatur, ea alteri latitudinem dimetienti prorsus æqualis esse deprehendatur. Sitq; eadem hominis & longitudo & latitudo. Ex quo omnino operosior hominis, quàm ullius animantis præ-

Diversitas partium in animalibus.

Mira commensuratio partium in homine.

Durerus.

In homine quadratum.

ter hunc prima elaboratio, neq; injuria, quippe animæ nobilißimæ convenit etiam organa esse perfectißima. Quod si ita est, dum eo tendit conatus naturæ, nihil mirum, si exorbitet ad impedimenta multiplicia frequentius, quàm in cœteris, quæ minus variam operam exigunt. At fas est opere in magno Homerum etiam aliquando dormitare. Minus erroris in causa fabricandæ, quam theatro, & in fluminis trajectu, quàm maris vasti. Potest hæc una esse causa, cur multa in hominibus monstra generentur.

2. Causa imaginatio. *Altera est in imaginatione posita. Nam si verum est eam formam fœtui imprimi, quam in ipso conceptu parentes animo conceperint, cùm maximè varia sit in homine & multiplex ac velox cogitationum agitatio, & idola tùm oblata verè, tùm conficta, nihil mirum fuerit in nostra natura prolem sæpius ad imaginationis vim permutari. Nunquam quiescit animus in nobis, & potentior est omninò vis animi hæc in nobis quàm in brutis, ut dubitari non debeat, in nobis hoc facilius posse, quàm in mutis animantibus.*

3. Terror. *Quantum deinde terror poßit in prægnantibus commovendis, & perturbandis conceptibus non modo abortus docent, sed impressæ iisdem à rebus terribilibus subito formæ absurdißimæ, tantoq; magis, quo imbecillior in hoc sexu animus est & judicium.*

Quarto loco est desiderium vitiosi alimenti proprium mulierum. Nam eo non infestantur alia, nisi quod in nobis utriq; sexus commune est, quoniam & viros expetivisse legimus. Tanta autem malaciæ vis est, ut quarum rerum vorandi cupiditate tenentur gravidæ, si omninò spe sua & voto exciderint; earum notas teneris conceptibus imprimant, eosq; polluant. 4. Pica. Pica etiam virorum.

Quinto sunt & motus varij inordinati, quibus potest lædi fœtus, & solvi naturæ motus, multæq; offensiones aliæ. Nec nihil adjuvat vita otiosa & cellularia. Nam quibus gentibus teste Aristotele mulieres labores suscipiant, ijs nec uterus difficiliter gestatur, & partus faciles sunt. 5. Motus varij.

Postremò cur notiora sint nobis monstra hominum, atq; ob id videantur frequentiora, potest etiam ex eo esse, quoniam nullum ex omnibus nobis notius animal homine. Vivimus enim inter homines, ex ijs nascimur, ab ijs educamur, videmus maximè quid accidere his soleat. Medici verò ad eam solam curam rejecti, ut nihil propemodum latere possit. Ex cæteris quædam tantum nobiscum vivunt, sed sine magna cura nostra, nec quid eveniat, magnoperè attẽdimus Nam ne anatomici quidem ita frequenter circa bruta atq; homines versantur. At de hominum casibus non modo cernere omnia oculis licet, sed quid alibi fiat ijsdem & legimus & narrando ab alijs cognosci- 6. Nullum animal nobis notius homine.

noscimus. Rarißimè id fit in cæteris, utq; multa de animalibus scripta sint, de homine omninò plurima.

Ergo quia plures sunt monstrositatis inducendæ in hominu conceptum causæ, quam brutis. Et quia nullum animal nobis hoc uno notius, ob id aut sunt, aut videntur esse monstra in hominum genere crebriora, quàm in alijs. Nam & absq; hoc nullum animal tot morbis obnoxium est, quam sunt hæc nostra corpuscula, & quidem á prima statim origine.

CAPVT XXXII.

In quo sexu frequentiora hominum monstra generentur: Concluditur in masculo, ob motum, quo legitimum pariendi tempus nonnunquam anticipet.

In quo sexu monstra crebriora.

NON *facile colligas ex tot historijs monstrorum, mares ne an fœminæ frequentius degenerent. Nam & mares multi, & puellæ ita editæ sunt. In duplici autem monstro nonnunquam uterq; sexus deprehensus est, nonnunquam unus in geminis. Est & ubi sexus etiam á scriptoribus non nominatus est, fortaßis quod confusio cognitionem, discretionemq; sexus non admitteret.*

teret. Et quia per se etiam rara sunt monstra, non facilè est dijudicatio. Verum qui intelligat opifici animæ motum ad opus differentem quodammodo esse pro sexus diversitate, & caloris ἐνέργειαν non similem in mare & fœmina, reperiet quod dicat in hoc etiam aliquid. Nos ut ante, Aristotelem sequamur: Dicit hoc expressè in 4. de gener. anim. c. 6. Mares potius læsos nasci quam fœminas in hominum genere. Docuerat eo in loco, viviparorum alia quidem perfectum animal parere, alia imperfectum. Causam in nutritione esse. Posse enim facilè nutriri pauca & perfici intus. At multa non item posse, ob id multipara parere imperfectiora. Mares potius lædi quam fœminas.

Itaq; fieri posse, ut dum recentes sint fœtus, intus utcunq; alimentum sufficiat, sed auctu paulisper ad magnitudinem non satis sit, itaq; partum ob defectum emittunt etiam inarticulatum; nec præter sues ab ullo multos & perfectos edi, ob probam & multam, quæ in eis contineretur alimoniam, sed in parvis & multiparis tamen secus accidere. Sed cum homo in ijs sit, quæ plerumq; unum pariunt, quæri poterat, cur in hoc fœtus non absolvatur. Causa videbatur in hoc esse, quod perfectam generationem præveniant exitu anticipato ob alimenti paucitatem, quod sit in pueris manifestum, qui septimo mense nascantur. Sæpè enim nonnulli eorum pro sua imperfectione

Mas sæpè imperfectus editur.

fectione, ne meatus quidem integros adhuc habent, ut aurium & narium, sed post accrescentes recipiunt, multiq; ex ijs vivere possunt. Mares autem hoc maximè pati, quod in hominibus mas á fœmina calore naturæ differat, quo fit, ut mobiliores sint mares in utero, quam fœminæ. Motu autem ipso frangi vincula & solvi, cum recens quodvis præ sua imbecillitate frangi facilius possit. Itaq; impatientior masculus, cum quid deest, ad necessitatem, etiam cum satis aptus nondum est ad iter, erumpit tamen cum malo suo. Fœmina ut frigidior, minus vegeta ad motum, & diutius se intus continet, quod si & ipsa properat, non perfecta prodit, cujus illud signum, quod qui gemini mas & fœmina in hominum genere eduntur, minus servantur fœminæ, cum in cæteris animalibus nihilo referat. Hominibus enim pari tempore mas & fœmina non discernuntur.

CAPUT XXXIII.

Quibus locis frequentius nascantur monstra. Cur in Aegypto. In Africa. In mari. Ad loca maritima.

Alia alijs in locis fiunt frequentius.

SUNT *quædam regionum propria, & alia aliud in bonis possident, itemq; in malis, hic segetes, illic veniunt felicius uvæ, arborei fœtus alibi*

alibi atq; iniussa virescunt Gramina. Theoph. lib. 9. de plantis cap. ultimo, habet, esse populos quosdam, qui à vermibus non infestentur. Phryges autem & Thraces his abundare. In Anglia olei, & nucum penuria. Virg. in 2. Georg.

Divisæ arboribus patriæ sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis
Quippe solo natura subest.

An igitur sicut cætera suis locis gaudent; ita alibi etiam monstra frequentiora sunt. De Ægypto & Affrica est apud Aristotelem, ut in ijs, inquit, quæ plura pariunt magis: sic in ijs, quæ pauciora minus id accidit, quocirca homini minus. Singularem enim perfectumq; parit: Nam & homini locis quibus mulieres perfœcundæ sunt, magis id evenit, ut in terra Ægypto. In 7. vero histor. ani. ait: Cum aliæ singulos pariant, aliæ plures, genus humanum in ancipiti est. Nam & quod plurimum fit, & plurimis in locis, mulieres singulæ singulos pariunt, sed sæpè & locis plerisq; geminos etiam, ut in Ægypto fieri certum est, pariunt etiam tres & quatuor, & quidem locis nonnullis valdè ita fit, sed quinq; utplurimum nascuntur. In 8. sic: In Ægypto aliqua maiora sunt, quàm in Græcia, ut boves & oves, aliqua minora, ut canes, lupi, lepores, vulpes, corvi, accipitres, aliqua magnitudine pari, ut cornices, & capræ, cuius causam cibo attribuunt, quod alijs largè, In Aegypto fœcunditas.

alijs

Animalia cur in quibusdam locis nō sint.

alijs parcè fit,ut lupis & accipitribus, Carnivoris enim parum cibi suppeditatur propter raptus,qui vivunt,penuriam. Paucæ enim ibi aves. Cœteris quod nec nuces, nec poma diuturniora. Ibidem cœli & loci situi videtur fœcunditatem tribuere: Sanè hic ubertas in causa est Philosophe. Quanquam mirum videri poterat, ex eo monstra evenire. Nam fœcunditas vires desiderat & naturale robur & ætatem durabilem, & loci salubritatem. Quid hæc ad monstrorum ortum? An sic hoc accipiendum est,ut antea ostendimus. Copiam fœtuum in multiparis absolutionem impedire, cum distracta virtus ad plura omnium formationi non sufficit. Id cui evenit & enormiter, monstrum fit. Possunt deinde hic etiam conceptus plures,ruptis interstitijs,confluere,& dissimile quid nasci, quod non potest in his esse, qui singuli tantum concipiuntur, quod fit etiam in non valdè fœcundis. Cardanus duas causas attulit,cur in Ægypto fiat. Primum quod fœminæ uno partu plures edant infantes, ideoq; tùm ex imbecillitate, tùm concussione fœtuum invicem lædi quadam: Id autem est,quod diximus. Altera: vivere ibi monstra facilè tàm in utero, quàm extra uterum ob aëris salubritatem, unde & ibi nascantur octimestres, & plura ex mulieribus,quàm ex alijs animalibus monstra nasci. Atq; hæc quidem causa, cur monstra fiant, non docet,

Cur in Aegypto monstra frequentius. 1.

2.

sed

sed unde vitales sit, quod ad aliam quæstionem attinet: De Africa & res ipsa & causa est exposita in 2. de gen. anim. c. 5. Adhæc quod de Africa in proverbio est: semper aliquid Africam novi afferre, propterea dicitur, quod diversa etiam genera coëant. Nam ob aquæ penuriam terræ illius etiam alienigena copulantur libidine, cum in loca paucissima irrigua congregentur, sed cum cætera sic orta, rursus ipsa inter se coëant, generareq́ possint, genus unum mulorum sterile est. Atq́ hæc quidem causa ex superioribus etiam perspicua. Cur in Africa.

De mari & locis maritimis etiam quæratur. Mare nominavit Cardanus monstrorum parentem, sed reprehensa est sententia, ut Philosopho indigna. Non enim quicquid ibi est rarum, & à nostris formis discrepans, monstrum est, & præter naturæ opus, Habent enim ibi omnia certas formas suas, nec παρεκβάσεις sunt. Tamen multiformiera gigni in mari, quam alibi est in 3. de gen. c. 11. ideò quod humor habeat naturam, ad effingendum formandumq́ habiliorem, quàm terra, magis etiam quia corpulentum est humidum, & sua natura calidum, ut particeps omnium partium sit, videlicet, humoris, aeris, terræ. Fortasse & mobilitas loci esse in causa potest, Sed non quia mira ibi sunt & generantur, ob id etiam monstra. Cur in locis maritimis & mari.

Non quicquid rarū, monstrum est.

Non enim negas circa hoc tantum. Dixit tamen Poëta: Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus. Certè quod in mari fit, omnisq; ibi ortus propemodum à nostris sensibus remotus est, ut dici vix possit, quid ibi secundum naturam fiat, quid præter hanc: Nam Aristoteles fatebatur ingenuè, de piscibus nihil se habere exploratum, & memoratu dignum. Qui tamen maris mirabilia desideret lib. 7. de varietate rerum Cardani legat: Cur majora tamen in mari sint, causam tradidit sect. 10. probl. 54.

Cur in mari majora.

De iis autem, qui ad mare habitant, refertur, monstra ab iis ibi frequentissimè in hominibus præsertim, nec potest causa esse obscura, cum ut fit, gravidæ variarum formarum in piscibus marinis novitatem cum stupore curiosius contemplentur, quarum attento intuitu simulacra conceptu imprimuntur; quod credere nihil absurdum est: Cardanus generaliter ita natura esse comparatum pronunciavit, ut monstra cujuscunq; generis ac spectra frequentiam hominum fugiant. Ob id in solitudine plura esse. De quibus hoc intelligat, non satis licet divinare. Nam plerisq; ne licet quidem fugere, pleraq; ita non fugiunt, ut subsidium etiam postulent.

CAPVT XXXIIII.

Monstra alia vitalia esse, alia citò mori: Principia durationis in genere, Qualia monstra non supervivant, aut ætatem aliquam attingant.

Hippocrates de octimestri partu. Multi jam pueri principium morbi intus nacti prodiere, & consequenter alij perierunt, alij supervixerunt. Nos ita distinguamus. Monstra quædam mortua eduntur: quædam vivunt ex toto. Quædam partim viva, partim mortua, omnium exempla obvia sunt. Posterius autem hoc evidens ex Isidoro. Alexandro Magno ex muliere editum fœtum monstrosum, cujus superiores partes hominis figuram habuerint, sed mortuas, inferiores diversarum bestiarum, sed viventes. Addit & Cabulam. Vivunt igitur aliqui fœtus tales, quidam non vivunt, aut ex parte tantum. Narratur de monstro, quod vicesimum annum attigerit. Illud verò quod Augustinus vidit, ita diu supervixit, ut ex remotissimis locis multi, & inter hos ipse etiam, spectandi gratia egreßi sint. Quadragesimum annum attigit monstrosum quidam Lutetiæ, cui ex alvo aliud corpus dependit, sed sine capite, quod factum referunt anno 1530: Quæ causa eius rei esse potest? Isidorus ad divina retulit, deserens naturalia, Monstraq́, ait, quæ in significationibus den-

Monstra triplicia.

Monstrum sub Alexandro.

Monstra quædam vivunt diu.

dentur, non diu vivere, sed continuò, ut nata fuerunt, occidunt. Ita hæc τέρατα legatorum aut fecialium officia funguntur, cum bellum indixerunt, abeunt. De significationibus dicetur postea. Nos in proximis aliquid quæramus. Duratio Philosophis perfectionis & imperfectionis indicium est in plerisq; istis. Quo enim res durant diutius, hoc ferè perfectiores in suo genere putantur, quo brevius, hoc imperfectiores. Ex naturæ enim varietate, & ipsa rei essentia etiam duratio pendet. Quod quanquam verum non est in universum, maximè cum collatio instituitur, inter diversa (quippe cælum durabilius homine est, itemq; metallum, non tamen nobiliora hæc) de individuis tamen in qualibet specie accipi, ut verum, potest, etiam de animalibus.

Duratio rerum.

Quo quid perfectius hoc durabilius, & contra.

Illud vitalius, quod perfectiora habet principia, & econtrario. At ut in omnibus monstris aliquid imbecillum, ita in quibus magna est debilitas, minus vivunt. Itaq; dicebat Philosophus, in quibus aliquid perturbatur, ea corpora, si parum de sua natura discedant, solere vivere, si plus, non solere, videlicet, cum quid præter naturam est, partibus vivendi principalibus accidit. In libro de causis generationis & corruptionis, cum ostendisset in ordine rerum corruptibilium aliam aliis esse mensuram vivendi constitutam à natura, causas attulit duplices diversitatis illius,

alias

alias quidem extrinsecas, alias intrinsecas. Extrinseca cœlum & siderum potestas est, ut docent Astrologi alia vivere felicius aliis, si sub feliciore cœlo essent nata. At illa de speciebus falsum est: intrinsecæ variæ. Sed quatuor potissimum Extrinsecæ.

1. Soliditas corporum, quoniam solida à corrumpentibus minus possunt dividi, mollia facile separantur. Divisio autem corruptionis causa est. Intrinsecæ. 1.

2. Optima calidi & humidi commistio cum terrestri. Sunt hæc vitæ principia, sicut opposita in morte sunt, cum frigescunt & siccantur omnia. 2.

3. Similitudo partium homogeneari. Nam quæ homogenea sunt, ut lapides & metalla, minus facile dissolvuntur. Heterogenea & foris & intus suæ corruptionis causas habent. 3.

4. Est proportio loci continentis, quæ si rei convenit, integritas durat, sin adversa est, citius perit. Nam in suo loco proprio singula conservantur, in alio destruuntur. Certè plantas una in regione vivere, in alia emori videmus. Hæ causæ sunt in periodis diversis rerum, sed admodum generales, & quæ non viventibus etiam competant. 4.

In monstris autem putabat Philosophus ad partes esse respiciendum, eaq; statuit vivere non posse, quibus aut desint præcipuæ, aut enormiter depravatæ. Vivere autem ubi adsint principales, & nulla sine labe. Cur monstra quædam non vitalia.

Sed quæ tandem illæ partes sunt? Galenus aliter in parva arte, aliter ad Glauconem distribuit. Nam in illa temperamentorum differentias voluit ostendere, in his curandi modum tradere. Illud perpetuum: Partes alias esse principes, alias minus principes. Principia quatuor, cerebrum, cor, jecur, testes. Fontes enim virtutum omnium, quæ universum corpus gubernant. A cerebro vis omnis animalis est; à corde vitalis, à jecore naturalis, à testibus gignendi vis in corpus manat, sicut à corde arteriæ, à cerebro nervi, ab epate venæ, à testibus spermatica. Etsi Aristoteli de venis & nervis aliter videtur, sed medicos sequimur.

partium differentia.

Reliquæ ab his trium sunt generum. Aliæ ab his ortæ, aliæ nec aliarum gubernationi præsunt, nec ab alijs gubernantur, ut quæ ingenitas vires habeant, quibus reguntur. Nonnullæ nativas simul & adventitias facultates habent. Averrhoës tres ordines statuit; Membrum aliud movens cætera omnia, sed quod à nullo alio movetur, ob id primum movens in animali, deinde membrum motum ab alio, sed quod rursus moveat alia, quarum proportio ad primum est, quæ monstri ad artificem, & tibiæ ad tibicinem.

Tres ordines membrorum.

Tertiò mota aliunde, sed quæ nullum aliud movent. Horum proportio ad moventia est, sicut discentis musicam ad tibiam. Cor autem primum movens,

movens, quia cœteris motum tribuit pars principalissima est: Reliquæ minus nobiles. His positis principes partes ita se habent, ut insignis earum effectus absq; totius corporis læsione esse non possit. Magis si absint in totum. Itaq; ab illis potissimum tum salutis, tùm signa mortis circa ægros desumuntur, à cœteris non item, nisi aliunde effectu communicato. Læso igitur corde aut inflammato, totum corpus inflammatur, ut in febribus: si abest, ne vivet quidem. Laborat epar, non sanguificat, corpus universum nutriri desinit. Tolle cerebri vim, mortuum & sine sensu corpus erit, sine motu. Ex his quam multa in morbis prædici possunt, salus non speranda, an interitus metuendus. A cœteris ex accidente vaticinium; sic igitur quæstioni potest satisfieri.

Incommoda ex absentia partium principalium.

Primum in quo fœtu pars abest in universum una ex principibus, quæ totum gubernat, aut adsit quidem, sed multum à natura discesserit, fieri non potest, ut quibus id acciderit diu possunt vivere. Anima organica est entelechia, & absq; instrumentis nihil potest, neq; organum verè est, quod temperamento & conformatione absurdum est: Cœtera quæ minus magnum momentum habent in corpore non modo abesse possunt salva vita, sed mutationes etiam, detrimentaq; interius & exterius sustinere, cum plura numero sunt, aut suis locis non posita, ut fœtus tùm vivat, & non-

Quæ non vivant mõstra, I.

nunquam diu vivat. Non fieri autem in omnibus existimandum est: Corde carens, ait Aristoteles, nullum unquam ortum est, quanquam liene carens visum est. Iecore etiam toto carens nullum est notatum, quanquam quod non totum haberet, patuit. Felle item privata prodierunt, cum suæ natura habere deberent, alia contra plura habuerunt. Quod si ergo ex internis partibus principalibus una vel plures desunt, vivere non possunt. Hydrocephalos aiunt plerosq; mortuos, maximè si intus collecta aqua fuerit. Paucos superstites habemus in historijs, quanquam Celsus affirmavit, lõgum hunc affectum esse posse. Qui anum habuerunt non perforatam visi sunt vivere alberto, & Mercurialis Exemplum Hebreæ puellæ habet. Aristoteles de vacca Penichi cui cibi excrementum extenuatum per vesicam transmittebatur incredibili eventu.

Animal non est sine corde.

Hydrocephali.

Anus non perforata.

2. *Secundò, Imperfecti omnes fœtus non vivunt, & non justo tempore editi, aut qui perfici eo ipso intervallo, quod consuetum est, non potuerunt, quod fit tùm alijs de causis, tùm si plures in utero fœtus simul sint, ut si quinq; in muliere, & quibus is numerus non est ordinarius.*

3. *Tertiò non solent vivere, qui ob figuræ corporis absurditatem difficilem partum matri conciliant, ut gibbi, valgi, valij, obstipi, & aliter distorti. Impressæ enim vires sub conatu amittunt,*

in viribus autem vita, quo referamus, & nimia mole partium aut parvitate depravatos. Qui partem umbilico subjectam majorem habent, quàm superiorem continentem ad pectus, vita brevi sunt, & imbecillibus viribus sect. 10. probl. 63. quod venter ob brevitatem frigidus est, & parvam vim concoquendi habet, & excrementis abundat. Morbis autem patent, qui ita affecti sunt. Gibbos facilè mori asthmate observatum est: Et ita Galenus in 4. de locis affectis, quanquam sunt aliqui, qui quadragesimum attigerint, aut etiam excesserint. Interest autem ad vitam, nascantur ne gibbi, an fiant ante pubertatem. Nam eos majore in periculo esse non est dubitandum. Plus enim diuturnitate compressio fit viarum spiritus, & angustia major. Gibbi moriuntur asthmate.

4. *Quartò, quæ corrupta vitiatáq; materia constant, sicut valdè informia sunt, ita & non vitalia, quale illud, quod Basileæ natum scribitur ad annum 1556. puellus capite hirsuto, canem vel catum repræsentans, vix horæ partes duas supervixit.*

5. *Quintò, quæ specie valdè absurda sunt, & diversi animalis membra repræsentant vitales, aut non eduntur, aut citò pereunt.*

Postremò & quæ præcipuas partes binas habent, ut bicipitia, & quæ plures partes læsas habent. Læsio verò etiam enormis, & quidem si par-

tes principales sint: sed non omnes partes animali cuiq; eædem necessariæ æqualiter sunt, aliæ aliis. Itaq; quærebat Aristoteles 67. probl, sect. 10. Cur animantium alia præciso capite, vel protinus moriuntur, vel paulo post, alia minime. Ita autem respondit: vivere absq; capite posse, quæ sanguine careant, & exiguo cibo sint contenta, quippe quæ neq; continuo cibum desiderent, nec in humore calor eorum diffundatur, quibus rebus privatum animal sanguine constans vivere nequit: Illa vero sine respiratione multò diutius possunt, cujus causa est in lib. de respiratione tradita.

Quæ monstra vivere possunt.

Ex contrariis æstimare licet, quæ vivant aliquandiu, aut etiam diu. Si degeneratio non in parte nobili, aut non valdè nobili. Si noxa non insignis, si cætera perfectus fœtus, si pars externa potius quam interna. Quid enim ad vitam attinet valgum aut vacium, aut claudum nasci? modo vivus sit editus, & in partu vires non amiserit. Vivunt & mutili, quibus integra manus deest, vel valdè decurtata. Minus nocet, si quid foris supervacaneum, modo ne rimas naturæ actiones lædat. Summatim res in eo est, si à naturali statu longè non absint: Si non valdè deformia, & excessus aut defectus non insignis. Alexander l. 2. probl. 48. sic ait: Infantes septimo mense editi vivere possunt, octavo non possunt, quoniam

septenarius perfectus est, ut Pythagoras censet, et omnes professores scientiæ numerorum, octonarius imperfectus est. Itaq; quod tunc prodit imperfectum est, minusq; aptum ad vitam, qua ratione etiam monstra nequeunt vivere, quippe quæ non ex consulto naturæ orta sunt, sed imperfecta, vel per inopiam vel per exuberantiam & temeritatem materiæ forma diversa contra naturæ legem pervenerunt: Nihil enim imperfectum vel tempore, vel forma, à natura creari solet. Quamobrem, si quid tale erumpat, id durare non solet. Sed clariora attulimus ex Aristotele, etsi hæc ab his non discrepant, & sana sunt.

Illa verè quæ Theophrastus in hanc sententiam attulit omninò insana, sed placet tamen exponere. Nam in lib. de rerum generatione ita loquitur: Nunc ut porro de monstris doceamus, sciendum, quod monstra in animalibus aut specie animalium ab alijs rebus non à suæ speciei nascuntur, rarò diu vivant, præcipuè si cum alys, & inter alia esse cogantur. Nam & ob nascendi modum & divinum judicium monstra in odio sunt cæteris, qui legitimè nascuntur. Ita monstra ex hominibus nata rarò vivunt, & quæ magis mirifica ac terribilia sunt, hoc citius moriuntur, ut plerumq; inter homines tertium diem non attingant, nisi ilico in occultiora loca ablegentur, & ab hominum conspectu separentur. Sciendum etiam

Paracelsi sententia.

Monstra tertium diem non attingentia.

eiſam Deo abominationem eſſe monſtra, & nullà ſalvari, cum imaginem Dei non habeant. Nam à diabolo ita formata ſunt, & magis in miniſterium impuri ſpiritus, quàm Dei.

A monſtris nihil boni. A nullo enim unquam monſtro boni aliquid factum eſt, ſed mala omnia, & technas diaboli exequuntur, cujus ſymbolum gerunt: Etenim perinde ut carnifex ſolet facinoroſos ſuos notu ſignare reſectione aurium, excœcatione, uſtione malarum, reſectione digitorum, manus & capitis. Ita

Diabolus ſignat fœtus. ſignat diabolus ſuos imaginatione mulieris, quam ex illegitimis cupiditatibus in conceptione concipit: propterea metuendi, quibus deeſt vel abundat membrum aliquod, cum ſit præſagium, & cer-

Monſtroſi metuendi. tus character exquiſitæ malitiæ & perverſitatis ſecuturæ, ex quo vel carnificis gladium ſubeunt, vel ab eo ſtigmate aliquo publicè notantur. Hæc ille ſatis monſtroſè, Nam quæ ſupra de ortu monſtrorum ex eodem retulimus, cum his in toto pugnant. Quod negat vivere, quæ ex commiſtione ſpecierum diverſarum ſint orta, falſum eſt. Nam & mulus vivit diutiſſimè. Magis etiam nugatorium de tertio die, cum multa & menſem & annum tertium ſuperarint. Ridiculum illud de locis occultis. Cur enim in occulto potius vivendi principia creſcunt, quàm in luce? Nulla autem monſtra ſalvari, ubi didicit? Atq; expreſſè docetur, doctrinam ſalutis annunciari, & repleri regnum

ac mensæ domini cæcis, claudis, & variè affectis. Satius est etiam claudum introire in regnum cœlorum, quam integrum. Omnia autem à diabolo formari monstra, supra negavimus, & de cæco nato scriptum est, eum propter Dei gloriam ita esse editum. Sintnè autem monstrosi improbi omnes, & cavendi, peculiari quæstione docebitur.

CAPVT XXXV.

Cur quædam monstra in utero vivant, foris edita non possint vivere. Causa è modo læsionis petita.

OMNIA in suo loco conservari & vivere docent Philosophi. Fœtui quodammodo locus proprius est uterus, non tamen sicut formationis, ita & vitæ sedes est, sicut aqua pisci, aër avibus, sed vivere extra matricem possunt, & quidem maximè, quin & ibi vitam accipit, ut foris vita frui posit. Ad quid enim vita in utero? Et tamen observatum est, sicut in non deformibus fœtibus, ita in monstrosis etiam vivere eos dum gestantur intus à matribus, mori postquam in lucem prodierint: id mirum videri poterat. Quid enim obstat, intus vitalia, etiam foris esse vitalia. Averrhoës causam unam attulit, sed inexplicatam, quoties seminalis materiæ copia tanta sit, ut juxta illius apti-

Fœtus in utero vivere incipit.

aptitudinem geminum membrum nasci possit, si id fiat in parte ignobiliore, vivere intus, foriśq; posse. Sin in parte nobiliori, intus vitæ non obesse, sed foris mori, ac vivum vix partum edi posse. At hoc ipsum quæritur, cur foris nequeat: Causam existimo, quòd quæ verè monstra sunt, iis unum plerumq; ad vitam principium necessarium abest, aut corporis organa insigniter oblæsa sunt, qualia vitæ operationibus non inserviunt. Igitur non vivunt, vita quippe in actione posita est: actio organi convenientiam desiderat. Vivunt tamen in utero? Nihil mirum, quoniam adnata matrum corporibus, vitam, vires, spiritus, calorem, alimentum, cæteraq; ad vivendum necessaria accipiunt. Ac si ut fit in partu à corpore avellantur, unde illa omnia affluebant, vivere non magis possunt, quam pomum ab arbore avulsum, aut piscis extra aquam, aut planta è terra avulsa. Talis enim ferè ibi vita eius. Quoniam igitur in sese necessaria vitæ fundamenta non habent, aut ea insigniter debilitata, vigor alienus periit, atq; ita extinguuntur. Nam convivunt potius, quam vivunt. Aliud est autem vivere, quam convenire. Convivunt, cum alienæ vitæ beneficio fruebãtur. Nunc, quia exiguum in se calorem habent, omnia indigesta permanent. Eodem recurrit, si dicatur, imperfectè ante tempus editos non vivere, sed hoc etiam non monstrosis accidit. Festinatur enim

Cur quædam foris non vivant

exitus ob multa. Sed præter illa accedit, & dolor in exitu, & cum umbilicus secatur, & nova nutriendi natura, aeris etiam natura. Itaq; qui est antea imbecillis, minus his causis contrariis resistit. Certe & plorant statim, & fletu impatientiam monstrant.

CAPVT XXXVI.

Quo tempore potissimum formæ monstrosæ fœtui imprimantur.

R*ES in motu tripliciter se habent, aliæ jam actu sunt acquisita ex motu formæ, à qua res denominationem quandam accipit, ut aqua calida: Aliæ in mera potentia sunt, cum nondum in motu sunt, sed movebuntur, ut dum frigida est aqua, sed jam igni admovenda. Aliæ medio modo se habent, partimq; in actu sunt, partim in potentia, ut aqua calefacta ex parte, sed imperfecte: continuato autem motu, terminum perfectum acquirit. Ita semen principium animalis se habet. Nam cum primum infunditur, in potentia homo est, cum editur, & ante paulo, actu homo. Medio tempore dum format plastes medio modo se habet.* Res in motu triplices.

In horum statuum uno imprimi formas monstrosas necesse est, aut duobus aut omnibus. Non vide- Quando forma mõstrosa imprimatur.

Ee

videtur posse id fieri, cum absolutus est motus, sed media potius via inter summam extremamq́ perfectionem, quam ibi potest accipere, & subjecti potestatem. Dicitur autem motio, vel formatio, quæ momento fieri non potest. Vt igitur primum figuratus est, ita permanere omnia consentaneum est. Nam primum ductum sequuntur cætera: Vt enim si quis oleum vinumve mensæ aut tabulæ infuderit, eamq́ digitis quasi in rivulos duxerit, sive ij recti, sive sinuosi fuerint, aut circulares; quicquid postea affuderis, ijsdem lineis defluet, quibus prius illud lineis stylóve ductum est. Ita cætera in fœtu primam delineationem sequuntur. Atq; errata quidem tùm in naturæ opere evenire potest, ex artis erratis, quæ admittuntur, quando materiæ figuram tribuit sculptor, aut nauta navigat, aut scriptor scribit: Perfecta re nihil tale potest incidere, nisi fortasse aliunde. Dum igitur informis est materia, sed ad formam fit progressio, fœtus degenerare in monstrum posse videtur, quod ut planius fiat, articuli, tempora, momentaq́ in motu paulo apertius definienda sunt. Si tamen id fieri potest. Nam magna in hoc diversitas. Iuvat sapientum sententias cognoscere: Hippocrates in lib. περὶ τρόφης *ita: Ad figurationem (ea autem* τύπωσις *est) triginta quinq́ soles reperiri: ad motum 70, ad perfectionem ducen-*

Forma semel impressa non mutatur.

Termini figurationis.

ducentos & decem. Alij tradunt ad conformationem 45. ad motum 70. ad exitum 110. Alijs ad speciem, εἰς ἰδέαν 50. ad primum saltum 100. ad perfectionem trecenti. Alijs ad discriminationem, εἰς διάκρισιν 40. ad transitum 80. ad elapsum 240. Quid autem de tot opinionibus videretur ipsi, addidit: οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, nimirum, quæ ita dicuntur, & vera sunt, & non vera. Nulla enim proportio talis perpetua, fieri potest, ut sit aliqua, fieri etiam secus potest. Nam his temporibus & plura & pauciora possunt fieri, & ad conceptum plures paucioresq; dies insumi, in toto & partibus. Partes seu tempora tria, figurationis, motus & partus. Non igitur negat esse proportionem aliquam in his naturalem & legitimam, sed non esse perpetuam, idq; duabus de causis Primum, quia in his motibus statæ leges naturæ non sunt: deinde, quod in computando diversa omnino ratio est, alys alio respicientibus ad totum, quod ὅλον est, id est, gestationis tempus universum, ad partes, hoc est, tria illius tempora. Extenditur autem uterq; terminus & contrahitur, tùm totus ille, tùm qui per partes sumitur, variè antq; omnia, & parum stata sunt. Itaq; Hippocrates 4. consideravit, conceptionem, articulationem, formationem & nativitatem, quorum tria incertissima sunt, posterius tantum certius, ob id sibi genethliaci hoc unum assumpserunt.

Tempora fœtus tria.

Proportio dubia.

Multa in hanc ſententiam idem autor in lib. περὶ φύσιος παιδίου, *ubi hominis in utero conformationem hiſtorico climace per gradus exponens, omnem naturæ conatum perſequitur. Facit huc locus libri* περὶ τοῦ ἑπταμήνου. *Porro, inquit, hominis vitam ſeptem dierum eſſe ex his conſtat:*

Primum enim cum genitura in uteros pervenerit ſeptē diebus, habet, quæcunq; corpus habere debet: Mirari autē quis poßit, quomodo id ſciam. Atqui multa talia ego vidi hac occaſione. Meretrices publicæ, quæ ſæpius huius rei periculum fecerunt, ubi cum viris rem habuerint, ſciunt quando in ventre conceperint, & mox conceptum intra ſe perimunt. Poſteaquam autem peremptus eſt, elabitur veluti caro. Hanc ſi in aquam coniectam accuratius inſpexeris, omnia membra habere comperies, & oculorum regiones, & aures, & brachia, & manuum digiti & crura, & pedes & pedum digiti, & pudendum, & reliquum totum corpus conſpicuum erit. Ordinem potius quàm tempus expreßit Ariſtoteles, libro 2. de gen anim. cap. 4. Primum inquit, moles ſuperior per generationem diſtinguitur: Inferior tempore precedente recipit incrementum in ſanguineo genere. Omnia vero lineamentis primum deſcribuntur, deinde colores recipiunt, & molliciem & duritiem, quaſi pictoris officio fungatur natura,

Natura ut pictor.

cum

tum condit & creat. Pictor enim ubi lineis primum descripserit animantem, mox vario illinit colore ac perficit. Eodem lib. cap. 1. non omnia simul effici, etiam sensu posse percipi, nec dici verè eas præ exiguitate latere, cum pulmo, qui amplioris est, quàm cor magnitudinis, posterior tamen corde conspicìatur in primo ortu. In 7. historiæ cap. 3. mares fœtus magna ex parte circa 40. *diem dextro potius latere moveri, fœminas sinistro circa* 90. *Nihil tamen certi de hu affirmari licere. Mulis enim gerentibus fœminata motus agitur in dextro, & contra in sinistro marem. Sed enim hæc & alia ut differunt, ex quo magna ex parte & magis minúsve accidit. sic accipimus. Finditur fœtus, inquit, hoc eodem tempore* (σχίζεται) *cum ante caruncula informis constaret. Effluxiones vocantur, quæ intra diem septimum corruptiones incidunt. Abortiones autem, quæ intra quadragesimum, & quidem plurimi fœtus intra tot numero dies depravantur. Mas qui quadragesima die exierit, si in quodvis aliud mittatur, diffunditur & aboletur. Sed si in aquam frigidam cogitur, consistitq; veluti in membranula, qua rupta fœtus ipse apparet formicæ majusculæ mole, & membra jam inde discreta tùm cætera omnia, tùm genitalia constãt, & oculi quemadmodum in cæteris animalibus pergrandes. Sed fœmina, quæ intra tertium mensem eruperit, indistin-*

Effluxiones. Abortus.

distincta est. Quæ autem quartum adepta mensem est, finditur & reliquam distinctionis effigiem, brevi tempore accipit: cum itaq; fœtus in utero formatur, fœmina tardius quàm mas perfectionem accipit, & sæpius in decimum mensem protrahitur. Sed cum in lucem prodierit, fœmina ocius quàm mas accrescit, & ætate floret, & senectute maceratur. Galenus in lib. de semine cap. 11. omnem fœtuum generationem in quatuor tempora distribuit: Primum est, in quo circa abortus & dissectiones seminis species exuberat & dominatur, quo tempore neq; Hippocrates, qui in omnibus admirabilis est, fœtum vocat eam animalis constitutionem, sed in genitura, quæ sex dierum fuit, elapsa.

Fœtus tempora quatuor Galeno. 1.

2. *Estq; tùn* γονὴ, *postquam verò expletus fuerit sanguine fœtus, cor verò & cerebrum & epar, adhuc inarticulata sunt, & informia, firmitatem tamen jam aliquam & magnitudinem memorabilem habent.* Hoc secundum tempus est: Hippocrati κύημα *cum carnem potius repræsentat conceptus quàm quid aliud. Carniformis tamen & non amplius semini formā ipsa fœtus substantia. Igitur neq; genituram amplius eiusmodi speciem Hippocr. appellare reperias, sed fœtum.*

3. *Tertium deinde tempus est, quando tria principia manifestè videre licet, reliquarum verò*

par-

partium omnium designatio ac lineamenta sunt: Evidentiorem namq; videbis circa tria tempora formationem, obscuriorem verò partium circa ventrem, & multò adhuc obscuriorem circa artus. Hi enim posterius ramificantur, ut Hippocrates dixit, proportionem quam ad ramos habent, per hanc appellationem volens ostendere. Est autem tum ἐν ζώοις *autore Hippocrate.*

Postremum tempus est, cum ad omnia jam in artubus sunt articulata, & non fœtum solum, sed jam & puerum nominant, id quod in utero conceptum habet. Hippocrates quando & pedibus calcitrare & velut perfectum animal moveri dicit, tùm enim παιδίον *&* ἔμβρυον. *Hæc non cum Aristotele in omnibus congruunt. Quæ in Macrobio sunt, ex Hippocrate habet ut omnia illic. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium c. 86. censet de eo inter doctißimos disputari posse, super eo argumento, ignorare se tamen, utrum ab homine inveniri poßit, quando nimirum homo vivere incipiat, & num occulta quadam vita sit, quæ motum manifestum antecedat: Nam negari vixisse puerperia, quæ propterea membratim execantur & ejciuntur, impudentia ipsi videtur. Docuit eo loco, an abortus ejecti resurrecturi essent. Distinguendum autem ita putavit. Nam si vixerunt & mortua sunt illa corpora, resurgent,* 4.

Augustinus.

Quando fœtus incipiat vivere ignotum.

An abortus resurrecturi. *Omnes enim mortui resuscitabuntur, non aliqui qui non vixerunt, non resurgent. Non enim anima sine corpore. Formatos etiam ab informibus separat. Formatos resurrecturas tantum, non informes, quoniam quasi semina corrupta sint, è quibus vivum nihil potuerit oriri.* Repetivit in lib. de civitate Dei 22. c. 13. *Sed sententiam liberam reliquit. Lombardus etiam attigit lib. 4. distinct. 44. Illud etiam nonulli, Tertulliani sententiam sequentes, animam à creatore infundi, ilico eo momento, quo fœtus in utero concipitur, statuerunt.*

Poculum abortionis *De tempore autem primo vitæ etiam in jure quæsitum est, ut pœna statueretur in eos, qui poculum abortionis præbuissent. Cumq; ex Philosophi sententia ante 45. diem non vivant, lex tamen in eos etiam lata, qui paulo ante dedissent, non immerito l. si quis §. qui abortionis & l. Cicero de pœnis. Ita ex his tota res dubia est. Sed*

Tempus formationis. *anathomicorum diligentia est effectum, ut non omnia hæc lateant, censent autem 27. die à conceptione membra singula quidem non formata apparere, perfectius quidem in maribus die 30. In fœminis 36. Testatur Fernelius vidisse se circa diem 40. ejectum fœtum cum partes omnes excepto jecore albæ & spermaticæ cernebantur, caput par avellanæ, & manus pro reliqui corporis ratione, oculi ut cancris exerti, nasus, auriculæ, brachia,*

brachia, manus, crura, pedes, hīq; secreti digiti penis conspicuus, sub quo scrotum milij magnitudine: superiora autem inferioribus maiora, nullo ossium robore, sed flexibilia, quocunq; ducerentur. Omnia contecta cute tenuissima, & pellucida, per quam interiora cernebantur, alba omnia, fibrosa & seminis æmula, nullo carnis aut sanguinis rubore perfuso, unum iecur rubrum, & recens concreto sanguine persimile, in quod ex secundinis per umbilicum venæ ferebantur, sanguine confertæ, fœtum post nutrituræ. A die 36. ad 40. conformatæ partes nutriri incipiunt, & carne fulciri, idq; iecoris beneficio, quod omnibus alimentum conficit. Ex his igitur tota res incerta est quodammodo, si exquisitè momenta definienda sint, & certè ambitiosa est diligentia recentiorum, qui ita exordia minimarum etiam particularum definiunt, ut dicant, quo tempore hoc vel illud fiat, quasi cum domus extruitur, videre oculis licet, lateris unius post alterum collocationem. Nulli sensui patent omnes occultissimæ, ut in semine motus cum partes disiunguntur, fingitur cor aut epar, magis quando hanc venam, & illum nervum, quod illi tamen scire se nobis persuadent, illis assentior, qui aiunt, postquam utraq; semina in uterum emissa, recepta & retenta sunt, (excidunt enim vel uteri lubricitate, ut in meretricibus, vel seminis cruditate) clauso utero permistione facta

vim insitam ociosam non esse, sed excitari statim & agitare materiam, ac in partes secernere. Collectum enim semen initio coit, ut pars siccior calore etiam cogente, in membranam abeat, qua fœtus involvitur, itemq́; deinde in aliam. Distinctæ autem & nominibus & officijs. Reliqua pars intus urget, & in nobiliore sui parte bullas tres accipit, ceu globos prima trium partium principum exordia. Finditur enim seminis massa secretione quadã, perinde ut in arboribus, & in interna atq́; externa distinguuntur. Apparent quædam priora, quædam posteriora, non quod illa prius, hæc post formentur, sed quod alia alijs magis conspicua, consentaneum enim fieri uno similiq́; motu partium omnium formatio, Etsi, ut fit, in tanta varietate alia vel citius absolvuntur, vel se ostendunt. Sunt qui constanter epar prius effici asseverant, ut Columbus. Alij cor, quod à corde vita sit, absq́; vita ne nutritio quidem. Certè segregat seorsim omnia in toto, donec absolverit, quod instituit. Sequamur id quod anathomici, sensum sequentes nos iubent credere, tùm autem formas monstrosos ut plurimum imprimi videtur consentaneum.

Ordo f r mationis. | Epar an cor prius fit.

Sed quia noti uniusmodi sunt, quæ in monstris apparent, distinguere oportet: Quædam cum semine transferri indubitatum est, ut sunt ij nævi, qui in parentibus fuerunt, & avis nonnunquam:

Quædam cum se ¦ne transfe¦runtur.

quam: etsi docere difficile est, quomodo hæc propagentur, cum occultæ sint omnes rationes seminales. Sed ita Philosophus sensit in 4. de gen. anim. c. 3. ut supra ostensum est. Narrant fuisse nostris temporibus cuidam familiæ hoc peculiare, ut masculi omnes uno teste essent: sicut & de alia, in qua omnes statim cani facti sunt. Huc illos affectus referimus, qui sunt individuis peculiares, cum aliqui ab alia re abhorrent, caseo, lacte, oleo. In his igitur tempus quæri nihil necesse est. Sequuntur materiæ conditionem insitam, Actuarius l. 1. de spiritu c. 20. & Galenus libro 2. de semine: Multa item & alia ex eadem materia ortum habent, in conformatione, vitijs, figura, situ, numero, magnitudine.

Nam cum natura in motu primo est, seminis materiæ est, quàm sit opus, partes pauciores fingit, & deerit, verbi causa, aut caput, aut digitus, aut pes, vel simile quid. Si plus est materiæ, augebitur numerus, & senos digitos tribuet, aut dua capita. Vbi enim se errati fons statim exerit, & errare agens necesse est, ob illud quod in materia est vitiosum. Idem ex diversorum seminum confuso conceptu existimandum est. Vnde mutili & quando.

Formis enim confusis partium etiam conturbatio sequitur monstrosa, multa igitur non aliunde, quàm in hærente labe in materia, & ortus degenerationis id tempus habet, quod in formando

Monstrosæ figuræ imprimuntur, cum solet naturalis tribui

mando primum est. Ratio in hoc non est absena. Nam absurdam figuram tùm imprimi necesse est, quo tempore naturalem accipere solet, si impedimenta absint: Agens enim agit pro materiæ diversitate, modo vitiotè, modò probè, prout illa patitur, perinde sicut ventriculus ex bono cibo commodum naturæ succum, ex vitioso improbum gignit & non utilem, non sui, sed alimenti ingesti culpa. Itaq; nihil quidem necesse est diversa tempora fingere, quibus formetur fœtus, quibus deformetur. Ijsdem enim spacijs hæc continentur, tùm etiam materia maximè omnium ad figuras recipiendas accommoda est, cum tenera, mollis, fluxilis, minusq; impreßionibus resistens. Recens enim omne dicebat Aristoteles, facile imbecillitate sua frangitur, & de plantis Theophrastus, eas potißimum à cœlo lædi, & externis causis alijs cum turgescunt, & germinare incipiunt. Galenus ait fœtum initiò esse, ut fructum in arbore, qui cum incipit florere, tenerrimus est, & facilè afficitur, ac ruit: At talis est materia inter initia, cum formatur, reliquo tempore indurescit magis. Ex quo fit verisimile tùm maximè imprimi figuras monstrosas, etiam quæ ab imaginatione insunt, non solum à materia & agente quoquo modo in opere impedito. Nec facilè quis dixerit, quomodo tanta vis esse poßit ullius causæ, quæ quod invaluit, jamq; planè conformatum est, immutare

& tra-

& trahere in diversum possit. Quomodo enim fœtus, si binos jam oculos habet, potest unoculus fieri, cum mater monoculum aspexerit? quo perveniet, qui prius adfuit, quomodo aboletur. At fortassis intorqueri potest, ut in claudis & valgis? fortasse id potest, certè à casu & plaga, similibus rebus etiam, qui integer est fœtus, depravari quocunq; gestionis tempore potest. Itidem & ij affectus possunt se insinuare, qui ab affluente alimento, dum incrementum fit, oriuntur magisq; jam ab excrementitijs humoribus & tumoribus, quales semper possunt esse, quoniam aluntur semper: ut gibbi fieri possint, & primo, & medio, & postremo ante partum tempore: Quod tamen ad maculas attinet, & foris impressas rerum visarum imagines, quæ plerumq; interna non attingunt, eas in pica plurimum immigrare observatum est. Nam notæ rerum desideratarum apparent in cute, in pilis, in partibus externis, nare, ore, labijs, fronte. Vidimus mulierem, quæ cum carnes leporis in atro jure coctas appeteret, nec tamen habere posset, qua parte capillos attigit, ea leporinos fœtus repræsentabat, sic in subito terrore te incendijs improvisis, quæ pars primum percussa est, ea rubere in fœtu incipit. In multis fit similiter, ac quoniam naturales eæ sunt impressiones, si paulo altiores, tolli non possunt, si cum incremento non delentur, accrescente carne & cute in habitu corporis.

Affectus ab alimento.

Maculæ unde.

corporis. Hæc quovis tempore evenire posse experientia probavit, & picam ipsam scripsit Aetius post Galenum tardius solere gravidis accidere, & cum formatus est fœtus, etsi frequentior est initio, cum minus à tenero fœtu absumitur, quam grandiore facto, atq; ita humores accumulantur potentius inter principia, quam postea.

CAPUT XXXVII.

Verum ne sit, corpore monstrosos etiam animo monstra esse: ostenditur sententiæ falsitas: cur tamen monstrosi plerumq; mali.

R*ABBI Mosis dixit: Monstrum in corpore, est & monstrum in anima. Quam cum Albertus Magnus recitasset, etiam Platonis dictum addidit, quod laudat, ut verissimum, monstra* Monstra morum & naturæ. *morum fieri, sicut & naturæ monstra, & corruptionem organorum sequi etiam inordinatum motum spirituum. Cato cavendos dixit, quos natura notarit. Faciunt huc multa ex Aristotele;* Aristotelis. *Primum quod in sect. 30. probl. 3. ait: Hominem omnium animantium prudentissimum esse, quia capite minimo sit, ad reliqui corporis proportionem. Inter homines etiam, qui minori sint capite prudentiores esse, quàm qui grandiori. A corporis*

igitur

igitur constitutione, prudentia & stultitia. In 4. de par. anim. cap. 10. bruta esse hominibus dementiora, & inter homines pueros viris, & inter viros primiliones mense deficere. In 1. Histor. Pars faciei frons est, hæc quibus magna, segnes, quibus parva, mobiles, quibus lata, mente videri idonei, quibus rotunda, iracundi. In lib. de Physiognomia, quod animæ sequantur corpora, & ipsa secundum seipsas, non sint impassibiles à motibus corporis, id manifestum fit valdè in ebrietate & morbis. Multum namq; animæ imitatæ videntur à passionibus corporis & è contrario, quod corpus compatiatur passionibus animæ. manifestum est, circa amores, timores, tristitias & delectationes. Apud Hippocr. 2. Epidem. multa in hunc locum. Magni, calvi, balbi, gracili voce præditi, boni, naso acuto oculis parvis, mali. Homerus Thersiten descripsit, non magis corpore quàm consiliis, moribus, actionibus monstrosum. Φοξὸς autem erat κεφαλὴν: Unde proverbium: Thersitæ facies. Pessimum scilicet ingentum in domicilio se digno Martialis de Zoilo suo: Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus.

Physiognomica.

Anima patitur à corpore.

Rem magnam præstes, Zoile, si bonus es.

Cicero pro Roscio in Fannium: Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Huc

Huc favet Galenus in lib. de animi morbis. Nam vitium corporale usq; ad animum pertingere dixit. Quin & peculiari libro quod animi mores sequantur corporis temperaturam, id ostendit, siccitatem prudentiæ, humiditatem dementiæ causam esse: Frigiditatem omnibus animæ officijs obesse, lædi à corporis læsione, ab humoribus vitiosis informari ex pravo corporis habitu. Studia item atq; mores, & artes ex regionum & temporum anni diversitate diversa esse. Idem docet: parvum caput ex necessitate malum est, maximè si & figuram absurdam habeat. Nam & spiritus pauci in illis angustijs, quibus anima ad omnia desiderat,& motus eorum impeditur. Spurios esse improbos & leves, non minus adagium prodidit: furibus insignibus musculum in interiori parte manus ad pollicem defuisse Columbus testis est. Latio insignis totus pilosus. Aiunt & leges si in duos facti suspicio inciderit, tum prius torqueri, qui fœdiore sit aspectu. Ex Vesalio etiam ante attulimus de homine, cui caput in anteriore & posteriore parte eminuerit, eum admodum fuisse amentem. Duos etiam nostri temporis nominant Tribuletum & Toninum. Adijciamus his monstrosi autoris testimonium Theophrasti ex lib de signatura rerum naturalium, ubi ait: menstrosas deformitates, improbitatis notas esse, unde extiterunt hæ formulæ, Je krümmer je tümmer:

Prudentia & dementia à corporis crasi.

Parvum caput malum.

mer: Lame Glieder: lame Zendel. *Significari enim facinorosos à Sathana ut à carnifice. Suffragari quin & ratio videtur. Propria mentis actio intelligentia est, at ea corpori ita communicat, ut sine eo intelligere nihil possit. Oportet enim scientem phantasmata speculari, & in intellectu id solū est, quod prius in sensu. Indiget illa visis suis & imaginibus, omnisq; intelligentiæ sunt antegressa simulacra, quæ in phantasia collecta animi, diligente meditatione excoluntur. Talis ergo forma est nō metaphysica, cujus purissimus extra omnē materiā actus, sed instrumentis & qualitatibus ad agendum idoneis indigens. Quales igitur sunt eæ res, quibus utitur; Tales & actiones. Monstrosæ in monstroso corpore. Non enim est anima in nobis, ut gladius in vagina, in arcula vestis, nec meliorem nec deteriorem facit gladium vagina: sed animum corpus contagio polluit. Ac ut ipsam non lædat animam, minus tamen potest ut debet, & ad oppositas molestias defertur.*

Anima corpori communicat.

Animus contagio corporis polluitur.

Accedit quod supra ostendimus, naturalium omnium rerum definitam esse quantitatem, ultra quam formæ actio non consistit, & ut defectus organi, ita & excessus usum impedit, ut in arte apparet. Quid enim tantilla triremis ad pugnandum? quid manus minima? forma neq; maxima maiorem, neq; minima minorem desiderat, ipsa

Defectus & excessus organi actiones impedit.

quidem immobilis, nam organo restituto, redit actionis etiam bonitas. Ergo quemadmodum fidibus in Cythara rectè constitutis & tensis, ipsisq́ foraminibus artifex optimè modulatur, male dispositis malè; cum ipse nulla in re male affectus sit, & potestate habeat artem incolumem, ita omnis facultas pro instrumenti constitutione, cerebro, verbi gratia, depravato, vis animæ impediatur necesse est. Deniq; facit huc Theologorum sententia, qui peccato animam à corpore pollui putant. His & similibus rationibus videtur non inconsentaneum, monstrosos corpore, etiam animo esse monstrosos. Quod cùm dixisset Cardanus contradictorem reperit, neq; immeritò, cur enim addidit universalitatis notam? Omnes. Cautius fuerat opinor loquendum, ut sapientes isti faciunt. periculosè de toto semper affirmatur aliquid, cum rara sint, quæ nulla exceptione infirmentur, itaq; hæ voces aliquando serviunt, sere, plerumq́, ut plurimum. Dialectici nostri hac inter contingentia retulère, quorum ea ratio est, ut sive res ea existat, posśit aliquid evenire, sive non adsit, posśit nihilominus: Pallor morbo conjunctus est; ut & palleat, qui non ægrotat, & ægrotat etiam qui non palleat tamen. Sic & formosi possunt frugi esse, & deformes luxuriosi, & deformis frugi, formosus non frugi. Quare & monstrosi possunt esse probi, & non monstrosi improbi. Non

Contra sententiam expositam.

minus

minus enim utrumq; in his fit, quàm in pallore ægrotorum: sanè multorum corpora, cum violasset natura, formæ detrimentum ingenij bonis compensavit. Plenior fiet ab infinitis exemplis in utramq; partem fides. Socrates simis naribus fuit, recalva fronte, pilosis humeris, repandis cruribus. At quanta eius probitas, quanta doctrina? quot ille egregios discipulos, testes innocentiæ suæ reliquit? De Epicteto Philosopho, cum esset claudus, hoc pronunciatum fuit:

Non omnes monstrosi improbi.

Servus Epictetus genitus sum, corpore claudus:
Paupertate Irus, dijs & amicus ego.

Epictetus.

Non potuit monstrositas tanta efficere, quin Deo placeret, ut vel ex his appareat damna corporis non facere miseros, nec deformitate corporis fœdari animum, sed animi pulcritudine corpus ornari. Quin & ipsi Poëtæ, cum vitio quippiam dant, in scelera invehuntur; non attingunt, quæ sunt corporis, ut illud:

Damna corporis miseros nō facere.

O temulente tenes oculos, canis & leporis cor.

Et Ajacem unice, qua plurimum polles maledicentia. Thersites ab Vlysse reprehensus non claudus, calvus, gibbosus esse dicitur: sed linguæ amarulentia insignis. At Iuno Vulcanum amatam sobolem, his verbis alloquitur: Surge mi fili claudo pede. Ridet Homerus loripedis vitium, non aliter atq; alibi cœcitatem, quod probro

Indigna probro quæ à casu sunt.

indignum putat, quicquid non à nobis, sed à casu evenit, ut est in Plutarcho de audiendis Poëtis: Fuisse autem præstantißimos quosq; corpore non satis decente, historiæ tradunt. Zeusippus, Aristoteles, Leno, Diogenes, Euclides, Democritus, Heraclitus, & infiniti alij, nævos non leves habuerunt. At non homines solum, sed homines amabilißimi, excellentißimi, nihil hic monstrosum, ut nec in luscis illis, & coclitibus quatuor Imperatoribus Hannibale, Sertorio, Philippo, Antigono, quæ omnia καθολικὸν illud oppugnant, & non sinunt consistere. Quin & balbos Hippocrates & Aristoteles bonos ac temperatos dicebant, causamq; in spiritibus retulerunt, quos quietos haberent ob humiditatem, non furiosos, ut in siccioribus, & inflammatis. Admirabile est hoc de monstro mutilo. Legitur quidam caruisse brachijs; dextro tamen pede hastam vibrasse. Quin & vestem fuere solitum, scribere, edere, bibere, in acum filum immittere: quod nobis & Cardanus & Scaliger annotarunt. Idem clavum caligarium in asserem malleo penitus adigebat cerdonum more. Eundem clavum citißimè mallei auriculis extraxit.

Viri optimi monstrosi.

Historia memorabilis.

Magnum itaq; animum natura in turpi etiam corpore esse ostendit, ingeniumq; fortißimum ac beatißimum sub qualibet cute latere, quod omnia impedimenta vincat, & virtute sua

è con-

è conceptu veniat: quanquam nec illud falsum: Gratior est pulcro veniens è corpore virtus. Et quia natura corpora magnorum alijs rebus consecrat, non est necesse ad hoc aut formosum, aut rectum, aut glabrum esse. Nec parvitas vituperanda est, cum in minimis etiam maxima prudentia, quemadmodum in apibus, formica, aranea: Est enim ab anima prudentia, non à corpore. Igitur in monstrosis etiam virtutem inesse his, & tot Exemplis ostensum est. Ex altera parte formosos contemplemur. Num illi omnes probi sunt & sapientes? Nihil minus. Paris formosissimus, at idem nequissimus Ovidio: Dux Pari Priamide damno formose tuorum. Quid meretrices? Nonnè sola forma commendabiles? De Achilla quodam est apud Martialem lib. 3. Etiam in minimis prudentia. Prudentia ab anima non à corpore.

Huic comes hærebat domini, fugitivus Achillas
Insigni forma nequitiæq́; puer.

Helena formosa sed meretrix. Lucianus Alexandrum quendam describit in Pseudomate corpore decoro & aspectu pulcro, planeq́; divina specie, ac majestatis plena, oculis divinum quiddam relucentibus. Sed mens atq́; animus eiusmodi: ut in hostes satius sit incidere, quam cum eo habere commercium, omnium qui essent unquam sceleribus nobilitati, facilè summum evasisse. Non igitur omnes mutili improbi, aut integri corpore, animo sano. Æquissimus Canon ille concilio-

Canon Græcis promuti-lis.

rum: εἴ τις ἀνάπηρος ἢ τὸν ὀφθαλμὸν ἢ τὸ σκέλος πεπληγμένος, ἄξιος δ' ἐστὶν ἐπίσκοπος γινέσθω· οὐ γὰρ λώβη σώματος αὐτὸν μιαίνει. Ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός. *Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, Episcopus efficitor.* Et rursus: *Qui verò mutus, surdúsve & cœcus est, episcopus non efficitor, non quia oblæso corpore est*, οὐχ ὡς βεβλαμμένος, ἀλλ' ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμποδίζοιτο. *Sed ne Ecclesiastica impediantur munia.* Rectè sanè & prudenter. Prorsus

Seneca.

idem Seneca l 14. Epist. qui putat damna corporis idem esse animæ, quod soli nebulas.. Et paulo post: *Invenitur, qui dicat; sapientem corpore parum prospero usum, nec miserum, nec brutum esse.* Hic quoq; fallitur. Exæquat enim fortuita virtutibus, & tantundem tribuit honestis, quantum honestate carentibus. Quid autem fœdius, quàm comparare veneranda contemptis? Veneranda sunt, fides, justicia, pietas, fortitudo, prudentia. Econtrariò vilia sunt, quæ sæpè contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas, firmitasq;. Consolabatur Poëta sese ex his sententijs, qui ait:

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Ex his solvi pleraq; poterunt, quæ contra affere-

afferebantur initio: sed Aristotelem omninò pro se citare testem non debuerunt, qui cum de virtutum & vitiorum principijs in Moralibus fusè [illegible] ceret, hoc demonstravit, ut boni aut mali simus, in nobis esse positum, & hominem actionum suarum esse progenitorem, actionum autem tàm bonarum quam malarum, ut est in 1. Mor. 11. Sed in 2. Ethicorum ostendit, à natura virtutem, & vitia non inesse, neq. modò moralem, sed & dianoeticam discendo, commentando, meditando, atq. exercendo comparari. Discendo enim & docendo augetur in nobis doctrina, nec primi inventores sine studio indefatigato quicquam sunt assecuti, Moralis disciplina tantum abest, ut naturalis sit, ut vix etiam doctrina sufficiat, nisi justi temporis usus, curaq. accesserit. Audiendo praecepta honestatis nemo bonus fit, sicut oculus fabrum non facit, omnia sunt in exercitatione posita, Hinc actuosa vita appellata est, quam & Ethicam vocarunt. Quod si simpliciter naturae essent virtutes & vitia, inessent perpetuò, neq. mutari possent, quemadmodum lapis semper gravis est, naturam non exuit, & si furca expelles, tamen usq. recurret. Mores autem, virtutes & vitia indui, & abijci posse nimis etiam patet. Potest enim ex temperante intemperans fieri, ex liberali avarus, ex religioso profanus, ex forti timidus. Non igitur, sicut pili & dentes, ita virtus & vitia con-

Doctrina de principijs virtutum evertit opinionem de monstris.

Virtus non est à natura.



Virtutes comparantur & abijciantur.

nascuntur, utraq; educationis, disciplinæ, & exercitationis sunt: Essent autem à natura non minus, quàm corporum depravationes, si membrorum vitijs animi motus, ut isti volunt, necessariò respondérent. Videant ergò, ne, dum animam à corpore affici volunt, animarum carnifices esse videantur. Dicent: Inclinationes ad pravitatem esse à natura. Audio: Cur igitur omnes mutilos improbos faciunt. Si inclinatio est tantum, hi quoq; non minus quàm qui integrè nati sunt, assuefacere se ad virtutem, & honestas actiones poterunt. Sapientem astris dominari duce Philosophia in Stilpone ostenditur, & Socrate, ut est in libro de Fato. Negabunt etiam Philosophi utrumq;: Animam in se à corpore affici, & animam non habere actiones alias à communione corporis. Nam quomodo afficiet animam corpus, si anima non est corpus. Actio enim contactu fit: contactus inter corpora, & quorum eadem est materia. Vnde ergo σωματικὰ πάθη ad animam transibunt? Non quidvis aptam ad patiendum naturam habet l. 1. de ortu 6. Sed ea tantum, quæ vel contraria sunt, vel in se habent contraria. Tàm id quod agit, quàm quid patitur, eiusdem generis esse oportet. Specie verò contraria & dissimilia. Quid est igitur animam affici à morbis, ebrietate, affectibus? Et si afficitur anima, moritur etiam: neq; rem explicant, qui agentium tri-

Inclinatio ad prava an naturalis.

Corpus non afficit animam.

triplicem ordinem faciunt, à prædominio contrarij, ab influentia, à colligantia. Nam ne sic quidem apparet, quomodo corpus agat in animam. Alterum etiam non datur. Animam esse formam materiæ immersam, & sine imaginibus ac phantasmatibus nihil agere: & neq; cognoscere sine corpore posse ob neceßitudinem, & connexionem mutuam, quod deficiente sensu, deficiat scientia. Non est hoc simpliciter accipiendum: sed anima, ut hominis forma est, & iuncta corpori, eatenq; in materia est. Quatenus verò intellectus est, eatenus etiam extra materiam, nec amplius annexa organis corporeis, unde & separata à metaphysico Philosopho consideratur, non Physico. Quod ad intellectum attinet, convenit duo considerare. Primum quidem ipsa initia intelligentiæ. Deinde intellectionem ipsam. Initia intelligentiæ à corpore esse verum est, quoniam per organa species ei deferuntur, quo respectu & marcescere dicitur anima, cum organa marcescunt ætate vel morbo debilitata.

Contrariorum tres modi

Anima quomodo invicta corpori.

Intellectus quomodo fiat.

Initia sapientiæ à corpore.

Verum intellectus exercitatione deproratus, cum se ad altiora & divina attollit, & in suiipsius noticiam, & ad formas, quæ cum materia nihil habent commune, quarumq; nullum possunt ab ullo sensu capere simulacrum, verum non est in his à materia, & externis objectis, intellectum pendere. Idq; ipsum magnam nobis spem immortalitatis facit: quoniam cum ingenita sit homini

appetitio æterna contemplandi, nihil autem frustra inditum, tempus esse secuturum existimandum, quo id, cujus perfectionem hic non assequimur, illic consequamur. Itaq; non benè dicitur, animam sequi corpus tanquam famulum, cum corpus animæ famulus sit, & quasi ancilla administratoria. Quidni igitur anima non materiæ in universum obnoxia impressiones vitiosas in membris distortis receptas, vitium agnoscat & corrigat? Videt oculus solem bipedalem, intelle-ctus non accipit. Scit enim majorem esse, & oculi sensum non sequitur. Sed obstant adhuc non modo tot Philosophorum, quorum sententias supra recitavimus, judicia, sed ipsa etiam experientia, quæ hoc de monstrosis pronunciavit. Num nihil in his veri? Damus hoc. Monstrosos esse improbos posse, ut isti volebant. Sed primum quidem universaliter non enunciabant de omnibus, & quod necessario essent tales. Deinde cum sit juxta tritum illud: πλεῖονες οἱ κακοὶ, non mirum est ex tanto improborum numero mutilos etiam & distortos esse non frugi, maximè cum horum vitia tanto conspectiora sunt, quo manifestior est in animæ tabernaculo nota miseriæ. Tertiò quoniam omninò negligentius plerumq; educantur, perinde ut plus agris connivent liberis parentes, quàm benè valentibus, ut educatione licentiore praviores potius, quàm natura sint. Quibus tamen natura

Corpus animæ famulus.

Cur monstrosi improbi.

corporis speciem turpiorem indidit, opera est ante omnia danda, ut vitæ innocentia, & virtute damnum illud sarciant. Cœteri, qui monstrosè vivunt, & moriuntur, nihilo sunt ipsi ex ulla parte feliciores judicandi, quàm qui nascuntur monstrosè.

CAPVT XXXVIII.

An generent monstra, & se propagent: Quibus id accidat, & ex quibus causis possit & non possit.

Monstrorum alia vivere posse diximus, alia mori ilicò, postquam sunt edita, alia paulo post. Quæ vivunt, quorumq́; anima ita cornuta est, ut invenire exitum non possit, eamq́; ætatem assequuntur, in qua possunt gignere, de ijs quæritur, gignántne & simile sibi procreent, ut sint monstrorum etiam familiæ & gentes, & cœcus à cœco, biceps á bicipite nascatur, sicut leo á leone, & homo ab homine. Videtur id non esse inconsentaneum. An monstra generent.

Primum enim in macrocephalis hoc accidit, ut tota gens eiusmodi capitibus fuerit, teste Hippocrate. Testatur deinde Philosophus 2. de gen. 6. multa gignere, quæ ex speciebq diversis nata sint, qualia inter monstra retulimus. Legimus de Gigan-

gantum & Pygmæorum familijs. De gutturosis etiam nostri seculi Exempla non sinunt dubitari. Propagant igitur sese, & genus suum, cujus & hoc judicium, quod nemo sibi aut virum optet monstrosum,& conjugem ob spem liberorum.Certè est & errorum fœcunda multiplicatio,quando ex parvis magni,ex paucis multi fiunt.Dato enim uno inconveniente, sequuntur infinita. Accedit & hæc ratio. Nihil tàm naturæ est consentaneum, quàm simile á simili gigni, qualesq; sunt, qui generant, ut ab ijs talia generentur. Orta enim retinent naturam suorum principiorum, á morbidis morbidi,á calvis, calvi, á podagricis, podagrici nascuntur, & in cæteris similiter l. de aere.Inter ea etiam, quæ ex diversæ speciei parentibus gignuntur animalia, ut sunt lupi, vulpes, canes, solos mulos esse steriles, dixit Aristoteles,& ne hoc quidem semper & ubiq;. Quo facit locus l. 1. de ortu c. 4.Gignuntur læsi ex læsis,ut claudi ex claudis,cœci ex cœcis, & parentibus similes partus sæpenumero existunt ijs figuris, quæ praeter naturam accidunt,adeò ut quædam certis familijs videantur esse hæreditaria, quæ etsi nonnunquam in prima prole intermissa sunt, in tertia tamen renascuntur.Quin etiam stulti ex stultis nascuntur nonnunquam, & genita gignentium naturam sequuntur.Hæc an certa sint videndum est. Animalium genus propagari in certam

Simile á simili.

mul-

multitudinem generando unum ab alio patet, & sic in rebus corruptibilibus species conservantur. Non generant autem omnia, & maximè imperfecta, magis imperfectissima. At monstra pleraq; sunt eiusmodi. Non igitur generando se propagant omnia, cum & vivant ex his paucissima. Itaq; cum dixisset Philosophus, animata simile sibi secundum speciem generare, tria excepit. Primum in quibus ea ætas non esset ad generandum idonea. Secundò, in quibus principium aliquod generandi abesset; aut id quod ad generandũ requiritur, ut in Eunuchis, & frigidis, & maleficio affectis. 3. Ea, quæ sponte orta ex putrefactione & generatione vel ortu æquivoco. Hæc enim non generant ex se alia, nec sibi simile; sed externum habent principium. At monstra ætatem illam idoneam rarissimè attingunt, & deest plerumq; quod generandi vis desiderat. Videre est hoc in animantium genere, quæ à diversis speciebus genita sunt: Imperfectiora esse, quàm à quibus sunt genita, maximè si multum dissideant, itaq; aut non generant, aut rarò, aut non diu, ut in mulo. Præterea: Quæ casu fiunt, rara sunt, & speciem non constituunt Aristoteli, nec frequenter eveniunt, nec similiter, nec eandem formam habent certam, sed alias aliam. Averrhoës 8. Physic. comm. 46. & natura errores non multiplicat: sed perfecta in speciebus individua. Cumq; multa sint, & va-

Dissimilia gener[illegible] sed no[illegible] multa

Cur monstra multa non generent.

Natura errores non multiplicat.

& varia omnibus seculis monstra fuerint, propagatio tamen in perquam paucis animadversa. Nec si quæ essent, monstra appellari possent. Quid enim in his τερατῶδες inesset, quod speciei ratione deberetur? Monstrum autem dissimile quid. At nihil ἀνόμοιον in his, quæ ita sunt, ut illa à quibus nascuntur. Simile enim sibi simile gignere maximè secundum naturam est. Monstrum autem παρὰ φύσιν. Rarò etiam actio multorum individuorum unius speciei impediri solet. A mutilò etiam mutilum generari nihil esse necesse, ut supra ostensum est. Quod autem simile dicitur generare simile, accipiendum est de natura speciei, & quæ necessariò speciem consequuntur. Ita enim genitum genito simile. In accidentibus autem individualibus, & quæ speciei naturam non necessariò comitantur, nihil hoc est necesse facere. Aliud namq́ est accidens naturæ in specie, aliud in individuo. Et quia neq́ nulli monstrosi gignũt, neq́ omnẽs, neq́ hi etiam monstrum, sed perfectum, ad id respiciendum, quod scilicet ex Averrhoe attulimus. Tum demum semen fœcũdum est, quando cum alterius sexus semine habet convenientiam. Nihil enim fit, si valdè dissident. Convenientia ea non est unius modi, alia naturalis, alia non naturalis.

Averrhois sententia de ijs quæ generent.

Convenientia & dissimilitudo

Naturalis duorum seminum ratione similitudinis in eadem specie. Non naturalis duorum semi-

feminum propter accidens aliquod in duabus differentibus speciebus, ut equæ & asini. Hæc duplex est: una propinqua naturali convenientia, ut seminis canini & Lycisci. Parum enim differt à cane, sed sicut domesticum à Sylvestri in eadem specie.

Altera remota, & multum distans ab alterius seminis natura, ut inter semen asini & equæ, quorum temperamenta admodum dissimilia sunt; ideo manifesta est horum animalium differentia. Aliud hinniens, alterum rudens, & quia generatio non naturalis imperfecta ideò, quod ita generatur, (hoc est, in quo magna degeneratio) vel non generat in universum, vel generat, quod si fit, cessat generatio statim, vel reditus fit ad primi parentis similitudinem. Nisi enim vel desineret, vel ad idem recurreret, fierent genera omninò infinita. Quod si ad primi genitoris similitudinem redítur, tùm partes etiam minus à naturali distat propter propinquam differentiam maris & fœminæ, & naturam duorum seminum vicinam. Si verò desunt, postquam semel genuit, tum is partus plus est à naturali remotus, quàm primus. Quod si statim desinit generatio, in primo sic genito, talis generatio multum à naturali recessit. Si ergo conceptus fit ex duobus, conceptione admodum opposita naturali, necessario genitum sua natura est sterile, ita mulus est. Sed hac videntur de iis,

Conceptus ex valde diversi.

de ijs tantum loqui, quæ in diversis coëunt speciebus, qualia rarò sunt vitalia. In cæteris tamen similiter, si magna est itidem principiorum distortio, & partium depravatio, etiam hæc aut moriuntur, aut non generant. Cætera, quæ conditionem sequuntur naturæ & seminis, nihil impedit generare, aliquando quidem simile sibi, aliquando & imperfectum, quod & sanis evenit. Cur autem mulus plerumq́ sterilis sit, maximè frigidis in locis, copiosè est ab Aristotele expositum in lib. de generat. animal. Sed aliter videbatur Democrito, quod ipsum ex eo loco peti potest. Lucretius Poëta 5. lib. propagationem ademit monstris elegantissimis versibus.

Mulus an sterilis.

Lucretius.

Cætera de genere hoc monstra ac portenta creabat
Nequicquam, quoniam natura absterruit auctum,
Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec iungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere
Vt propagando possent producere secula, & quæ sequuntur.

CAPVT XXXIX.

An monstra præter naturam sint. Esse autem docetur, à principiis, fine, forma.

Quæ

Quæ causas suas habent naturales, ea naturalia sunt. At in monstris sunt causæ ex natura. Quomodo igitur παρὰ φύσιν? *Habent enim & materiam suam & agens eundem, & locum, quem fœtus etiam absolutissimi. Atq; ut perfecti conditionem materiæ sequuntur, ita & imperfecti. Ex alio enim aliud natura molitur, ex salvo salvum, ex corrupto corruptum, ut talis sit effectus, qualis causa præcesserit. Nominat autem illas causas & Aristoteles, & definitionum autor, & Albertus, & alij. Et quoniam in mundo sunt, ne sic quidem extra naturam sunt. Quid etiam de totis familijs affirmabimus & gentibus, ut macrocephalis, & primilionibus, & strumosis? Male igitur dixerit Philosophus? Nequaquam. Id dicitur naturale, cujus principium natura est. At natura & de materia & de forma dicitur. Magis verò de forma: ob id ea tantum dici possunt verè naturalia, quæ ex utroq; principio secundum naturam se in totum habente, fiunt: hoc est, cum materia est idonea, & in hanc forma speciei debita introducitur.*

Monstra præter naturam rectè dicantur.

Naturale quid.

Rursus præter naturam, ubi forma conveniens abest, & quo longius à consueto receditur, hoc minus naturale dicitur, ut si in materia & forma sit peccatum. Semen igitur hominis tum demum naturale est, cum ex eo completum quid simile potest produci, & nulla qualitate aliena

Quid præter naturam.

affectum est. Quod si quid vitij accesserit, desinit esse naturale, quia non integrum. Monstra igitur præter naturam, quia principia læsa sunt.

Monstrum præter naturam.

2. *Deinde sine etiam prænaturalia sunt. Non potest natura agere quod vult, ob impedimenta, quæ obijciuntur, monstrum monstri causa non gignit: Sed ne nihil agat, cum agere necesse sit, facit quod potest, etiam cum à proposito avellitur & digreditur (hæc est enim παρέκβασις) ad absurdi animalis generationem, alijs atque alijs de causis. Quæ igitur in monstris fiunt, non sunt communis, & usitati cursus, ideoque verè & liberè agentis non sunt opera.*

3. *Tertio formæ ratione. Monstrum à naturali habitu recedit, & symmetriam non habet, recedentibus partibus à justa mediocritate. Vtenim sani fœtus dicuntur, in quibus membrorum certa est proportio, ita in quibus ab ea deficitur, monstra vocantur. Quin sicut naturæ contrarium est, non esse, ita eidem est contrarium non esse perfectum & absolutum.*

Non perfectum esse, non esse contrariū.

4. *Quartò quædam ob locum dicuntur monstrosa. Nam si ex muliere vitulus est editus, vitulus naturale quidem, sed ex homine nasci non est secundum naturam, magis si species ipsa ob absurditatem tota incerta est. At quomodo errat natura, si ordinaria Dei vis est, & rerum omnium magistra? Quid eam impedit? Vnde tam*

Quomodo natura erret.


tetra

cetræ belua? Vna est natura, nec habet contrarium. Omnia igitur naturalia quæcunq́ sunt in natura: Fatenda hæc sunt. Sed & istud: Non esse extra naturam, sed extra ordinem. Quod frequenter fit in natura, id quasi vim legis habet, ab hac lege in monstris receditur, & τὸ εἰωθὸς ὃ πέρας. Ideo παρεκβάσεις. Nec nulla in his etiam naturæ providentia, cum ut plurimum ita errata corrigit, ut minimum noceant. Nam cum abundet materia ad plures digitos, ex eo quod superest, ibi appendit aliquid, ubi parum nocet, ut, sextum digitum abijcit ad minimum, quod & concinnitas non multum; actio etiam modice lædatur.

CAPUT XL.

Quæ monstra laboriosos partus efficiant: & unde hi soleant existere.

Contrariorum contrariæ causæ. Partus alius facilis est, alius difficilis. Facilis qui sine fœtus & matris læsione gravibusq́ symptomatibus non absolvitur. Difficilis è contrario se habet. Causæ sunt in rebus quatuor. In matre, fœtu, utero, vinculisq́, deniq́ rebus externis. 4. Causæ laboriosi partus.



Primum in matre possunt esse laboriosi partus; si vel natura vel morbo amissis viribus debilior

debilior sit, si gracilis & rari habitus, si nunquam antea alvo gestarit, si meticulosa, timida, si exhausta inedia, si laboribus non assueta, otiosa, delicata, si annis & senio debilitata, si sæpius oscitet in partu: Ita enim retrahitur fœtus, & revocatur ab exitu.

2. *Alterum impedimentum à fœtu est, aut quia fœmina & tardioris motus, aut quia magnus in toto aut partibus certis, ut hydropica corpuscula, aut quia tenerior, imbecillior, absurdè distortus, si biceps, inversis cruribus, etiam si plures simul insint, aut fœtus mortuus, aut situs ad exitum non idoneus, ut si meatui pedes aut latus obvertit, vel brachia, aut coxas, aut genua: Singula difficultatem augent.*

3. *Tertium est à matrice, si parva & angusta, sicca, lubrica, astricta ulcere, phlegmate, os pubis arctum. Secundinæ crassiores & pertinaciores; aut ruptæ nimis mature, ut humiditates celerius diffluant: Quin & vesica tumens, & intestinorum repletio & colica, ac hæmorrhoidum tumor obstant facilitati in pariendo. Ajunt & eas difficiliter plerumq; parere, quibus in primo ortu umbilicus nimis curtè sit religatus. Ex eadem causa est, & in masculis penis parvitas, ut creditur.*

4. *Quartum genus est ab externis, cum terrore excutitur partus, nondum maturus, si in loco frigido, si anni tempus incommodum, si vigiliæ*

præ-

præcesserint, aut cibis ſtipticis uſa ſit, aër etiam infectus. Error etiam obſtetricis in ſubveniendo. Hæc tot & tanta ægrè avelli fœtum ſinunt. Non ſunt omnia in monſtris, ſed multa ex his ipſis.

Primum monſtra laborioſè eduntur, quoniam plerumq; mortui, & ſine motu, quod & dolore & periculo non vacat. Lacerantur enim partes vehementius cum extrahendus eſt, quam in utere. Quæ monſtra laborioſe edantur. 1.

Deinde ſi fœtus invalidus, & paucarum virium, quod ſit in valdè monſtroſis, & quibus partes principales aut abſunt, aut inſigniter læſæ ſunt. 2.

Tertiò, ſi vel totum corpus ſupra modum grande eſt, ut in hydropicis, aut certa pars juſto major, ut caput, venter. Nam hi laborant magis, dum anguſtias dilatent, quantum ſatis eſt. 3.

Quartò, ſi membra nonnulla numero peccent, & plura ſint, ut in bicipitibus, & qui quaternis pedibus naſcuntur. 4.

Quintò, ſi corpus inflexum & intortum, ut in gibbu, repandis, obſtipis, valgis, vatijs. 5.

Sextò: ſi monſtrum aut geminum, aut monſtrum cum ſano fœtu, accidit enim utrumq;. 6.

Septimo ſchema infantis naſcentis contra naturam, quod cum in genere quadruplex ſit, in capite, in pedibus, in obliquo, & conduplicatus, in ſpecie tamen plures modi ſunt. Habent tamen 7.

hoc commune fœtus monstrosi cum in non monstrum conversis. Asperitas autem ut aditum, ita & exitum impedit, unde quadam ne vivum quidem possunt edere, sed ovum.

8. *Adyci hæc causa etiam potest, prætermissa ab omnibus, quod monstra plerumq; tempus anticipent naturale ob morsum inordinatumq; motum, qualis in non malè formatis esse non solet, & certè male se valere gravidæ sentiunt, exprimere non satis possunt. Exercent autem laboriosi partus omnia quidem animalia, sed mulieribus vehementissimi dolores incidunt, & præcipuè stabilibus & sedentarijs, & quibus non bona latera sunt, neq; facultas retinendi spiritus sufficit l. 7. Hist. anim. c. 9. Difficilius etiam edunt, si interea dum per vim retinent, coactæ eruperint respirationem. Primum aqua illa subter cutem fusa per fœtus motionem rupti membranis effluit, deinde fœtus inverso utero & secundis interna evoluentibus foras venit in lucem.*

CAPVT XLI.

Num liceat occidere monstra: Factum aliquando: Non licere indifferenter, sed in quibusdam.

SI tolerabilior est, qui mori jubet, quam male vivere, juxta Senecam, misericordiæ quoddam genus esse videtur, cito tollere eiusmodi, quæ vivere neq; ipsis neq; aliis utile est, vita misere omnis longa est, felici brevis. Igitur satius erat, unum esse ipsis locum & vitæ & mortis, ortus & interitus, sicut serpentibus, qui in grandibus lapidibus intus conclusis generantur, & moriuntur. Qui mortem sibi aliquando ipsi conscivere, ita dicere solebant, ubi non sis qui fueris, non est cur velis vivere. Monstra similiter, quia non sunt, quod esse debuerunt, satis causæ videtur, cur ipsis mors optanda sit, quæ nunquam ut in cæteris immatura existimanda est. Corpus ad animæ ministeria inutile, ædificium putre, quo & animam pudeat accipere pro domicilio, vita ipsa iners sine usu futura impedimento ad omnia propter quæ vivitur. Ex quo non modo medici, qui omnium ægrorum curam in se receperunt, pro monstris sanandis propemodum nihil habent & vix unus, qui attigerit, neq; tam quomodo juvari edita possint, quàm quomodo vitari conceptus & degeneratio eiusmodi, sed ipsis etiam legibus aliquando fuit sancitum, jugulandos esse, si qui ita ederentur monstrosè. Neq; id gentiles tantum principes ausi sunt facere, sed in Christiano etiam imperio pius princeps Mauritius. Acciderunt ante mortem eius prodigia nonnulla, qualia nunquam

Melius est moriquam male vivere.

Vbi non sis qui fueris, non est cur velis vivere.

Leges jugulant mõstra.

Mauritij factum.

prius vel viderat, vel audiverat. In Thracia mulier puerum monstrosum pepererat, naturæ ipsius piaculum (πλημμέλημα) oculis, palpebris & supercilijs carentem, neq; reliqua corporis constitutione formam & iustam effigiem habentem, quippe sine brachijs & manibus, & cui ad coxendices cauda piscis annata dependeret. Quod portentum ubi vidit Imperator, interfici iussit, gladiumq; statim exosculatus est: Mater autem quandoquidem sua culpa ad inopinatum miraculum nihil contulisset, crimine absoluta est, ut est in Nicephoro lib. 18. c. 35. Lycurgus autem teste Plutarcho idem sanxit. Nam infantem sibi natum nutrire non erat in patris potestate, sed eum portabat in locum, cui Lesche nomen erat, ibi sedentes tribulium ætate provectissimi infantem explorabant, qui si benè compacto firmoq; esset corpore, ali jubebant, sortem illi ex novem millibus destinantes. Sin autem degener, deformisq; mittebant eum ad Apothecas, qui locus est præcipitijs circumcisus, juxta Taygetum ab expositione infantium ita nuncupatus, nimirum quod neq; ipsi, neq; urbi conduceret, id vita frui, cui initio corporis bonam habitudinem roburq; natura denegasset. Atq; ob eam causam non aqua abluebant infantes, sed vino mulieres, quo periculum temperamenti eorum facerent. Ajunt enim infantes morbo comitiali, alijsq; ægritudinibus obnoxios vino

Lex Lycurgi.

Olim infantes cur vino non aqua abluti.

adhi-

adhibito, convulsione nervorum affici. Sanorum autem magis adhuc intendi, atq; firmari boni corporis habitudinem. Idem ferè in Politicis Aristoteles requirit l. 7. c. 16. quamvis de monstris ibi non agitur, sed tamen huc maximè facit. Nam si ad numerosiorem sobolem cavendam necari quosvis vult, multò magis de vitiosè monstrosis id pronunciaturus erat.

De exponendis alendisq; fœtibus, inquit, esto lex, ut nihil alatur mancum, aut membris orbatum, propter filiorum autem multitudinem, si fœtus exp. ni morum instituto prohibeantur, determinanda est procreandorum filiorum multitudo. Sed si quibus fuerit aliquid præterea genitum, abortionem ante sensum & vitam facere conveniet. Quatenus enim fas sit, progrediq; liceat, sensu & vita terminabitur. Igitur ita existimavit Philosophus, modum imponendum generationi filiorum, ne si excresceret numerus, cives inopia laborarent, quod in iis Rebuspubl. fieri oportet, ubi patrimonia lege æquantur. Rationes autem minuendi numerum tres erant. Prima, genitos exponere vel perimere: Altera per diverticula. Tertia per abortus inducendos. Prima inhumana & crudelis est, legibus, moribus contraria: æquè enim nefarium est exponere & occidere, altera turpis & nefaria. Placuit tertia, quod minus flagitiosum esset, antequam ad sensum & vitam perveni-

Aristoteles de abolendis fœtibus.

Tres rationes minuendi numerum hominum.

 veni-

veniretur fœtum tollere, & disturbare, ita homicidium non admitti, cum homo non sit, ac ne animal quidem, qui sensum motumq́; nondum acceperit, Est de eo & apud Platonem in 5. de Republ. qui exponi jubet, abigi autem non præcipit, itaq́; eius sententiam auxit Aristoteles. Fecisse idem legis Hippocrates l. de natura pueri. Mulier, inquit, nobis familiaris fidicinam habebat elegantem, virorum consuetudine utentem, quam tamen ventre concipere non conveniebat, ne in minore precio haberetur. Audierat autem Psaltria illa mulieres narrantes, si mulier conceptura sit, genituram non egredi, sed intus manere. Quibus auditis hoc observavit, & cum quandoq́; sentiret genituram non exeuntem, dominæ exposuit, & sermo ad me pervenit. Ego jussi ut in terram desiliret, quod cum septies fecisset, genitura cum sonitu in terram defluxit. Non novum igitur hoc, aut intercipere illis vitam, aut natis eam adimere.

Hippocratis consilium.

Plinius lib. 7. c. 4. Casini puerum factum ex virgine sub parentibus jussu aruspicum deportatum in Insulam desertam, quod monstra talia aliquid monstri alant. A Romanis etiam, exterisq́; gentibus observata ratio expiandi monstra. Nam semimares aut insoliti partus exportati in flumen & mare abyciebantur à ter novem virginibus, carmen per urbem canebatur, donum deinde Iu-

Monstrorum expiatio.

noni

noni ferebatur. Apud Theocritum prodigia & portenta aspalatho, paliuro rubo comburuntur. Quid olim factum sit ex his patet: rectène vel secus quæritur.

Nam cum de hominum monstris loquimur, quoniam in lege occisio prohibita est, monstra non excipi constat, ut in hæc crudeles esse liceat. Commendat nobis lex vitam omnium, maximè eorum, qui potius auxilio nostro egent, quàm gladio. Præterea si vitam ijs tribuit DEUS *animam infundendo non minus mutilis, quàm integris, cur quæ ille in societatem conjunxit, nos destruimus? Ad vitam non ad mortem inspirat animam Deus. Iubemur etiam in carnem non sævire nostram, cujus maximo amore oporteat nos teneri. Quod si infantes etiam scabiosos, leprosos, debiles deferendos non judicamus, cur, qui distorti sunt & suo modo ægri à nobis jugulabuntur? Tanto id quoq; absurdius, cum monstra à monendo dici velint, hoc est, à prænunciandis futuris. Si enim signandi & docendi officio funguntur, cur ea tollemus, & vim quasi legatis inferemus? Fortasse satius fuerit hæc ad terrendum animos, quàm diutissimè superesse. Tùm quis occidet? Magistratus, an privati: Magistratus delictis pœnam statuat, & capite plectat, innocenti vim inferre injusti judicis sententia solet. Quid deliquit monstrosus? Privatis minus id licitum est. Veteris Ecclesiæ* Contra leges est mõstra occidere.

consue-

consuetudinem perpetuam ex canonum sententijs, licet cognoscere, inter quos duo sunt, ubi monstrosis dignitas episcopalis non adimitur. Primus est: si quis mancum aut mutum, surdúmve aut cæcum, aut eum, cui vitiosus incessus est, subsannaverit, communione privator: ἀφοριζέσθω. Alter, si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, episcopus efficitor. Non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ. οὐ γὰρ λώβη σώματος αὐτὸν μιαίνει ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός. Hippocrates mutilorum quorundam etiam curationem in lib. de articulis docuit, etsi à nativitate tales essent, modo ne nimis magna emotio, aut auctus jam contigerit. Præclarè etiam Plutarchus in lib. de sera numinis vindicta. Corpus ex corrupto prognatum corpore, nulla pœna, sed cura potius, & custodia dignum videtur. Non igitur his de causis occidenda monstra sunt. Illud verò, quod pro abortibus affertur omninò vanum est, non occiditur, inquiunt, qui nondum vixit. At erat victurus, si vivendi facultas interclusa non esset. Semen quod nondum actu est, potestate est. Lege æquè tenetur, qui non plantas, salices, vites, sed prima germina corruperit. Quis etiam facilè dixerit, vivat fœtus, an non vivat, cum ambigitur? Inexplicabilis tota ea ratio est, cum quo momento semen genitale infusum est, statim præparatio ad vitam se exerat.

Canones pro monstris duo.

Plutarchus.

Contra abortiones.

Irascitur

irascitur in Mose Deus ei qui semen, ne generaret, effudit, quanto magis, qui id perdit, quod in naturæ agro agitari ad vitam incipit. De fœtus anima ita doctißimi hodiè sentiunt, in conceptu primo animam jam inesse non φυτικὴν tantum & αἰσθητικὴν, sed rationalem etiam & intellectivam, eamq; non minus; quam cœteras cum spermate communicari, etsi scio dissentire; qui animam rationalem peculiariter à Deo infundi existimant, quibus obstat, quod non videatur consentaneum, id quod corruptibile est, organo elaborare ei, quod incorruptibile. Tum etiam quod anima corpus informans præstantior videri potest, rationali succedenti postea. Deniq; quod una est in nobis anima, & substantia, & numero non plures. His de causis non videtur monstris parandus carnifex, nisi fortaßis metaphoricis portentis, Catilinis, Antonijs & similibus.

Anima in fœtu.

Anima ex traduce.
1.
2.
3.

Distinguendum ego in hoc censeo: Ac primum quidem tantum de humanis loquamur. Parum enim refert, quid fiat de cœteris. Licet omnino nefrendes occidere ex suibus, & hujus generis alia.

De Platonis sententia ita sentio in repub. Christiana locum eam habere non oportere, quoniam & impia est, & in humanam naturam crudelis, sicut & illos damnavit antiquitas, qui tot miserorum & innocentum hominum catervas

Platonis sententia profana.

cum

cum disparibus animalibus olim commiserunt, & quo plus sanguinis fundi cernerent, hoc plus oblectationis ex ea lancinatione caperent; Et quæ potest esse tanta ratio, à qua cogamur homines, qui verè homines, novo more perdere, ne numerus augeatur? Sed ne his quidem vis inferenda est, qui ita debiles sunt, ut ad militiæ labores non sint futuri satis validi. Nam hæc ipsa futura incerta sunt, neq; quos putamus esse debiles, tales esse semper oportet. Multa in primis naturæ detrimentis imbecilliora sunt, quibus ablatis invalescunt, & ætatem longissimè protrahunt. Si pugnare in bello non poterunt mutili, aut cœci pingere, erit aliud quod agunt.

An debiles tollendi.

Magis id volumus accipi, de divinis portentis eiusmodi, si vera est Theologorum & vulgi opinio. Rursus causa nulla est, cur quibus membra sunt superflua, ut vivere tamen possint, aut figura inversa, aut situs, aut magnitudo vitiata, jugulare conveniat: Deniq; nemo ex ijs omnibus occidendus, quibus baptismus non fuerit denegatus.

Quæ monstra tollenda.

Rursus sunt ex altera parte, quæ tolli impunè possunt, ut quæ aliena à specie humana sunt, & ex illicito diversorum animantium, maximè hominum & brutorum commercio progenita sunt, quorum cum autores puniantur, illud etiam nefandum, ex his genitum, amovendum, ne quod vestigium

ſtigium facinoris in memoria relinquatur, quamvis hæc rarò ſunt in longum vitalia.

Eadem ratio eſt eorum, quæ depravata ſunt ab imaginationis vi, cum fœtus beſtiam refert, quorum Exempla ſupra multa attulimus L. Scipione & Cn. Narbone Conſ. in Hetruria materfamilias vivum ſerpentem edidit, qui iuſſu aruſpicum in profluentem abiectus eſt. Alius etiam infans quatuor manibus, & totidem oculis, naribus, pedibus, & genitali duplici, iuſſu aruſpicum combuſtus eſt, & cinis in mare abiectus. Anno 1012. tempore Henrici II. gemini nati in Saxonia roſtris & alis anſerinis occiſi ob aſpectus fœditatem. Exempla monſtrorū occiſorum.

De Cambionibus & ſuppoſititiis ſi res conſtaret, unde orti eſſent, non dubitarim, inter tollenda numerare. Certæ notæ ſunt, è quibus naturales eſſe non creduntur, ut dictum eſt antea. Vnde is etiam puer, cui mater cum quinque nutricibus alendo non ſufficiebat, in aquis ſuffocatus eſt. Iuriſconſultus etiam non agnoſcit pro liberis, qui contra formam humani generis converſo more procreantur: Nec ſunt liberi iuſti, & in poteſtate, qui contra naturam naſcuntur. De his etiam & ſenatusconſultum Tertullianum. Mulier ſi monſtroſum quid aut prodigioſum enixa ſit, nihil proficit. Deniq; quicquid eſt in monſtro, quod ſacris initiari non ſinit, ob dubiam eius naturam, ... id for- Cambiones.

id fortaſſe tolli poteſt, ſed definire difficile eſt. Certè quæ Auguſtinus vidit, ea nemo tùm ſuſtulit, ſed ſpontè mortua ſunt, neq; quæſivit, an id jure poßit fieri.

Quicquid autem de his ſtatuatur, hoc perpetuum ſit, monſtra deformia publicè pro ſpectaculis ſine diſcrimine non proponenda, quod gravidarum imaginatione & terrore multi in matribus fœtus impreßione abſurdarum figurarum polluti ſunt. Itaq; placent, qui monſtroſos mendicos è ſuis regionibus exegerunt animadverſo periculo, quod in Bavaria factum legimus de virgine bicipite mendicante, nec concedendum eſt, ut parentes pauperes ex oſtentatione tali deformatorum pecuniam colligant: Satius eſt egeſtati aliter occurrere.

CAPVT XLII.

Cuiuſmodi monſtra pro vera prole noſtra non habenda, quæq; nec matribus proſint, ad ius liberorum.

HANC controverſiam ſubtilitas juriſconſultorum nobis peperit, non prorſus etiam à Philoſopho præteritam. In judicijs aut perſonarum, aut rerum habetur ratio. In perſonis de ſtatu hominum & qualitate quæſitum eſt, atq; hoc

loco

loco inter cætera, utrum monstrosi jus liberorum in bonis parentum habeant, matri verò prosit fœtus talis ad id jus obtinendum, quod ex liberorum partu conjectatur: Aristoteles ita de eo disertè; in 4. sect. probl. 13. Quod ex nostro semine procreatum est animal, prolem nostram appellari: Sed si ex aliquo alio nostro vel excremento, vel parte prodijt, nostrum id esse, neminem fateri. An monstrosi vis liberorum habeant. Quid monstrum dicatur.

Addidit & alterum hoc: Quod noceat, malumq; sit, id nullius esse suum, nec quod alienum est, id suum esse posse. Haud enim idem, suum & alienum, diversum & malum. Quod nocet alienū est.

Tertium ex eodem mutuemur: Excrementa & putredines non nostra, sed diversa alienaq; esse à nostra natura. Non enim quæcunq; in corpore existunt, corporis esse putandum. Nam & papulæ sæpè erumpunt, quas tollimus, atq; excidimus, atq; omninò, quæ præter naturam constiterint, aliena censenda.

Quartum sequitur. Quod si ex rebus nostris solo semine natum animans sit, rectè quod ita provenerit, prolem id esse nostram tantum putabimus. Ex semine verò ipso, si quod ipso exitit aliud, ut vermis, ubi vel foris putruit, vel corruptū in utero est, ut quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram haudquaquam dicendum. Cum enim corrupto creetur semine, non insuper ex nostro creatur, sed alieno, quemadmodum quod ex-

 cre-

crementis constiterit, ut quod ex stercore. Omniá vero huiusmodi ex corrupto semine creari, indicatur hoc, quod ex non corrupto creari tale natura solet, quale illud est, de quo semen genitale prodierit, si de equo equus: Corruptum nihil tale enasci potest: Multa hinc ad rem erui possunt, verum non omnia, quandoquidem nec omnia monstra ex corrupto semine vel excrementis consistunt.

Quædam monstra proles sunt

Potest esse monstrum, quod homo tamen, & ex nostro semine non corrupto, ut sedigiti, bicipites, unimani, cæci, gibbi. Itaq; apertius aliquid desiderari potest; Iurisconsulti etiam super hoc diversi sunt. Nam iurisententia una est. Mulier si monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit. Non sunt enim liberi, qui contra formam humani generis converso more procreantur. Atq; hoc ad senatusconsultum Tertullianum. Contra Vlpianus in l. quæret, de verb. significationibus: Prodigiosum vel monstrosum partum matri in lege Papia prodesse. Diversitatis ratio aliqua reddi potest, ait Cujatius. Odiosa enim est lex Papia, quæ orbus eorum, quæ in testamentis relinquuntur, semisse mulctat autore Nicephoro l. 7. c. 47. & ideo Ambrosius in Lucam c. 3. Erat, inquit, deforme, liberos non habere, quod etiam legum civilium fuit autoritate mulctatum. In Senatusconsulto Tertulliano

Iurisconsulti de monstris.

de lucro certatur, in lege Papia de damno. Plus autem faciendum est his, qui de damno vitando, quàm de lucro captando certant. In hoc casu tamen, ne quid temere fiat contra justiciam, distinguendum cautius. Non enim verum est, justos liberos non esse, qui contra naturam nascuntur. Est hoc omnium monstrorum. Quid ni tamen pro liberis habendi, qui membrorum humanorum officia in partibus ampleant, ut sunt sedigiti. Ego de eis accipiendum judicarim tantum non prodesse, si quid in toto gignenti dißimile est, & aliam speciem repræsentat, ut glis ex muliere editus. A quibus non multum absunt mista ex diversorum animalium partibus, quale agnus bovis capite, aut puer ranali capite, vel vituli. In his enim prodigiosa & formæ peregrinitas facit, ut pro vera prole, quod ita editur, non habeatur.

CAPVT XLIII.

An monstrosi fœtus intus in utero latentes, antecedentibus signis prævideri possint.

AN quæ verè gravida sit ex signis adjunctis judicatur, itemq; an mas an fœmina ex colore, loco, progressu, venarum tumore: Multa impendentis abortionis ex lacte, mammis, coarctatione laterum & ventris, lumbrorum gravitate,

Nonnulla ex his mortuum intus symptomata produnt, sed graviora multo. Potéstne igitur similiter prævideri, num monstrum gerat mulier. Sunt enim, quæ nihil ipsæ quidem suspicantur, nec tamen sine signis hos etiam fœtus edi consentaneum est, ex quibus ante ea calamitas agnosci possit. Quæ concipiunt aut integrè sanæ sunt, aut non sunt. Illæ cum opportunè conceperint, toto illo decursu ad partum u.q. offensionis propemodum nihil percipiunt. Valetudinariæ secus habent; quorum cum maior sit pars, commune plerisq. pathema est, deterius valere, aut toto tempore, aut certis tantummodo mensibus, neq. id modo ob suppressionem purgationis menstruæ, sed etiam ob decessionem, multi in fœtum grandescentem alimenti, & quod tum vitia celerius graviusq. se degunt. Si quæ antea intus latuerunt, sed aliæ aliter efficiuntur, pro humorum naturarumq. diversitate, alijs dolor, ob cachochymiam, vel plenitudinem molestus est, alijs ciborum fastidium, alijs somnus, vomitus, vertigines, & ex his ipsis quædam male, quædam deterius habent. Ergo illæ deterrimè, quæ monstra gestant, unde & harum omnium partus difficilimi: non id sine ratione creditur; Vt enim corruptiones degenerationesq. alijs aliæ sunt graviores, itaq. his adiuncta sunt symptomata, necesse est ibi vehementiora esse, ubi in motu maior perturbatio. At in his est maximè

Signa monstri in utero.

Gravidæ duplices.

mè insignis, sed explicare ea, & enumerare operosum propter varietatem accidentium. Et quia ipsa monstrorum raritas observationem minus frequentem tribuit, & quia ipsæ etiam gravidæ, sæpè quod tùm acciderunt, aut non meminerunt, aut non fatentur, pleiumq; ob verecundiam: In 2. popularium apud Hippocr. est, Antigenis uxorem peperisse puerum carnosum quidem, verum qui haberet maximas partes discretas, magnitudine verò esset quatuor digitorum, & sine ossibus. Deinde crassus & rotundus. Hanc igitur ante partum anhelosam fuisse, deinde simul cum partu pus modicum evomuisse, veluti ex furunculo. Habuit hæc pauca mulier monstrum gerens. Dicam sequuntur frequenter monstra, ad minimum notis insignitas fœtus. Tumor ventru supra modum, si aut plurimi, aut supra consuetam molem. In paris contra habet, quidam in motu signa observant, maximè cum distorti sunt, ut in valgis: Quod magis in bicipitibus aut quatuor pedibus potest credi ita fieri. Sūt & à lacte, à graviditate lumbrorum, à febribus, à capitis dolore, à convulsionibus & deliquijs, à semine effluente, à colore in papulis, indicia nonnulla. Sed nullum perpetuum prorsus. Quibus autem terror contigerit subitus, aut species absurda sensibus oblata molesta inhæserit, aut casus alius violentus obvenerit, unde vitiari fœtus solent, ijs suspecti fœtus non

Monstrum ex Hippocrate.

Signa.

non sine ratione esse possunt, & his quidem solis fortasse. Sed illud etiam scire nonnullis ante non est utile, cum subveniri non potest. Ad quid enim curarum & doloris anticipatis?

CAPVT XLIIII.

Cur monstra, formæq; peregrinæ in somno oblatæ morbum aut insaniam significent.

Divinatio ex somnijs

Magnam vim habent conjecturæ ex ijs, quæ in somnis offeruntur, modò id rectè fiat secundum Hippocr. in lib. de insomnijs. Nam cum quiescit corpus, anima tamen in motu est intus, & corporis partus perceptat, domumq́; gubernat, multa ibi agit, quæ, qui observat, magnam sapientiæ partem novit. Significant enim somnia & boni aliquid & mali, etiam corporis affectiones, repletiones, evacuationes, rerum naturalium excessum, defectumq́;, & consuetorum mutationem præmonstrant: Sanitatem indicant, cum quæ per somnum occurrunt, diurnis actionibus respondent, & de quibus consilium est initum. Tùm anima neq; repletione, neq; evacuatione ulla, atq; ne externis rebus victa est. Sed cum diurnis adversantur nocturna visa, turbationem in corpore significant. Hæc quam varia sint, quamq́; variè signi-

significent, & quomodo singulis, quæ indicantur, occurrendum sit, ibidem autor ille indicat. Vidit hoc & probavit Philosophus in lib. de divinat. per somnia. Quoniam, inquit, omnium rerum parva sint initia, perspicuum est morborum etiam esse, aliarumq; affectionum, quæ in corporibus postea temporibus existunt. Ex quo illud perspicuum est, hac ipsa à dormientibus, magis quam à vigilantibus observari. Vnde etiam vera somniorum interpretatio deducenda est, idem exposuit. Eumq; optimum esse coniectorem somniorum, qui similitudines rerum possit cognoscere. Nos de uno genere in hoc loco dicamus. Fluminum transitiones, inquit Hippocr. & hostes armati, monstra, formaeq; peregrinæ morbum aut insaniam significant: & paulo ante: Quæcunq; formæ peregrinæ corpora in somniis apparent, & hominem perterrent, ciborum inconsuetorum repletionem & secretionem, & bilis supernè atq; infernè eruptionem, & morbum significant periculosu[illegible] Vnde hoc paulo inferius vomere iubet, & [illegible]cè edere, & corpora exercere, & lavare, solem autem & frigus vitare. Hæc ad summum Hippocrates. Quoniam autem & de fluviis dixit, & hostibus armatis, & monstrosis figuris, corporum singulorum causæ in his tribus sejungendæ sunt. Non enim videntur à causa uniusmodi.

Quis optimus coniector.

Somniare fluvios quid.

Primum qui fluvios se videre, aut navigare, aut mergi somniant, in ijs ob rerum similitudinem humoris in corpore superflui & abundantis copiam significari probabile est. Idq́, ita esse, somnia exposita convincunt, quibus corpora sero tument.

Videre armatos quid.

Alterum est, armatorum virorum somnia, arma sunt in dissidijs & pugnis, non in amicitijs: Igitur plurimi humores inesse corporibus talibus significentur. Sed qui pravi maligniq́ sint, & inter se ob naturæ contrarietatem dissentientes dimicent.

Monstrosæ figuræ quid.

Tertio loco sunt monstrosæ figuræ corporum τέρατα ἀλλόμορφα, ἢ σώματα ἀλλόμορφα, ὁκόσα φαίνεται ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν, καὶ βοβέει τὸν ἄνθρωπον, *diversis induta somniis. Vt si homini capiti truncus equinus adnatus sit: Hæc perturbationem quandam internam humorum commixtorum & pugnantium invicem notant. Quod si enim plures humores non essent, non* ἀλλόμορφα *repræsentarentur. Ex eo quod uniusmodi est. Si plures quidem, sed quieti, nihil apparet, nisi in fumos agitentur. Igitur & varietas & in motu agitatio latet. Ex quo non difficile ostendere est, cur & morbus difficilis, & insania, tali in constitutione corporis metuenda videatur. Indicat id humoris natura, qui naturæ maximè adversarius est, luciditati spirituum opposi-*

positus, vitæ hostis, ob contrarias in eo qualitates. Deniq, qui contumacissimus est adversus auxiliis. Quod si igitur hic abundet, pertinacem morbum, si irritetur, & ad caput trahatur, insaniam sequi necesse est, atq, hæc quidem ab humori naturam desumi necesse est, ut fit etiam in alijs. Nam quibus intestina scatent sordibus, & corpus fœculentum, ij de stercoribus somniant, qui mortuos se videre putant, & monstra obscura, tenebrosa, bile abundant atra, unde Elephantiacos frequenter mortuos & sepulcra somniare observatum est. Cur igitur monstra morbos significent, expositum est.

CAPVT XLV.

Quæ monstra magis vel minus à naturæ medio degenerent, & quo charactere id deprehendatur.

Tres sunt affectiones, quæ æqualiter inter se disponuntur 3. Ethicorum, non obstante eo: Vnum uni esse contrarium. Vnum medium, quod in laude, duo quæ à medio recedunt, ob id in vitio, sed sub uno genere vitij utrumq, continetur. Ea quia circumsident quasi medium τὰ ἄκρα & extrema dicuntur. Sed quoniam quæ à medio hoc abeunt, non omnia pari discessu & Medium et extrema in rebus sunt

Extrema non æqualiter ab sunt à medio.

discrepantia absunt. Sed aliud longius, aliud propius abest, iudicij canon est. Quo unumquodq́ extremorum similius est medio, eo minus ab eo recedit. Rursus, quo quippiam est dissimilius, hoc magis contrarium esse iudicandum est. Audacia & ignavia fortitudini adversantur usu, & opposita sunt. Sed quia nihil commune cum fortitudine habet ignavia, audacia verò aliquid, ob id minus hæc, illa magis ab ea virtute declinat. Sustinet pericula fortis, sustinet etiam audax. In hoc similes. Ignavus nulla subit formidulosa. Hæc quæ in viris fiunt morum & animi ad monstra accommodemus. Nam & Philosophus τέρατα vocavit. & ἁμαρτήματα τῆς φύσεως & παρεκβάσεις & μεταβάσεις. Medij hic rationem habet, cum motus natura simile exquisite gignit ei qui genuit, idq́ fit cum motus constat, non solvitur. Sed cum corrupto aliquo generationis principio motus non constat, fit μετάβασις a perfectione per degenerationem accedente, atq́ ita in oppositum transitur. Sed hoc variè potest fieri.

Medium in natura excre- m.

Nam cum facultas in semine multiplex sit, pro ea facultate, quæ non superavit, quod generat, moveatq́, fit transitus, semperq́ in sequentem & proximum transitur, motus verbi gratia eius qui generat, si solvatur, primum differentia minima in

ma in motũ patriũ transibit, mox in avi, atq; deinceps ad hunc modũ in cœteris similiter, aliquando quidem in proximum, aliquando in propinquum, mox in remotionem etiam ita ut nemini suorum similes prodeant, sed commune tantum relinquatur, ut homo sit, alij etiam, ut jam monstra, in quibus rursus alius atq; alius est degenerationis modus, alius levior, alius gravior. Quæ verò sunt, quæ vel magis vel minus recedunt? Ex monstris alia ostendimus in toto speciem mutare; alia in conformatione tantum esse vitiata. Quæ in specie mutata eduntur, ut ex muliere glis, aut serpens, ea maximè degenerare, quoniam maximè gignenti dissimilia sunt, intelligi potest, quo & referimus, si quæ multorum animalium diversis membris prædita sunt, ut vitulis Aristotelis pueri capite, & ovis capite, bovis ibidem. In cœteris autem quo plura primum vitia in uno sunt, hoc maior lapsus est, deinde quò figura minus respondens speciei; hoc absurdior partus. In numero, qui tres digitos habet, minus monstrosus, quàm qui quatuor. Magnitudo & parvitas suos gradus habent, ut magis minùsve monstrosi sint. Hi etiam absurdiores, quibus in toto vitium obtigit, quàm in parte, rursus quibus pars nobilis, & cujus usus maximè necessarius corrupta infeliciores, quàm quibus minus nobilis laborat.

Motus del generandi varius.

Quæ maximè degenerent.

Maior lapsus à pluribus vitijs.

Et in parte nobili.

Infeli-

Infelicißimi, quibus ita distortum deprauatumq́; est, ut animæ actionibus officiat & hominis officia non sustineat, ut fit in ijs, qui & monstrosi & fatui sunt. Hermaphroditi, si pars in ijs una ad usum commodè satis, minus deplorandi. Præstat & unanimum esse, quam bicipitem, non facilè constituas, plusne noceat absentia partis, vel numerus omninò superfluus. Nam & apodes & qui quatuor pedibus eduntur, usu non multum discrepant. Maculæ minimè omnium lædunt & deformant non semper, si intus lateant. Omninò autem hi, in quibus sit tantum aliquid monstrosè pro minus monstrosis habendi, quam quibus partes perversæ, nisi quid admodum insigne, ut in vitrivorace illo, hoc scire in tantum interest, ut Iuriconsulti, quemadmodum iam attigimus, vix constituant aliquando, num pro humano fœtu partus habendus sit, multis etiam baptismi sacramentum denegatum est, cuius iudicij non ubiq́; satis firmos perpetuosq́; characteres constitui posse videbit, qui in differentijs horum prodigiorum se exercuerit. Atq́; de his quidem hactenus.

Qui minus monstrosi.

CAPVT XLVI.

Quæ monstra delectent: Cur nani, in precio. Fatuis cur locus in aulis principium relinquendus.

Vsitata delectant parum, & admirabilia nova, insueta plurimum, si sine periculo. Ex his ipsis etiam quædam risum potius, quam veram admirationem efficiunt. Vsitata non oblectant fere, quoniam animum non movent, neq; ad considerandum alliciunt, propter cognitionem obviam, aut veram aut opinatam. Admirabilia suspicimus, quia insueta & ignota, animumq; docent aliquid, aut ad investigationem veritatis & causarum deducunt, tanto magis, quo plus usitatæ naturæ limites egrediuntur, unde & admiratio Philosophiam peperisse creditur. Ex quo fit, ut plura indocti admirentur è vulgo, quàm sapientes, quibus non sunt mira, quæ insipientibus eiusmodi videntur. Vsitata non delectant sed mirabilia. Plura admiratur vulgus, quam sapiens.

Delectant autem falsa etiam, primum ob id, quia ut fit in Comœdijs & Tragœdijs ea ponuntur, quæ esse possunt. Deinde quia sensu prosunt nonnulla, ut apologi non in totum commentitij sunt. Tertiò propter inventionem & acumen, ut Ovidianæ metamorphoses & Lucianica complura. In picturis etiam falsissima, cum nihil conveniunt cum rebus, tamen oblectant. In monstris semper absurditas ea, an delectare possint, videamus. Falsa delectant tripliciter.

Primò quidem ita esse manifestum est: Aluntur enim & habentur in precio, sed neq; omnia; neq; semper; neq; ab omnibus expetuntur, neq; Quæ monstra oblectent.

neq; uno fine. Nam ferè Pygmæi,& nani ac longuriones locum in aulis habent. Non vafij, valgi,claudi,cœci,bicipites,unimani. Quali etiam nonnunquam non nata esse parentes optant, ut quæ ex diversis seminijs. Sed cur nani & illi immodicè longi? Has opinor ob causas.

Cur nani & longuriones in precio. 1. *Primum quidem ob figuram solam, & corporis molem ridiculam, quæ cum nihil præterea accedit, quod humanum non sit,fit ridicula, ob raritatem, & novum situm, qui sensui nullam inferat molestiam.*

2. *Deinde, quod his plerumq; nanis maximè fatuitas monstrositati adiuncta est, anima in vas non idoneum inclusa. Tanto autem gratior in his,ut alienis,fatuitas. Non enim qualibet oblectant. Nam aliquandiu in infantibus,& ferè parentibus solis grata est,in senibus non item. Discutit autem magnatibus sollicitudines & diluit molestias,quæ è negotijs nascuntur.*

3. Fatui vates. *Præterea & fatidici quidam ex his sunt, & quasi vates ad miraculum usq;, futuraq; prædicant, nullo errore, sive quod eorum mens minus referta curis est, & velut deserta omnibus cogitationibus vacua, facilius commovetur & agitatur, sive quod his inest peculiaris quidam Enthusiasmus nondum facta præsentiens,ut est in libro de divinatione per somnia Aristotelis.*

Postremo, monitores sæpè sunt, non fatui, & liberiores, quia extra periculum, quam acuti consiliorum magistri, quorum hoc erat proprium. Non igitur videtur omninò improbandum, fatuos adiungi principibus. Durior in hoc ut in cæteris Seneca. Cum fatuum ridere volo, inquit, non longè quærendus est, meipsum video. Bene hoc. Sed quid juvat fatuum audire? sæpiuscule, ut de fatuitate propria frequentius in animum veniat. Quis etiam oblectationem illum invideat, maximè alias occupatus plurimùm. Quis etiam miseros istos, aut ferat, aut alat, ad nullas res ferè idoneos; nisi in aulis favorem ollamq́ repererint. Magis illi reprehendendi, qui cum rationem à natura habeant, scurrarum tamen facetiis abjecto pudore fatuitatem induunt, & nummorum gratia insanire discunt. Hi etiam non minus qui ob dotem cum conjugibus fatuis malint vivere. Sed cur quædam in deluiis sint monstra, & quidem aliqui tantum, in his fortasse ratio est.

4. Quilibet sibi fatuus. Scurræ.

CAPVT XLVII.

Pomilio quid Cur minus memoria valeant. Eius impedimenta duo exposita.

Pomi-

Pomilio quid.

Pomiliones definiebat Aristoteles 4. de part. cap 10. Pomilio est, cuius pars superior magna est: Inferior, quæ sustinet pondus motúq; exercet, parva, minimeq; respondens superiori: superior est, quæ à capite usq; ad excrementi ostium, qua continetur. Ibidem est, animalia omnia excepto homine formam gerere pomilionis.

Infantes pomiliones.

Et hoc omnes infantes pumiliones esse superiore parte magna, inferiore autem minore, quamobrem eos serpere, nec ambulare posse, in principio etiam ne hoc quidem posse; sed iacere immobiles. Tum profectu ætatis hominibus partem inferiorem augeri, quibus subiungit hæc. Avium & piscium genus omneq; sanguine præditum forma esse pumilionis, quamobrem bruta esse dementiora homine, Etenim inter homines pueri viris, & inter viros pomiliones mente deficiunt, quanquam alijs viribus fortè valeant. Placet & causam eius rei intelligere.

Bruta cur homine dementiora.

Principium, inquit, animi difficile admotum & corpulentum in ijs est: addo etiam, quod cum minus remaneat caloris, qui efferat, plus autem terrenæ portionis supersit, efficitur ut corpus animalis tum minus, tum etiam multipes formetur, demumq; expes, prostratumq; in terram præ inopia caloris proveniat, sensimq; procedendo ita degenerat, ut principium vitale, caputq; infra habeat. Hæc ibi in hanc sententiam, sed in

libro de memoria ita scribit; Illi quibus superiora proportione reliqui corporis sunt vasta, quiq́; formæ pumilionis degenerant, minus memoria valent, quàm qui contrario sunt habitu, quod ipsa sentiendi vis pondere graviore opprimatur, quodq́; nec initio inhærere, nec desistere formæ rerum possint, sed disiliant, nec cum reminisci volunt rectè itinere sequantur, reddanturq́;. Hæc verborum brevitas paululum evolvenda est. Pomiliones minus valent memoria.

Themistius in Paraphrasi pauca adjecit. Vis, inquit, sensus primaria gravata in iis oppressaq́; pondere est, quodq́; in tam obesa & crassa materia designari, aut exprimi formæ non possunt, sed quasi frustrantur & disiliunt plagæ; nec initiis modo imaginibus præduri & spissi resistunt, sed si quas ob insignem earum pulsum admiserint, hauserintvè, non ita videntur admittere, ut cum reminisci volunt, facilè ad imperium subeant, aut rectè itinere ad conditum sequantur. Hæc interpres in Paraphrasi: sed quæ & ipsa declaratione indigeant. Igitur reminiscentia partibus est quoddam sensitivæ partis actus, non intellectivæ, quoniã etiam est in brutis. Sed in nobis tantò nobilior, in quibus adjunctum intellectum habet, in illis non habet: Semper autem quod inferioris ordinis est, ut ait Thomas, fit perfectius superiori coniunctum, quasi eius perfectioni. Impediri autem posse memoriam diathesi aliqua cer- Themistij interpretatio. Reminiscẽtia quid. Inferius adiunctum superiori fit perfectius.

 tum

tum est. Fitq; tùm aliis quidem etiam modis, sed duobus potissimum.

1\. *Primum in iis qui habent membra superiora majora, quàm inferiora, qualis constitutio est in nanis, quibus sunt curtæ tibiæ, superiores verò partes proportione majores, hi deterius meminisse solent, quàm quorum corpora contrario modo se habent, quoniam organa sensibus destinata in superiore parte copia materiæ uberioris aggravatæ sunt, ob id motus sensibilium in iis diu consistere minime possunt, sed dissipantur subitò propter humorum confusionem. Atq; hoc primum memoriæ impedimentum est. Deinde & ideò non facilè meminerunt, quod motum naturæ regere non possunt.*

2\. *Est & impedimentū aliud à dispositione impediētē memoriā nuper natorū & senum, qui sunt quodammodo immemores propter nimium quidem motum augmenti in pueris, decrementum verò in senibus, ac pueri quidem in prima ætate commune quiddam cum nanis habent ob molem superiorum partium, ut dictum est.*

CAPVT XLVIII.

An mulieres monstris annumerandæ. Non esse, multis argumentis demonstatur.

SEXUM esse constat: In omnibus autem sit naturæ rebus, an in non omnibus, quæsitum est. Certè Plato ita sensit de cœlo, de terra, cæterisq́, in quibus agendi & patiendi virtus est distincta. Sed non est ita, aut non distincte secundum Philosophum l. 1. de gen. anim. c. 2. In perfectissimis distincte. In Hermaphrodi[?]is uterq́. Sed alter tantum perfectius. Nos huius sententiam sequamur, cui sexus alius est masculinus, alius fœmininus. Masculinus 4. Hist. c. 11. fœmineusq́, non omnibus animantibus inest. Sunt enim, quibus is desit, ac similitudine quadam tantum, & parere dicantur, & ferre uterum. Sexus ergo discrimen in animalibus, quæ vitam stabilem vivunt, aut omninò in iis, quæ testa integuntur, nullum omninò est. At in mollibus, & crusta opertis mas habetur, & fœmina. In pedestribus quoq́ tùm bipedibus, tùm quadrupedibus sexus uterq́ est. Sexus.

An in plantis.

In quibus sit sexus.

Atq́ etiam in iis, quæ animal per coitum generant, aut ovum, aut vermem. De plantarum sexu sunt in Theophrasto lib. 3. Hist. plantarum cap. 12. & 1. de causis plant. cap. 9. & 28. In Homilia etiam 5. Hexameri. Legendus etiam Galenus l. 6. simpl. Dioscorides, Plinius lib. 21. cap. 21. Sed contrariæ sententiæ sunt, & sitnè in plantis, nec ne, hoc loco nihil attinet quærere.

In animalibus autem perfectioribus sexum differre docuit Aristoteles, partibus, ætate, partium magnitudine, firmitate, robore, temperamento, tùm totius corporis, tùm qualitatibus in membris, voce, & quibusdam alijs. Esse autem generationis principia in animalibus, vel plantis etiam, in alijs quidem discreta, in alijs indiscreta, in 2. de gen. c. 1. disertè docet. Quomodo item mas & fœmina: & quali ex semine gignantur copiosa doctrina est in 4. de gen. anim, c. 1. Vbi & diversas sententias super eo collegit. In eodem autem libro cap. 3. cum dissimilitudinis causas investigaret, parentum & liberorum, eumq́; dixisset, monstrum esse quodammodo, qui gignenti non sit similis, hæc addidit: Initium primum degenerandi est, fœminam generari, non marem: Nam cum semen maris aliquando non superat, aut ob ætatem juvenilem senilémve, aut ob aliam eiusmodi causam, fœminam ob eam rem gigni necesse est.

Fœmina animal occasio natū. *Hinc omnes penè Philosophi posteriores fœminam animal occasione natum dixerunt, quasi mutilum & imperfectum, ac vix inchoatum. Imperfectio autem in monstris est; Vult semen in maris ortum abire, non potest autem ob imbecillitatem causæ particularis. Hac igitur fit, quod potest. Est & alius in eandem sententiam locus contra mulieres 4. de gen. 6. Sunt fœminæ, in*

quib

quit, sua natura debiliores, frigidioresq́, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem & detrimentum esse putandum est. Hæc ibi. Sunt in multis mulieres viris inferiores, sed nimis atrox est sententia ista, nec ferenda. Estnè parergon fœmina, aut naturæ quædam prævaricatio. Quid igitur deest? quid est, quid homini non competat? cur in pleriq́, quæ natura constant, fœmina etiam reperiuntur. Quod cum propagationis causa fiat, necessitas exigit, ut ad naturæ ipsius perfectionem hic sexus esset. Nam cum ad generationem quinq́ hæc requirantur, agens, actio, effectum, materia, locus, hæc in uno esse non possunt, sed ad absolutionem utile necessariumq́ fuit duo copulari. Nam agens & patiens saltem diversa esse, necesse est. Igitur ne species quidem esset, nisi fœmina esset. Mulier nō est parergon. Fœmina servit speciei conservationi. Agens & Patiens diversa.

Præterea primus fœminarum ortus non minus à divina virtute est, quàm virorum, at nihil est imperfectum, quod ille fecit, quoniam & bonum, quid? quod & natura videtur magis fœminarum, quàm virorum procreationi intendere, cuius signum, quod in censu regnorum major fœminarum semper numerus quàm virorum fuit, dextrum etiam testiculum dixit Hippocrates ἀῤῥενογόνον, *sinistrum* θηλυγόνον, *cui addunt anatomici: testem hunc sinistrum officinam & quasi piscinam mulierum plus semper seminis* Ortus mulierum divinus. Nihil imperfectum creatum. Plures fœminæ quā mares.

continere, quàm dextrum, ut videatur natura plus fœminarum multiplicationi, quàm virorum incumbere. Quod si etiam mulier monstrum est, Vir etiam monstrum, qui ex ea nascitur. In 10. metaphysic. c.12. masculum & fœminam specie non distingui, quia non per formam, sed per materiam distinguuntur, & certè argutijs hic non opus est, si ad primum ortum respicimus. Idem autor viri, & mulieres, & sicut ad universi perfectionem, & diversi rerum ordines pertinebant, sic & diversitas sexus eodem refertur: Quandoquidem alimento conservari non poterant res cœtera & maximè hominis natura. Poterat quidem Deus aliter, sed non placuit. Itaq; & pars ordinis est. Addita & benedictionis formula, & salutare votum, cum imperio: Crescite & multiplicamini, quod fit per seminum distincti sexus communicationem, cum tempore, loco & ordine debito gignunt; consanguineæ igitur nobis illa, & ad eandem imaginem factæ. Hinc apud Basilium Martyr quidam mulieres ad pericula pro religione subeunda excitat, quod earum non inferior esset, quam virorum conditio. Seneca etiam mulieres viris præfert, quo longius se ad virtutes à vitijs sejunxerint & ad Marttiam ait: Quis dixerit naturam malignè cum mulieribus ingenuis egisse, & virtutes illarum in arctum retraxisse? Par mihi crede illis vigor, par ad honesta libera fa-

Mas & fœmina specie non distincti.

In universo rerum ordines diversi.

Mulierum cōditio nō inferior virili.

sa facultas laborem, doloremq́; ex æquo, si conjuevére patiuntur; Bruto libertatem debemus; Lucretiæ Brutum. In conciliorum canonibus ex Ecclesia reijcitur Episcopus vel presbyter, qui nuptys abstinuerit, propter abominationem, ob litus, quod omnia D E V S pulcra admodum masculum & fœminam creaverit, sed diffamationibus lacessens creationem Dei vocarit ad calumniam. Sententia ergo Philosophi alia mitiore temperanda est. Deinde ex sequentibus corrigenda: 1. œcon. 3. ait: Societas secundum naturam est mari & fœminæ. Suppositum est à nobis & alijs in locis desiderare naturam in multis efficere talia, veluti unumquodq; animalium. Fœmina autem sine mare, aut mas sine fœmina hoc adimplere non potest. Quare earum societas ex necessitate constituta est: Enimvero in cæteris animalibus absq; ratione id fit, & in quantum naturæ capacia sunt, & procreandi gratia solum. In cicuribus autem & prudentioribus moribus distinguitur magis, apparent enim in his auxilia mutua & dilectiones, & cooperationes, maximè id in homine conspicitur, quod non ut sint causa solum, verum etiam ut benè sint, mas & fœmina, ope mutua, coniungantur. Nihil potuit ab eo honorificentius dici. Temperavit verò magis duriusculam sententiam, cum ita ait: Verum hoc necessarium est naturæ, genus enim

Canones concilio... ... ritibus.

Interpret... ... Aristote...

enim servari oportet rerum, quæ fœmina & ma re distinguuntur, & ne monstrum videretur dicere, adiecit, monstrum gigni nihil est necesse, sicut fœminam necesse est gigni finis gratia. Sed per accidens necesse est. In 29. sectione probl. 11. iniquius ait, esse, mulierem occidere, quàm virum, & rationes aliquod addidit: Quod autem Plato dubitavit, utro in genere poneret mulierem, an rationalium, vel irrationalium, hoc fortasse voluit, esse huius sexus longè inferiorem naturam, & præstantiam, quàm virorum, & animi dotes, minus conspicuas. Quanquam Plutarchus de Clararum mulierum historia habet, quod huic etiam opponat.

Iniquius mulierem quam virum occidere.

Quod verò frigiores affirmant esse mulieres viris, nondum satis evidens est: dixerit hoc Hippocrates in Aphorsi, & Aristoteles in 4. de gen. c. 6. Sed non recipitur ab omnibus. Cur enim citius illæ crescunt, quàm viri? Num augmentum frigus sequitur, non calorem. Est in illis plus sanguinis, ut effluvia menstrua docent: Sanguis calidus est, & caloris abundantiam sequi, antiqui docebant. Leænam venatores leone calidiorem faciunt, sicut ursam urso, ut ferociorem, ita calidiorem. Idem in iis evenire avibus, quæ raptu vivunt, unde promtius sequuntur alimenta, & ulciscuntur iniurias. Certè partes sunt in fœminis, quæ non sunt in viris, ut necesse sit, non fuisse satis

An mulier frigidior viro.

satis materiæ tantum ad illas generandas, sed & calorem fortem satis, & validum ad efformandum. Sunt autem mammæ & uterus. Hæc facultatis defectumnè potius, an robur indicant? Tùm quam divina particula est uterus, in qua nobilissima quæq; animantia concipiuntur, formantur, vivunt, in lucem eduntur. Quod latent eæ partes, formationis est, non caloris imbecillis; Nam qui format, etiam locum tribuit. Certè & vesica intus latet in viris, sed sic esse & hic & ibi oportuit: Sed fac esse frigidiores viris: Causa est cur hoc natura voluerit, ut plus ad fœtuum alimoniam & augmentum materiæ superesset. Præterea si detur esse frigidior. Non ob hoc etiam imperfectior, quandoquidem perfectio omnis ex fine æstimatur, quem in omnibus potißimum quærit natura, si igitur utile fuit, etiam perfectum, cum viro generat, non sine muliere vir, æquè igitur perfecta, atq; ipse est. Vtq; viri absolutio in virilibus partibus talibus, & tali facultate atq; calore est posita: Ita mulieris in suis partibus & calore & facultate, atq; sic vel finis muliebrem sexum ab illa calumnia vindicat. Quid? quod conversas in viros mulieres legimus, natura perfectionis defectum auferente? Quantum ergò à viris differunt? viri non in se transire possunt, multum diversa ad perfectionem non facilè transeunt, ut fit in monstris: Falsáne ergò tot Philoso-

Perfectio æstimatur à fine.

phorum sententia? Non prorsus. Ferendi enim, si minus perfectionis intelligunt in hoc, quam in altero sexu esse, & in quo est defectus, quo superat, marium genus. Accedente igitur differentia dari potest, forma substantiali non item.

CAPVT XLIX.

Quod monstrum in partium abundantia pro uno aut gemino habendum: Et quis index illius.

TANTA fuit Philosophi diligentia, ut ne hoc quidem prætermiserit. Sunt enim nonnulla duobus capitibus uno trunco annata; Hoc monstrosum est. Vni enim corpori unum caput competit. Sub Theodosij imperio in orientis loco quodam, Palestinæ vicino, propè Emaum puellus editus in lucem, qui non modo duo capita haberet, sed etiam duo pectora. In capite autem unoquoq; organa ita distincta, ut sui essent sensus utriq; peculiariter; Nonnunquam vigilaret alterum dormiente uno, nonnunquam utroq; quiescente visum est, percutiebant se etiam invicem & flebant. De hoc duplici Augustinus lib. 16. de C. Dei c. 8 & Cœlius. Vidit Munsterus duas virgines, corporibus quidem perfectis, sed in frontibus connatis, ut neq; arte separari possent, ad deci-

Puellus biceps.

mum

num annum, tùm una mortua resectum cadaver, sed diu superstes non fuit. Lovanij gemelli editi duobus quidem corporibus distinctis, sed quæ uni capiti adhærerent. De talibus alij aliter censuerunt. Philosophi aiunt rem id esse, quod à forma habet. Vnius una forma & è contrario. Quod si plura membra & corpora, etiam plures formas numero inesse videtur consentaneum. Forma enim uno capite indiget, & satis est, sicut & duabus manibus non pluribus. Sed nihil necesse est, ex quavis parte excedente usitatum numerum, concludere duo non unum esse, ut sextus digitus, aut tertius pes vel manus. Itaq. convenit inter autores, respici ad partem principalissimam oportere, qua gubernaretur totum in cæteris. Ea si gemina sit, etiam monstrum geminum. Principalia medico tria, cor, cerebrum, epar, etiam testes, qui quasi alijs fons nativi caloris non malè constituitur. Aristoteli solum cor, quod ab hoc etiam venæ esse, et per hoc videantur, & situm in corpore medio, vivat primum, moriatur ultimo. Itaq. & vitæ esse & functionum principium unum, primum, universale. Nam ubicunq. id fieri potest, unum esse quam plura melius est. Hoc primum in fœtus palpatione agit, quasi iam animal ostendens. Igitur si corpori duo insunt corda, videri tùm, ut duo principia, ita duo corpora separata constituta esse, ut sine corde non vivit, ita unum satis est.

Quando ex geminis partibus concludatur, unum vel geminum monstrum.

Pars principalissima gemina geminum animal indicat.

Secun-

Vnum cor satis est uni animali.

Secundum hæc si unum tantummodo in-insit, cæteræ autem abundent partes, aures, digiti, pedes etiam, unum tamen dicendum non geminum corpus à principij unitate, ut in masculo infonte apud Pontanum, quaternis brachijs & totidem pedibus. Nam hæc quidem materiæ abundantiam tantum indicant. Id voluit disertè Aristoteles. Quibus inquit genitalia duo, unum maris, alterum fœminæ, ijs semper unum ratum est, irritum alterum, cum per alimentum subinde delidescat, quoniam præter naturam est. Agnatum enim est, sicut abscessus, qui aliquid alimenti absumunt, quamvis postgeniti sint, & præter naturam, quod si id, quod procreat, omninò superat, partim superatur, mas & fœmina existent. At si partes quædam desunt, ut postrema aliqua, aut alia quædam membra, eandem causam existimari oportet, quàm si omninò, quod gignitur, abortum patiatur. Vnumnè autem, an plura per coagmentationem, quod monstrosum animal prodijt judicandum est ex ratione principij, ut, verbi gratia, si corpus sit eiusmodi, quod unum cor habet, unum animal est, quod duo, id quoq; animalia duo, quæ coaluerunt, per eorum, quæ concepta sunt, conjunctionem. Hæc quidem Philosophus. Sed num ex hac sola ratione geminum dici debeat, quæsitum fuit. Cur enim si loquatur ore gemino, monstrum, vel eodem, vel dis-

similis

simili modo unum videbitur? Nisi fortaßis in his etiam cor duplex. Augustinus lib. 17. de C. Dei c. 8. duplicem vocat hominem, de quo ita ait. Ante annos aliquot nostra certè memoria in Oriente duplex homo natus superioribus membris, inferioribusq; simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus, & pedes duo, sicut uni homini, & tamdiu vixit, ut multos ad eum videndum fama attraheret. Et quomodo unum hominem dicemus, si quod ad Andes accidit anno 1572 gemellæ fuerunt fœminæ cæteris membris absolutæ, adhærentes tantùm umbilico ad mentum. Fuit autem in his unum cor, epar, in quatuor lobos divisum, ut geminum videretur. De capite non pauciores rationes sunt, quam eis de corde, ut ex illo quid geminum dicatur: illic enim summa animæ viget, ea dico secũdum quam naturæ humanæ dignitas se aperit, cætera quæ à corde fiunt, nobis cum brutis communia sunt. Manat præterea à corde formatrix virtus quædam, in utero etiam dum est fœtus grandius cæteris partibus est.

De hoc autem quicquid sit; certè cum gemino capite, cor etiam geminum ferè esse necesse est, quoniam pro vero accipimus, quod Philosophus posuit; cor principium finemq; esse actionum paßionumq; non modò naturalium, sed & animalium, & humanarũ, quod & crasis & con-

stitu-

ſtitutio eius partis, & ſitus & ipſa omni energia evincit, Itaq; aut ab hoc ſolo, aut ſaltem ut præcipuo iudicandum exiſtimamus, quod monſtrum unicum ſit, aut geminum.

CAPUT L.

An ſint in natura Hermaphroditæ. Quibus in animalibus. Quot eorum differentiæ: Cauſæ autem & ortus exponitur ſententiis quatuor: Vbi & de iis, quæ ſexum mutant: unde id proveniat.

Fabula de Hermaphrodito primo.

HErmes Mercurius ab hoc Hermaphrodito. Erat is Mercurij & Veneris filius, quæ est à Phrodite, Androgenus & vir & mulier, qui ut est in fabulis, cum in fonte quodam, cum Nympha Salmaride laviſſet, eaq; ipſum eſſet ardentiq; complexa, à Iove rogavit, ut ex duobus illis unum redderet, quod & factum his verſibus Ovidius deſcribit, in quarto.

Vota ſuos habuere Deos, nam miſta duorum
Corpora iunguntur facieſq; inducitur illis,
Vna velut, ſi quis conducat cortice ramos,
Creſcendo iungi, pariterq; adoleſcere cernat,
Nec duo ſunt, ſed forma duplex, nec fœmina dici
Nec puer ut poſſit neutrumq; & utrumq; videtur.

Quod

Sunt & de his apud Martialem lib. 6. versus aliquot, & carmen elegans apud Ausonium. Ab hoc omnes Androgyni Hermaphroditi dicti dicuntur, istiq; propriè id nomen competit, in quibus uterq; sexus est, vel æquè potens, vel partes apparent tantum geminæ, mas verò vel fœmina tantum. Luciano sunt ἡμίσεα δ᾽ ἐοι καὶ ἄμφίβολοι τὴν ὄψιν. De his quæramus quatuor. Primum an sint aliqui. 2. In quibus animalibus. 3. Quæ eorum differentiæ. 4. Causæ. Ac primum quidem, sintnè ulli aut esse possint verè, dubitari potest. Et dubitavit Averrhoës, quod in uno eodemq; corpore neq; partes, neq; complexio, neq; excrementa esse possint, utriq; sexui competentia. Discrevit natura sexum à sexu, in hominum & perfectorum genere, non confundit, propterea quod neque dem posse videatur in uno agendi patendiq; æquabilitatem efficere. Esse autem, in verissimis historijs legitur. Nascuntur non cum natura sui juris est, sed cum impedita, portentum gignit. Fœminam androgynam distincto sexu secuit Columbus, aperuit, quæ in corpore eo singularia fuissent, in vasis maximè deferentibus, ut est in libro 15. anatomiæ. Idem virum Hermaphroditum vidit vivum & mulierem Æthiopicam quibus cur fides abroganda sit, non patet.

Non modo autem in hominibus, verùm in brutis etiam idem observatum. Hyænam, ait, Ari

Qui ita propriè dicantur.

1. An sint ulli.

2. In quibus animalibus Hermaphroditæ.

Aristoteles, quosdam opinatos esse duplex habere genitale, maris & fœminæ. At non videtur ob id probare, quoniam Hyænæ tàm mares quàm fœminæ sub cauda lineam quandam similem genitali habeant fœmellæ. Quæ quidem nota quamvis communis sit, tamen in maribus potius cernatur, quia mares magis, quàm fœminæ capiantur. Itaq; qui rem non diligenter considerant, in hanc aberrarunt opinionem, ut est in 3. de gen. anim. c. 6. Sed Plinius habet disertè lib. 11. c. 48. mulierum paucis prodigiosa assimulatio, sicut Hermaphroditis utriusq; sexus, quod etiam quadrupedum generi accidisse Neronis principatu primum arbitror, ostentabat certè Hermaphroditas subjugas carpento suo equas in Gallico agro repertas, ceu planè visenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Memorabile hoc, anno 1461. in Scotiæ urbe quadam Androgenam ancillam berilem filiam in eodem lecto cubantem fecisse gravidam, accusatam facti apud iudices, & vivam sub terram defossam periisse.

Hyæna.

Plinius de Hermaphrod.

In Platonis Symposio est de Androgynis fabula, in collaudatione Aristophanis. Apud Poetam controversia movetur, inter Iunonem & Iovem, cuius sexus voluptas in Venere maior sit, resq; ad Tiresiam refertur, quod hic utrumq; expertus esset, atq; hæ quidem ita dicuntur, cum ad hanc formam nascuntur. Nam aliud est in his, qui

mirâ-

mirabili metamorphosi,cum fœminæ essent, in viros mutatæ sunt. Sanè pro fabulis habere, quæ à tot nostræ ætatis gravissimis autoribus descripta sunt,nimis temerarium videtur. Amatus Lusitanus centuria 2. curationum medicin. 39. habet hoc: In oppido Esqueira novem leucis à Corcybrica nobili apud Lusitanos civitate puella genere nobilis,cui nomen Maria Bachela,quæ cum ad ætatem pervenisset, in qua mulieres primum menstrua solent emittere,vice mensium priapum, usq; ad id tempus intus latitantem extra ejecit, & ex fœmina, factus masculus, & virili toga indutus, ac sacra aqua respersus, Manuel vocatus, qui ad Indos perveniens,& dives & clarus factus est. Postea ad suos reversus uxorem duxit,sed an libros habuerit,non satis compertum. Conscij tamen sumus imberbem hunc semper mansisse. Ejusmodi apud Plinium lib. 7. c. 4. invenimus in annalibus Publio Licinio Crasso, & Cajo Cassio Longino Coss. Casini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuq; aruspicum deportatum in Insulam desertam,Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam,virilitatem provenisse, uxorem duxisse. Eiusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Aphrica vidi, mutatum in marem nuptiarum die Lucium Cossitium civem Tisdulanum. Tale quid-

Fœminæ in viros mutatæ.

Memorabilis historia.

Ex Plinio exempla.

dam in Hippocrate 6. de mollis populi ribus. Nam in Abderis Phaëtusa Pytheæ uxor priore quidem tempore fœcunda erat, cum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores & rubores ad articulos oborti sunt. Hæc ubi contigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus evasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est, idem hoc contigit etiam Namisiæ Gorgippi uxori in Thaso. Sunt apud Volaterranum lib. 24. dierum genialium duarum virginum Romæ exempla, quarum altera ex cane, semicanem enixa est, alteri ipso nuptiarum die mentula erupit.

Phaetusa.

Historiæ aliæ Hermaphrod.

Pontanus lib. 10. rerum cœlestium refert quædam sibi visa, quæ minus pœnitebit etiam retulisse. Cajetana muliercula viro piscatori nupta, cum quo annos complures Veneris res miscuerat, ut Antonius Panormita piscatoris amicus referre adolescentibus nobis solitus est, post 14. annum è muliere in virum transiit, exorto repente in mulieris natura loco virili pene.

Quo facto, quod conditionis perpuderet suæ, ut qui à viris pariter mulieribusq; videretur, è civili vita, ad vitæ genus religiosum transiit, vixitq; in monasterio, in quo ipsi cum novimus vitæ suæ reliquum, sepultusq; est Romæ in

Mariæ ad Minervam templo. Mulier altera, nomine Æmilia, nupsit Antonio sponsæ civili Ebulano, postq. duodecimum nuptiarum annum in Melium mutata est, hodieq. cum viris conversatur, artesq. viriles exercet in patria, utq. relatum nobis est, nuper etiam uxorem duxit. Hac ille.

Totum hoc videtur negasse Seneca, aut non credidisse, dum 20. lib. Epistolarum ita scribit: Omne animal donec moriatur, hoc est idem, quod cœpit; Homo donec moriatur, homo est, equus, equus: transire in aliud non possunt, magis hoc de hominibus in lupos commutatis, aut asinos statuisset, quod est tamen apud Plinium, Solinum, Augustinum & Apulejum. Seneca nō credit Hermaphrod.

De ijs autem quæ in viros commutatæ leguntur, quatuor sunt contra communem opinionem sententiæ. Metamorphosis sexuum unde oriatur.

1. Prima est, qui Nymphas in mulieribus quibusdam Gallorum cristis similes ad ipsum uteri ob carnosas, ita aiunt nonnunquam ductas, sive ex humore affluente, sive aliunde prominere. Vt alieni sexus partem repræsentent.

Altera est ad pudendi alas masculosam carnem foris adeo posse excrescere, ut si illa vestium contactu fricetur, non minus erigatur, quàm coles, unde est Nymphotomia, cum scinditur superfluum. 2.

Tertiam etiam multi probarunt, id uteri nimirum prolapsionem, hoc totum esse referendum.

Quarta est Cardani in 8. de uariet. rerum: Nascuntur, inquit, pueri, contracto genitali membro, obductaq; membrana, quasi sinu quodam, atq; in eo foramine angusto, ob id puellam existimant, qui non attrectauerint. Alijs autem sponte, ubi penis erigitur adolescentiæ initio, fracta membrana penis erūpit, pluribq; in conatu uiri, dùm cū sponsa rem habere se putat, fracta membrana, & attritu erecto pene, masculus prodit maximo miraculo, & prorsus nullo: Nam maius est aut haud perforato nasci, & tam nascuntur quam & absq; miraculo. Sed tempus facit: Nihil ex his quatuor omninò abijciendum uidetur, uerum omnibus exemplis ne hæc quidem satis fuerint, quomodo enim Æmiliæ post 12. demum annum erupit, non citius. Sed nos de Hermaphroditis primi generis loquamur, quod esse ostendimus.

Deinde nec in solo homine. Sequuntur differentiæ & causæ. Igitur differentiæ quatuor traduntur. Alij enim sunt, quibus sexus uirilis manifestè perfectus, alter nō item, nec uere quam perriam. Alij quibus perfectus fœmineus, alter o imperfecto. Alij tertio loco, in quibus uterq; impotens. Postremò quibus uterq; satis ualens est ad agendi patiendiq; æquabilitatem, pollens & præuali-

Differentiæ Hermaphrod. quatuor.

prævalidum. Quod postremum tamen ij non admittent, qui aut alterum mutari semper succedente novo, aut è duobus unum imbecillum, inefficacem, & clandestinum quasi esse sibi persuadent. Nam aut vir fit, quæ fuit mulier, & esse desiit, quæ aut solita est pati, agit jam ad patiendum, non æque, ut ante idonea. Ita aliquot ex his differentiæ tollentur.

Verum, quia omninò sunt Hermaphroditæ. Qui eorum ortus sit uideamus. Proficisci hoc hominum genus à Mercurij stella, eiusq; cum Venere coniunctione nomen ipsum Hermaphroditi à re inditum ostendere, Pontanus statuit. Nam quia Mercurij stella ex se versatilis est, & quasi promiscua, si Veneri copuletur, vires eius amplius augeri, hanc inde manare naturæ duplicitatem, radiorum commixtione materiæ genitali vim uberiorem tribuente, cumq; geminos non possit gignere, secus incertitudinem aut communitatem provenire. Sed hi quia remotam causam assignant, non recipiuntur. 4. Ortus Hermaphroc. 1. Astrologi cœlum.

Altera sententia est eorum, qui cellulas in utero esse septem crediderunt, in quibus tribus dextras mares, in sinistro fæminas elaborari, in septimo, qui medius sit, Hermaphroditas. Aiunt ita sensisse Hipp. in lib. de natura pueri. Falsum autem hoc, Anatomici jam pridem evidentissimè demonstrarunt. 2. Sententia antiqua medic. Veterum.

3. Sententia Menstrua.

Tertia est, quæ ad tempus conceptionis causa reijcitur, gigniq́; Hermaphroditas, si ea fluentibus adhuc menstruis contingat, eius Avicennam faciunt autorem.

Quarta est, quæ ortum eorum ad principij facultatem refert, atq; ita in libro περὶ γονῆς. Docetur enim ibi sexum variari pro seminis natura, & utriusq; tùm qualitate tùm quantitate. Interesse unúmne vel utrumq́; debile aut forte sit, itemq́; multum paucum, æquale. Quandoq; fortius est semen à muliere emissum, quandoq; debilius. Similiter etiam á mare emissum. Quod si utriusq; sperma qualitate forte prodierit, masculus partus

Mas unde

sequitur: ἢν μὲν ἀπ' ἀμφοτέρων τὸ σπέρμα ἰσχυρότερον ἔλθῃ, ἄρσεν γίνεται τὸ τικτόμενον. *Si verò utrumq; debile, fœmina nascetur:*

Fœmina unde.

ἢν δὲ ἀσθενὲς θῆλυ. *Quod si in seminibus dissimilitudo fuerit, & alterius maxima ex parte fortè fuerit, alterius debile, quantitate tamen pari,*

Hermaphrod. unde.

Hermaphroditus existet, qui tamen ob alterius semẽ vel fœminæ vel mare expreßius naturam imitabitur. Sexus enim indicat, utrum semen vel debilius vel fortius fuerit. Atq; ipsum eleganti similitudine declarat, quemadmodum si quis ceram & sevũ misceat, sed sevi plus multò, quã ceræ adijciat, eaq; ad ignem liquefaciat, quamdiu liquida erunt, non apparet, utrum copia superet; quando verò congelata fuerint, nemini obscurum erit,

quod

quod adeps ceram exuperet. Sic idem de masculi & fœminæ genitura sentiendum. Aristoteli fortasse ita non videretur, qui fœminarum semen à generationis agente principio secludit, passiuum facit tamen, cum ex duobus entibus unum ens per se fieri non possit. Ex eiusdem Philosophia sexum non sequitur, ut à mulieris semine mulier, à maris mas oriatur, sed in uno semine, aut in utroq; potius forma eadem: sed in utero immutatur dissimiliter. Hinc in sexu varietas, unde liberos nonnullos videmus, etsi mares sint, animo tamen & moribus marem repræsentare. Docent idem pisces, in quibus cum sexus manifestus non sit, in uno tantum sexu uterq; inest. Averrhoës causam quidem in materia quærendam putat, quod gemina nonnulli habent genitalia, unum maris, alterum fœminæ, sed illud addit impossibile esse, eum qui sic nascitur perfectum, habere utrumq; organum, quæ inter se contraria sunt.

Aristoteles

Averrhoes

Vtrumq; membrum in uno non perfectum.

Esse enim impossibile, ut in uno eodemq; corpore forma complexionalis copuletur propria sexui masculino, & propria non minus fœmineo. Illud etiam fieri non posse, ut duo in eodem corpore excrementa æque perfecta maris fœminæq; semen reperiantur. Vtraq; deniq; membra excernendo illi excremento accommodata, reperiri autem posse in uno duo illa, sed imperfectum, aut utrumq; aut quod plerumq; fit, tantum alterum.

Alterum verò esse irritum, & agnatum quasi, abscissum aut carneum quid, partis similitudinem gerens, itéq; sexus censetur, cuius organa in eis plus valent, neq; utrimq; usus promiscum, sed unius tantum, à quo deinde discedere non licet, nec nostris legibus conceditur. Nam naturæ contrarium esse videtur, utroq; uti, aut posse etiam uti, quale in eo est, de quo Ovidius in Metamorph. loquitur: Vota puer solvit quæ fœmina voverat Iphis. Signa autem eius sexus, qui potentior sit, ex corporis habitu, & animi moribus, & excrementis, & colore cutis & pilis, membris genitalibus, pervia vulva, arrecto pene, & similibus peti possunt.

Signa sexus potentioris.

CAPVT LI.

Cur qui gibbi ex asthmate & tussi, itemq; natura sic editi sunt, non vivant diu.

TRIA *sunt de gibbis in quæstione: Vnum, cur qui gibbi ex Asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, statim moriantur ex* 5. *Aphoris.* 46. II. *Cur gibbis halitus fœteat.* III. *Cur urina effluat.*

Cur gibbi non diu vitales.

De primo ad eum locum annotavit Galenus ὑβὸς *&* κυφὸς, *Hipp. esse* κυρτὸς, *hoc est, gibbosos, cum spina à tergo extuberat. Ita enim*

opponi κοῖλον & κύρτον sicut cavum convexo. Ortum persecutus est Hipp. in lib. de articulis, deq; differentijs eius mali. Trip lex enim: Nunc in anteriorem partem torquentur, nunc in posteriorem, interdum in latera, quorum vitiorum primum est lordosis: alterum Cyphosis, tertium scabiosis. Omnia autem spinæ vitia, sunt aut natura à primo ortu, aut casu aliquo, ut ictu, lapsu, plaga, morbo, asthmate, tussi. Frequenter autem (quibus sine casu, aut ictu ex alto spina depravatur) aut à duris tuberculis in parte interna consistentibus oritur, aut quæ non exactè dura sunt: sed de sua humiditate aliquid in arterias asperas demittunt. Priore modo gibben fuit ex Asthmate, altero ex tussi, hoc utrūq; quibus accidit ante pubertatem, ij senectam non attingunt, sed brevis vitæ sunt, ut est etiam in 4. de locis affectis. Etsi aliqui 40. annum soleant superare. Causa inquirenda est, non modo quibus ante pubertatem id evenit: sed etiam qui ita nascuntur. Nam ex eadem est: In gibbis ossa ad eam partem non satis excrescunt, sed interna crescunt instrumenta, respirationi servientia, pulmo, itemq; cor, quod spacium cū præ angustia pectoris admotum satis non sit, difficilis respirationis fiunt, quæ ijs, qui crescunt, mortifera est: Tanto magis, quod in loco est iniuriæ valdè oportuno. Cum igitur in his costæ non crescant, pulmo crescat per gibbum

Differentia.

Vnde gibbus.

Angustia pectoris in gibbis.

Tussis no-
cet gibbis.

strictius arctatum pectore & difficultatemq; spiritus non ferente corpore, sequitur suffocatio & interitus: idq; asthma potest: De tussi non minus periculum est, in qua ex collecta humore suppuratio tandem consequens non minus suffocat, idq; eò citius, quo & maior humanorum copia affluit, & crassities insignior, cumq; ad suppurationem pervenitur, ea perniciosa est. Ægineta non modò idem attulit lib. 6. cap. 118. Sed & exactam spinæ luxationem perniciosissimam mortem inferre. Nequire enim illam quamlibet levem spinæ medullæ compressionem sustinere, cùm vel solus processus nervorum, qui ex ipsa manant, compressus hominem in discrimen abijcere abundè possit. Idem gibbum in eodem cap. jam inde à pueritia factum vitium ait esse diuturnum, neq; præmaturam mortem consciscere, sed morbum tantum irremediabilem efficere. Quæ superioribus videntur adversari, nisi intelligat vertebrarum perversionem, sine vehemente medullæ & nervorum compressione, minus quàm, quæ cum hac fiunt, periculosam. Vt & ex ingenti casu: Nam aliqua ex his vitijs etiam remedia admittere Hipp. docuit. Minus tamen vitales cæteris, & raro canescere, experientia ad fidem satis esset.

CAPVT LII.

Cur gibbis halitus plerumq; fœteat.

Alterum

Alterum sequitur, cur iisdem halitus fœteat. Fœtor δυσωδία est. Hic non minus quam suavis odor varius est, sed desunt nomina: nisi à saporibus mutuemur. Sunt autem, quibus ita fœtet os, & anhelitus, ut astantes lædat, sæpe etiam plurimum noceat: Avicenna duo agnoscit, quæ vires prosternant, fœtorem & dolorem. In homine potest plurimum ob temperamenti præ reliquis insignem bonitatem. Sed fugari bestias etiam certo fœtoris genere observatum est: unde fœtor oriatur, docent Philosophi & medici, & hi quidem putredinem causam faciunt fœtoris non satis benè. Non enim accidens perpetuum, quoniam nec omne fœtidum per putrefactionem, nec quicquid putrescit, id etiam fœtet, ut acetum & Moschus. Fœtent quædam putrefacta. Multis sine putredine fœtor est ingratissimus, ut in Castorio, assa fœtida, ficu ægyptia, iunipero.

Fœtor quid.

Fœtor & dolor vires prosternunt.

An putredo fœtoris causa.

Est enim fœtor non minus rei mistæ & perfectæ naturalis odor, quàm in rosa & violis. Itaq; & illud in 13. sect. probl. rectè accipiendum est. Mali odoris causam esse cruditatem quandam excrementi: Nec falsum est tamen, quod huc trahimus, fœtorem sequi aliquando materiæ in corporibus vivis & mortuis corruptionem quandam, ut excrementa cruda, fœtidaq; sunt, & flatus itidem olent, & halitus & peremtis animantibus humor putret.

Hic

Fœtor oris est à quinque causis.

Hic de solo eo fœtore dicamus, qui ex ore emanat. Is à quinq; potißimum causis oritur 1. à
1. fœtida materia in narium processibus hærente, cum ita stricti meatus sunt, ut diu detenta & corrupta etiam olfactum impediat, frequens in
2. ijs malum, qui aquilino naso sunt. 2. A gingivarum affectu, cum sanguine humoréve vitiato re-
3. plentur, aut etiam eroduntur. 3. A dentium cor-
4. ruptorum eluvie. 4. Ab ijs, quæ in stomacho malè percocta sunt, ut in febribus tùm continuâ,
5. tùm Phlegmaticis. Postremum ab humoribus in partibus spiritualibus, & organis respirationi servientibus aliquatenus affectis. Atq; ab hac quidem causa gibbis hoc evenire existimandum sit.

Cur gibbis os fœteat.

Sed cur his potius, quàm alijs. Corporis structura, hoc est, pectoris angustia id facit. Pulmo enim angustè conclusus, & quasi incurvus liberè ejicere, quod influit, non potest, atq; ideo excrementa ibi retenta diutius, corruptione accedente, fœtent, & halitum ea qualitate imbuunt, fœtidumq; reddunt. Ita & Philosophus quæstioni satisfecit 1 3. probl. 10. Cur hominum incurvorum gibborumq; halitus gravior ac fœdior est. An quod locus pulmoni accommodatus, conclusus, deflexusq; à sua proceritate est. Itaq; spiritum transmittere expeditè nequit, sed evenit, ut vapor ac spiritus amplius inclusus putrescat.

C A-

CAPUT LIII.

Cur gibbis urina aluusq; involuntariè fluat.

Tertium est, cur urina alvusq; his, hoc est, involuntaria excrementorum proruptio eveniat. Id enim disertè Ægineta l. 6. c. 118. Urina in continentia si magna est, & frequens, & siticulosa, dialetes est: Sin absq; symptomatibus ἔξησις ἀπροαίρετος καὶ ἄκαιρος. Oritur is affectus nonnunquam in iis, quorum corpora ichore abundant, & sanguis sit dilucior, ut in senescentibus & phlegmaticis, & hydrope laborantibus. Aliis ob laxitatem, mollitiemq; sphyncteris dissoluti, ut in pueris. Sæpè autem ob affectus nervos, illos nimirum, qui è lumbis progressi musculum uesicæ attingunt: Alui profluuium, & alias habet causas, & has ipsas etiam, maximè musculi resolutionem & laxitatem, quo uidetur retulisse etiam Ægineta loco supra citato. Spinæ, inquit, introrsum proversio restitui nullo modo potest, eò quod per ventrem in priorem partem repellendi facultas non datur. Suppressio namq; urinæ aluiq; his accidit; corpusq; frigescit: postea verè involuntaria etiam excrementorum proruptio, quæ sanè ex nervo musculorumq; consortio eveniunt, & brevi intereunt

Dialetes.

Causæ

intereunt, præsertim si summæ & cervicis vertebra laxationem senserint. Quod igitur his evenit, hanc habet in nervorum, qui eas partes ad voluntarium motum gubernant, effectu, causam, ut videtur.

CAPVT LIIII.

An monstra, & quæ resurrectura sint.

Melius est esse quam interire.

QVoniam melius est esse, quàm interire, videtur id, quod optimum est, non habere interitum, homine autem in mundo nihil majus & nobilius, igitur ut perpetuo sit, factus est ad alterius, non desituræ vitæ beatitudinem, minimè ad tam exigui temporis spacium, quo durant hic mortalia. Sed ex consilio divino utriq; perpetui sunt, & boni & improbi: Hi ad cruciatus servabuntur, illi ad laticiam & felicitatem, & corpore & animo, hoc est toti, non ex parte tantum. Non enim homo corpus est, neq; homo anima, sed utrumq;. Igitur malè dicent, qui aiunt animas solas sine corporibus resurrecturas ad societatem æternã. Est enim corpus altera hominis naturæ pars, ita ut sine ea ne sit quidem homo, neq; vita in sola anima est, quoniam sic facta, ut neutrum esset sine altero semper. Quod si etiam corpus non recipiet animam, quis sensus erit, cum organis materialibus obiecta recipi necesse sit? Ac si fuisset

Homo ad æternitatẽ conditus.

Sine corpore nõ est homo.

melius

melius animam sine corpore esse, non fecisset ita conditor: Iuncta igitur esse oportet, & iungentur ibi duo; ut hic fuerunt: ne imperfectum sit ex partium distractione. Sed cur, inquis, moriuntur corpora, si esse iuncta oporteat? Moritur ut quod alienum & mortale depositum exuatur, & imbecillitates seponantur in iis, quorum corpora ad gloriam restituentur. Resurgent igitur corpora: at qualia? Num eiusmodi exquisite, ut hic sunt? Curiosa magis quàm necessaria quæstio videretur, nisi, cum de corporum resurrectione ageret Apostolus, mentionem illius etiam iniecisset. Seminatur, inquit, in ignominia, resurget in gloria, seminatur in infirmitate, resurget in potentia. Alia igitur erunt corpora illic, ac in terris sunt, mutatio quippe his vocibus significatur & palingenesia. Eam verò cum Origenes de substantia accepisset, ob id reprehensus est à veteribus, qui mutationem fore, & ipsi quidem concedebant, sed eam tantùm, quæ secundum accidentia esset, eadem manente corporum substantia. Et verera, si qui ita senserunt, ut illic corpora crediderent nos habituros æthérea, tota à nostris genere diversa, non ut hæc sunt sensibilia, eos è rare pellandum est.

Cur moriantur corpora.

Restitutio corporum qualis.

Nam ut differentiam fore verum est, ita non tamen quævis erit, aut quæ totum etiam corporum naturam aboleat: alia ornamenta erunt [illegible]

alius decor, & vigor, nulla vitia, nullæ deformitates, quibus hic non solum agitatur, sed & opprimitur corpusculum, nulla causa erit à qua vitietur, aut depravetur; Hæc etsi aberunt, corpora tamen eadem manebunt tam non minus, quam prius: Illa adimentur, quibus ablatis salva esse substantia potest. Sunt enim quæ separari possunt, ut corpus corpo sit, quædã non possunt salva natura eius, quæ in illa renovatione non adimentur. Chrysostomus contra hos resurgendi vocem urget, quod resurgere idem is dicatur, qui ceciderit, non alius. Alij particulam Hoc ponderant in eosdem ut hæc ipsa secundum substantiam corporalem quam circumgestamus in vita, ut ait Apostolus resurrectura: Etsi nova erunt corpora, non priora illa, certè quæ prius habuimus mortis esse necesse est. Sed quomodo, si ita est, à morte eripimur? Quod enim de novo creabitur, id quia nunquam fuit, morti non subiectum fuit: atq; ita, ne eripi quidem necesse erit: At priora mortalia, si non restituentur, sub potentia mortis manebunt. Ionas ille testis resurrectionis & Christi & nostræ, idem corpus cum à pisce reijceretur, retinuit, ac antea. Accidentium igitur erit commutatio, non substantiæ.

Quædam corporib9 non possunt adimi

Resuscitatio est accidētium nō substantiæ commutatio.

Quoniam autem inter ea ipsa etiam monstrosas pravationes referre necesse est, quærantur de his peculiariter: Numquis claudus, monoculus,

monosulus, valgus, vitia, bicorpor, sedigitus sit resurrecturus. Non videtur, quia imbecillitatis est & infirmitatis, & ignominiæ, & corruptionis. Aberunt ergo, & restituta integritati resurgent. At quid de monstris, quæ vix certæ speciei figuram habent, & aut humana non fuit, aut partim quidem humana, partim mista ex pluribus; Non valde attinebat eo decurrere. Sed Augustinus attigit in Enchiridio c. 87. cuius verba referemus: Neq; monstra, quæ nascuntur, vivunt, quamlibet cito moriantur; & resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta, emendataq; natura. Absit enim, ut illum bimembrem, qui nuper natus est in oriente, de quo & fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptum reliquit: absit, inquam, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum erat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera, quæ singuli quiq; partus vel amplius vel minus habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ab humanæ naturæ figuram resurrectione revocabuntur: ita ut singulæ animæ singula corpora sibi obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcunq; cohærentia nata fuerant. Sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis copulatur integritas. Ita igitur sensit defor- Augustini sententia.

nitatem, abundantiam, defectum, corruptioni qualiacunque vestigia à principijs naturæ in generatione oblatis orta illu abfutura esse. Hieronymi autô locus est, quem citat in epistola ad Vitalem. Item in lib. 22. de C. D. c. 19. docuit, ubi nihil ait esse periturum corpori, quod ei naturaliter insuit, id verò tantum quod deforme est, idq; Deum facturum, quod artifex solet, qui statuam deformem, sive consulto talis facta sit, siue casu & artis errore, rursus dissolutam igne in pulcriorem potest figuram perducere, ut eadem maneat substantia, deformitas prior absit. Namq; in turpi illa figura extabat, aut expressum erat, aut aberat ad concinnitatem, id vel amputat, vel implet, vel adijcit, ut fœditas abeat. Simile quid in resurrectione illa fieri putandum est. Abhorrent monstrosæ illæ deformitates à futura sanctorum felicitate, & ad cætera dona corporis pulcritudo & partium congruentia, cum coloris suauitate accedet, ut nihil uspiam sit, quod ostendere, ubiq; quod delectare possit. Modum restituendi Creatori relinquamq. Non enim naturæ opq est, sed infiniti agentis ac potentiæ. Bonaventura l. 4. distinct. 44 ad eum Augustini locum ob monstrorũ varietatem distinctionem adjecit, & in nonnullis seorsim respondet; In aliquibus membra gemina sunt. Ea verò vel principalia sunt membra, vel

Elegans simile.

Bonaventuræ sententiam.

minus

minus præcipuã, si præcipua membra gemina sũt, duæ etiam ibi animæ sunt, atq; ita duo corpora seunctã resurgent. Sin bina aut plura quæ tamen principatum in corpore non obtinent, unum corpus est, & unum resurget. In Hermaphroditis, quoniam utraq; pars par esse in uno non posset, eo sexu resurget, qui in eo dominatur. Monstrum vero aliquando partim homo, partim bestia. Tum si principales partes hominis sunt, animamq; & vitam habuerint, e suscitabuntur ut homo; secus si bestiam repræsentet. Placuit ea Augustini sententia Lombardo, qui eam amplexus est, sed nonnulla ei obstare videntur, primum enim de corruptibilitate loquitur Paulus, & mortalitate quam absuturam ibi esse docet de deformitatibus, nihil meminit: deinde dum de resuscitationibus corporũ loquimur non de sanctorum tantũ, sed & impiorum membris erat ostendendum. quæ cum peccato polluta fuerint, & instrumenta scelerum, nulla causa est, cur commune hoc illis sit futurum, cum innocentibus, & vitæ illius hæredibus, & ut patibilia sunt damnatorum corpora, ita & deformia. Quód non videatur absuturi deformitates [quædã]

Tertiò multæ deformitates corporum sunt, quæ tamen non alienæ sunt ab humanæ naturæ veritate, ut gibbositas à gibbis parentibus contracta, claudicatio à claudis. Nihil enim

tàm naturale, quàm genitum gignentis naturam retinere. Postremò cicatrices suas in corpore suo salvator monstravit, & in martyrum corporibus remansuras, veteres Theologi crediderunt: Quid ergo deformitates ajunt omnes abfuturas? Adeo in his quidem nihil certum, quia ex scripturis disci non possunt, quando nihil revelatum est, itaque ne requiramus quidem operosius, qualia hæc sint, & sanè parum interest. Quanquam hæc etiam argumenta postrema non sunt ἄλυτα: frugalius igitur hic esse convenit. Palingenesias etiam Aristoteles lib. 5. Physicor. cap. 4. meminit, qui locus disputationes peperit. Sitnè palingenesia generatio, an vero alteratio. Sic propemodum de ἀναστάσει νεκρῶν: an ea sit mutatio substantiæ futura, vel qualitatum & accidentium. Non videtur esse nova mortuorum generatio, sed facta in corporibus alteratio. Generatio enim naturæ ἐνδελέχειαν & formam motu corpori acquirit, quam cum habet, mutatio ad terminum pervenit: At Palingenesia naturæ tantum est, quæ solam renovationem postulat, & in quam repurgatam remigrat. Anima superstes adhuc, non enim cum corpore mortua est, quoniam simplex est & affectibus nullis obnoxia, ut est in 3. de anima: Partes igitur materiæ à Deo conservatæ uniuntur, anima tota vivit.

Vbi nihil revelatum certum dici nil potest.

CAPVT LV.

An natura monstrum intendat: De ea opiniones variæ. Prima Democriti & Epicuri, cum quib9 & Themistius.

SIVE Deus, siue natura monstra producat, quæstio hæc nascitur, cum & ille & hæc alicuius gratia agant, ille cognitione, hæc absq; cognitione. Ex quo apparere hæc primũ cœperunt mirabilia, fuit hominum de ijs opinio, religionũ quippiã inesse, ob id horrere et metuere ausi sunt, quod futurorum malorum nuncij viderentur: unde monstra, ostenta, prodigia appellabant, quod monstrarent ostenderent, prædicerent, quid euenturum esset, non minus quam tempestates Halo, iris, parelia, omnino si quid in his trans naturam est. Sed nec si à natura tantum hæc nostra, sine fine fuerint. Cur enim fingit, absolvit, diducit, auget, extrudit? non minus quam fœtum integrũ? An hoc agit tantum, ut edatur monstrum, animal nimirum deforme, horridum: Fortasse non hoc quidem consentaneum: Qui rem attingunt, Primum naturam distinguunt, deinde monstrum. Natura alia universalis est, alia particularis. Mõstrum accipi & considerari vel secundum materiam, vel formam potest. Monstrum materiæ respectu volunt esse naturæ opus, Facit enim animal natura, seu illud ipsum individuum, in quo est

monstrositas tale autem, quia ex talibus principijs non potest aliter: Formam verò, hoc est, ipsam monstri rationem non intendo a natura, quatenus monstrum est, aliud quippe est animal, aliud monstrosum animal. Differre igitur si dicas: Monstrum intendit naturam ut terminus verbo proponatur, ac sic vere dici: Alteram hanc falsam esse. Naturam intendit monstrum: Terminum enim positum in subiecto significare materiam: intendere autem naturam monstrum materialem. Sed in posteriore, quoniam prædicatum formæ rationem habeat, ob id falsam esse atq; id generalem Nominales afferunt: Praterea naturam aliam universalem, aliam particularem. A particulari monstrum intendi secundum materiam, ab universali secundum formam ad decorem universi. Hoc posterius de ornatu falsum est, ut paulo post docebimus: Quod ad termini collationem attinet, quid interest ad sensum dicas ne, naturam intendat monstrum: vel: Monstrum intendit natura: Non enim quia principio ponitur, ideo & subiectum est, quod sicut prius est intellectum, ita in collocando prius esse nihil necesse est. Et subiectum est de quo quippiam dicitur, seu cui aliud tribuitur quoquo modo ordine vel naturali vel arbitrario tolleres ut in his, Vitiū est omnis levitas. Intellectu prius est levitas, etsi posterius positum. Nondum igitur res expedita satis fuerit; his

quidem

quidem formulis, ac n. sic quidem, naturam monstra producere non pr. naria intentione, quasi utile sit tam deforme quid nasci. Sed secundaria tantum. quoniam melius sit monstrum quam nihil produci. Iuuat igitur excutere ordine sententias super eo diuersas, quid in quaq. eorum aut falsum videatur: Eæ quinq. sunt: Vna quæ monstra casui attribuit: Altera qui quæ ornatus gratiam condi dit. Tertia, significandi officium à monstris remouerent. Quarta. Quibus nondum liquet. Quinta, significationes in vniuersum ab hoc genere non remouendas, sed quales & quatenus.

Igitur prima est Democriti & Epicuri. Quicquid est à natura ortum, id aut finis gratia fit, aut ob materiæ tantum necessitatem. Isti posterio elegerunt de materia, cuius conditionem omnia sequi docebāt, nō huius vel illius rei honor gratia. Spirationem necessario animali inesse qua consequens sit ad animal sanguineum, & gressile: His autoribq duobq annumerant & Auerrhoen quod in 12. Metaq hys. comm. 52. & 54. scripsisset, ' ātum res incorruptibiles Dei prouidentiæ esse subiectas cætera casu fieri. Sed multa in hoc sūt loca, quib9 diuersum colligitur. Rabbi Moses solum hominem ex corruptibilibus DEO subiectum esse censuit. Ab Epicuri sententia nihil discrepant quæ sunt in libri Iobi capite Vicesimo secundo,

An non Deus est in altitudine cœli, & aspice summitatem ac sidera ut excelsa sunt, ideo dicis: Quid nosceret Deus fortis, an per caliginem judicaret Deus? Densæ nubes latibulum eius, ut non aspiciat, & ambitum cœlorum obnubilat. Hoc autem domino. *Non curare Deum inferiora, & casu existere omnia.* Quod si cætera etiam monstra casu. Lucretius idem; & alij quorum sententiæ obviæ sunt.

Vnum in hoc loco allegemus Themistium Aristotelis interpretem celeberrimum, qui fortuitam totam facit monstrorũ generatione his verbis; quæ sunt in Paraphrasi 2. Physic. Casu factum dicitur, quia sine propria causa præcedente factum est, verbi causa, lapis cecidit, & prætereuntem vulneravit, hoc loco finis & exitus rei est vulneratio, causa efficiens est ipse casus, & lapidis devolutio. Sed casus lapidis non eum habebat finem, ut vulneraret, sed ut in proprium naturalemq; locum recideret, quanquam is forte in prætereuntis iniuriam recidit: Atq; hoc diserte ex tali exemplo disces. Cum aliquid præter naturam fit, ut monstrum, id non fortuna, sed casu dicimus provenisse, ut manus sedigita & Strutocephalus. Nisi forte fateri nolis, huiusmodi portenta naturæ, fieri casu, sed propriam & certam causam habere, eam videlicet, quæ intrinsecus fuerit, antequam ederentur in lucem, nimirum siderationem, materia

teria exuberantiam copiam, aut defectum. Sed qui ita dicunt, non vident, idem posse dici de lapide, quem casu cecidisse non negarent, habuisse illum intrà se gravitatem, & pondus? Sed certè gravitas causa est devolutionis & casus, non etiã percussionis, sed casus percussionem fecit: Vult igitur Themistius, monstra à casu existere & per accidens seu causa ex accidente. Non sunt hæc ad mentem Philosophi. Cuius illud est axioma firmissimum & perpetuum, Quæq; agentia ad suum finem pervenire, aut eo contendere, modo ne quid obsistat: Monstra deinde diserte naturæ attribuunt, non igitur casui. Sunt & monstrorum certæ definitæ causæ, quæ sub sententiam cadunt, ut sunt, materia, locus, agens, imaginatio. At casus determinata nulla causa est. His autem causis positis, si effectus sequitur, aut semper aut frequenter, per se causæ erunt. Non ita quæ à casu fiunt, quandoquidem casuales illi effectus, ut auri inventio, persæpè non eveniunt, etsi causa adsit, ut fossio. At in monstris causam per se agentem proximam & propinquam, alia causam non minus per se impediens in opere turbat, & sic monstrum ad aliam causam gigni necesse est. Considerare enim convenerit eundem effectum multipliciter. Primum quidem ut à sua propria determinataq; causa pendet, à qua is solet plerumq; existere: Deinde ut à causa alia interveniente & motum tra-

bente in oppositum, quæ & ipsa quoties ponitur, poni talem effectum necesse est, qualem solet, potestáq; vi sua producere. Propriæ igitur causæ respectu, fortuitũ quiddam est in monstris. At non impedientis respectu. Idq; à materiæ potentia dependet, quæ contrariorum capax est: Quod si casum in his agnovisset Philosophus, cur naturam libere agentem ab impedita seiungisset: cum sibi non relinquitur. Loca autem huc spectantia supra jam attulimus ex 3. cap. l. 4. de gen. animal. & aliunde. Monstrum monstri causa natura non generat, sed quia ob alias causas aliter non potest, motuq; intervertitur, fit quod potest, pro principiorum & agentium modo. Verum si natura ordinaria Dei vis est. In naturam autem causæ utræq; & agentes primariò ad determinatum effectum, & aliæ impedientes, utri adesse credemus Deũ Si enim generatāre proximo, qui potest cursus eius inhiberi: Fortasse in hoc ita sentiendũ: à Dei providētiæ natura tota, et quod queq; ad singula habent, neq; minus sunt sub naturam comprehendenda, quæ aliorum in agendo vim inhibent, movent, mutant: Sicut quippe causas à se conditas qualibet agere, ut natæ sunt agere, non modo ad ortũ, sed ad interitum, igitur & ad corruptionẽ. Existimandum enim causarũ diversitatem contrarietatẽq; non tolli à providentia divina. Igitur monstra casui tantũ ascribere falsum videtur: Eaq; prima est sententia. Sequitur altera,
CA-

CAPVT LVI.

In quo docetur, videri monstra ad ornatum universi pertinere. Ostenditur cur id falsum.

Placuit alijs causam per se allegare, & finem certum constituere: Perfectionem pulchritudinemq́ universi ea in varietate elucet: Dixit hoc & Augustinus: Ex omnibus consistere universitatis admirabilem pulchritudinem. Igitur ut mundus omni rerum genere esset repletus, essentiaq́ & necessaria, & contingentia, monstra inter cætera etiam esse requirebantur. Obiectat varietas in coloribus, saporibus, sonis, in animantium genere non minus forma non modo usitata, sed absurda, iuvatq́ videre alios sapientes, alios fatuos, silones bisços, macrocephalos, claudos, vatias, varos. Itaq́ ornabunt mundum monstra ut tabulæ imagines, & fimbriæ vestes: Stoicos ait Plutarchus dicere solitos: Nihil esse in mundo culpabile, neq́ reprehensibile, omnibus iuxta optimam naturam perfectis, idq́ Chrysippo tribuit, cuius tamen contrariam sententiam subiunxit. Hæc de ornatu à monstris opinio absurda videtur. Primum quia in imperfectis non est pulchrum. At monstra imperfecta: Deinde quia rara admodum. Postremo quia non diuturna:

Quan-

Quanquam scio addidisse nonnullos Deum argumenta quædam sapientiæ in his patefacere: Ferri possent, si dicerent, potentiæ, iræ, Iustitiæ. Atq; initio cum omnia conderet, nihil tale extare voluit, inter tot sapientiæ suæ testimonia. Malum etiam habentur monstra. At mala ad universi perfectionem adspectant: Fuit jam universum, cum nondum ullum malum esset: Ita Thomas 1. quæst. 47. art. 1. cum quæsivisset, utrum malum esset quædam natura speciem constituens. Addidit hac: Partes universi habere invicem ordinem, secundum quem una agat in alteram, & sit finis alterius, & exemplar: Hæc autem malo non convenire. Ob id neq; ad perfectionem universi pertinere, nec in eo includi, nisi per accidens, boni adiuncti ratione.

Quod si complementum est rerum series eiusmodi, ut si unum abfuerit, mundus non sit mundus, non fuerunt autem, & sæpe non sunt monstra, ne ad complementum quidem faciunt: Quod enim ad τὸ πᾶν, & τὸ ὅλον facit, semper fit, aut saltem in suis causis necesse est: Et quis in monstris ornatus est? qui decor? pulchritudo à perfectione separari non potest, quoniam ea sola pulchra sunt, quæ perfecta. Omne autem imperfectum deforme. In monstris multa imperfectio. In Topicis Philosophus, τὸ κάλλ☉ τῶν μελῶν τὶς συμμετρία δοκεῖ εἶναι, & si symmetria ipsa

ipsa quidem est pulchritudo, absq; ea tamen esse non potest. Quod enim proportionem non habet, id bonum non est, & fere idem ac si non sit, & sicut illud spectatione multa dignum est, ita deforme contra. Turpe enim & malum est. Certe intellectus & sensus etsi utraq; cognoscunt, pulchra tamen magis & proprie etiam delectantur. Praeterea monstra ab errante fiunt natura, teste Philosopho, quia non est id res quod esse debet, & à regula deviat; At in erroribus non pulchritudo. Monstra etiam rara sunt, minusq; frequenter quã cætera sunt. Ornatus igitur ille rarus fuerit, & mundus nonnunquam deformis, si illa abfuerint: Cito etiam pleraq; moriuntur. O brevem igitur ornatum, & exigui temporis & momentaneum: Nam si etiam, cum in liberis ornatum parentes optarint, monoculis, aut oculis in tergum abiectis, & fœda alia. Quin rari ita fortes sunt, ut absq; conservatione afficiant. Aut igitur ornatus in his nullus, aut in architectonica etiã si quæ trabs, aut lateres absurde extra ordinem positi, in corporibus cornicæ, apostemata, tumores. In Grammatica solœcismi, barbarismi, in Dialecticis anacoluta. Habent enim hæc analogiæ cum quiddam. Tollit igitur ornatu nimis manifesta absurditas. Manichæorum autem sententiam de duplici animantium creatore nihil attinet attingere. Nam ne mentione quidem digna.

CAPVT LVII.

Sententia eorum, quæ significandi officium adimunt monstris.

QVI ex causis notis monstra deducunt, modumq; possunt nobis, quo oriantur, tradere, ridere communē vanitatem, credentiū, monstra significandi officio fungi quasi vates, prædicere bella, clades, mortes hominum, pestes. Hanc aiunt esse vulgi superstitionem & Poëtarum, quibus & tellus & æquora ponti obscœniq; canes, importunæq; volucres signa dederint, ortam illam ex vano metu quem raritas afferat. Est enim in insolito formido maior, ignorantibusq; omnia terribilia sunt, sicut leviora, quæ familiaria. Cur autem magis id rara possunt, quam quæ fiunt quotidie. Bene Cicero. Nūquā esse factum quod fieri nō potuerit. Sin quid potuerit non esse mirandum: Et Seneca in eum modum: Quid est stultius, quam mirari id ullo die esse factum, quod omni posit fieri. Dicit hoc omnibꝫ natura: Tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, poteris et deformes. lib. 6. autē naturalium quæstionū c. 3. ait. Illud proderit animo præsumere, nihil horum Deos facere, nec ita nimirum, aut cœlum conniti, aut terram; suas ista causas habent, & alibi: Itaq; prudentes terrorem ratione eximunt, remediumq; a causis postulant, ne timor stultus sit. Addunt, reli-

gio-

gini ſanioris adverſari, id credere, quod neq; Dei verbo nec veræ experientiæ, nec naturalibus ullis cauſis nititur. Et ſi monſtra ſignificant, ſigna ſunt. Erunt autem vel naturalia vel artificialia. Modi enim duo tantum: Si artificialia, vel divina eſſe neceſſe eſt, vel humana: Quod ſi nec divina ſunt, nec humana, nec natura, ſigna non erunt. In naturalibus ſigni & ſignati connexio ſit neceſſe eſt, ut unum ab altero pendeat, ſicut fumus & ignis. Bella autem & mortis principum, & religionis mutationes, dum captivi vates cum monſtris & earum cauſis commiſtionem nullam habent. Quid enim monſtrum afferat ad acies excitandas? Alia ſunt, quibus bellum concipitur animo, ſuſcipitur, agitur, finitur. Dicebat Cicero de annorum auguratione ex paſſeribus: Quid ſimile habet paſſer cum annis? Dicamus hic ſimiliter. Quid ſimile monſtrum habent cum bello, religione, interitu. Naturalia igitur ſigna dici non poſſunt. Nec ſi quæ ſignificant, cum à natura facta ſunt, ideo etiam a natura ſignificationis cauſa facta eſſe dici poſſunt: ut halo, iris, aut rota, ut pluviam ſignificet. Nec urinam gignit natura medico, ut inde morbos obſervet: Id igitur pitium eſt. Verum nec artificialia ſunt: Non enim hominum inſtituto, cum nemo aut velit aut poſſit hoc ſine monſtra gignere, ut triſte impendens portendat. Reſtat tertio, ut divina ſint. Sed ne hoc quidem:

Nam

Nam aut ſcriptum id eſſe oportuit in Dei verbo, aut revelatum peculiariter: Ex ſcripturis afferri nihil poteſt: Impudens porro is, qui ex Dei colloquio arcaniore id ſe audiviſſe auſit dicere. Et quod afferet illius ſingulare nobis teſtimonium. Quid quod prodigiorum interpretes & inſpectores in Deuteronomio damnantur. Nec per res tàm fœdas & obſcœnas videtur conſentaneum monere velle Deum, de ijs quæ ſint eventura. Quod ſi neq; ſcriptum eſt, neq; aliter revelatum, unde de divina voluntate conſtabit? Aut igitur ſigna non ſunt ullo modo, aut oſtendendum hanc ſignatum partitionem inſufficientem eſſe: Augent pondus eius ſententiæ, qui negant Chriſtianam eſſe, aliunde quàm à Dei verbo pendere, cum potius omnia ad id tanquam Lydium lapidem examinare deceat. Nihil etiam videtur timendum quod ille timeri non iuſſerit. Obvia autem quæq; ad perturbandos animos aſſumere, ſpirituali ſecuritati adverſatur, eiq; animorum tranquillitati, quæ non minus quàm pavor priorum eſt. Quando enim gaudere licebit, ſi omnia quæ à ſenſibus paulo remotiora ſunt, Deum iratum nunctiant. At ſcriptum eſt: Gaudete indeſinenter: Peccatum etiam in hoc eſt, ab externis objectis, quæ indifferenter pios impiosq; ſolent afficere, judicium de Dei in nos affectu velle petere: Atq; ut aliquid ſignificent monſtra, quis conſiliorum Dei ita partico-

elepsi, ut interpretari possit, quasi quod revelatum est: Futurorum præscientia ita Deo propria est, ut ei soli primum nota sint. Annunciate futura, & sciemus quod Dij sitis: Adeo hoc attributum Dei solius est, & tamen ἰδίωμα hoc sibi assumunt, qui ex quovis quidvis annunciant, huic loco ignes, alteri bella, alijs pluvia: Si a Deo habent, audiendi sunt, ingruet malum, vitari non poterit: si divinant tantum, viderint an se à sacrilegio vindicent: Prodigia autem, qualia alicubi sunt in sacris, non sunt monstra: Quod si quis dicat, pietatis esse, ubi quis ad timorem Dei argumenta colligere, sciat, non minus malum superstitionem, quam profanitatem esse. Multo minus etiam dandum, satius esse superstitiosum dici quam profanum. Neutrum aio Deo placere, utrumq; in vitio esse, nunquam in laude, sicut nec prodigus nec avarus audit bene: quanquam periculosa est ea quæstio, plus ne superstitiosus noceat quam profanus; cum durum sit dicere ex una parte plus incommodi possit emergere, dum de ipso genere quæritur: At si de singulis agas, profanum Sardanapalum voluptatibus deditum, nihil timentem ne Deos quidem, non dubitem affirmare minus incommodare, quam Iulianum apostatem publicè in Dei Ecclesiam multis modis grassantem, sed non sunt hæc loci huius. Rursus seruit quidem, quod causæ aut omnes aut plurimæ

è quibus monstra fiunt, apparet modusq́; omnis, quo & fiunt, & fieri ex arte possunt, in quá re multa ex Philosophia magnus[illegible] scriptoribus attulimus, quarum non potest esse doctrina omnino falsa cum multa medici tùm ad ipsam præcautionem, tùm ad curandi methodum jampridem proposuerint. Nihil ex his possent, si res trans naturam in universum [illegible]ret: Quod si de causis non constaret, qui potuisset pœna publica constitui in autores monstrorum, ut in ijs docuimus, quæ speciem ex toto vel parte solent mutare. Iam enim multi etiam igni adiudicati sunt: Quid hac significabant? Fac autem, causas non patere. Male concludas tamen. Non sunt causæ cognitæ: Ergo nullæ sunt in natura, multa latent in natura, nondum evoluta, & causa est etiam quæ ignoratur, sicut cum imperitis multæ non patent, sed sapientibus: Experientiam & exempla certum est ad docendum non esse infirma, si ea certa sint, & eventus sæpe responderit: Sed hic non plus pro se habent, ex rerum obiter incidentium auxia observatione, quam aruspices, augures, sortilegi, chiromantici, quod genq hominum jampridem divinis & humanis legibus infamie fuit: Ergo aut hæc divinandi genera omnia probanda fuerint, quia observatione putantur constituta, aut si non sunt, unde colligam, hoc unum ex toto numero relinquendum: Raritas in monstris nihil valet. Multa enim & alia rara. Elephanti denuò anno pari-

pasiunt, neq; monstra, sunt tamen, neq; minantur. Solet Plinÿ sententia quadam citari. Sed huic ab istis no[illegible] magna [illegible]olitione autoritas detrahitur; habet enim [illegible]lta [illegible]lia quæ nemo recipit. Poetis minus etiam credendum. Hæc sunt pro sententia tertia. &c.

CAPVT LVIII.

Ostenditur quarto [illegible] sententia ambigentium de cœteris omnibus.

QVarta est eorum, qui quod fieri solet in dubijs, nondumq; satis perspectis, cautionem hic quoq; ut in incerta re & argumento contrarijs rationibus ventilato, adhibent, neutriq; se adiungunt, neq; quod significent, neq; quod nihil significent affirmant, rem in medio relinquentes, existimantq; ne operæ quidē precium esse anxie, super eo litigare, quod aut sciri nequeat, aut cognitum nihil prosit: Hoc ferè iudices solent, si qua controversia eiusmodi inciderit, ut non ilicò quid iustum sit, appareat, rem differendam censent, unde nata est vetus iudiciorum formula: Nondum liquet Horū aliquādo nimia prudentia, aut veteratoria potius calliditas est, cū ad res manifestas trahitur, et scire quid verū et falsum est, publicè privatimq; interest. In occultis ferri potest, ubi etiā maxima cura ad proficiēdū nihil valet, aut ignoratio nihil habet incommodi. Fortassis inter huius loci dissidia velitantiū partiū tolerari hi poterunt, si extorqueri invitis non possunt sententia.

CAPVT LIX.

Quo exponitur sententia quinta, quæ est Theologorum, de monstrorum significationibus quibusdam.

Rᵹdat senior, sanctiǵ́d, super monstris sententia, qua anxius in his ambagibus tanto magis immorandum est, quo plures religio fautores habet merito suo. Ea commode recitanda est, & ponendi limites, & superstitio removenda, ita hac religiosi ordinis, ut prætorum olim, supremâ pronunciata censura recte accipitur: Distinguunt isti primum, monstrorumq; gradus constituunt. Alia enim leves habere depravationes ex promiscuo materiæ fluxu ortas, ut cum duo in virgine ossa continuata gingivis insita conspecta sunt, in quâ nihil præterea fuerit significatum. Causa autem est quod hæc omnia ex naturæ causis videntur explicari posse. Alia vehementer absurda sunt, in his significatio. Proprie enim monstra, non illa. Isidorus particulam QUÆDAM *adjecit, &* INTERDUM *particularitatis notas. Quædam inquit, portentorum creationes in significationibus futuris constitutæ sunt. Vult enim Deus interdum futura significare per aliqua noxia nascentia, quibus præmoneat: Tale est vulpes ex equa creata sub Xerxe, qua dissolvi regnum portendit. Sub Alexandro monstrum vi-*

sum cuius partes supremæ hominis essent, sed mortuæ inferiores diversarum bestiarum, sed viventes, significatum fuisse subitum regis interitum, supervíventibus deterioribus. Philippus Melanthon *natum scribit in pago quodam Franciæ infantem, cui exempto ex alvo materno cultur in ventre hæserit, eminens usque extra ventrem, qui & paulatim facta suppuratione extractus est. eo bellum civile, quod secutum est, significatum, cum causa Physica reddi nulla possit. Sed verisimile Diaboli præstigiis cultrum ventri infixum ad mutuas cædes civium indicandas, qui velut in sua ipsorũ viscera ferrum strinxerint: Hic negat Cardanus cultrũ fuisse ferreũ, sed carneũ quippiam, ut res minus admirabilis videatur. Quid enim non possit adnasci? Sed obstant Cardano hæc. Primum tanta illa admiratio, quantam in iis regionibus apud omnes etiam eruditissimos conatasse legitur. Deinde quod suppuratio subsecuta est, quæ necessaria non fuit, si caro fuit. Tertio quod asservari creditur culter, & hodie in rei memoriã. Quarto non debuit culter, sed caro cultri figuram repræsentans dici, si id ita evenisset. Postremo facit rem verisimilem, quoniam non hoc unum exemplum, sed & alia leguntur similia, ut est in Benevemo: Quod si igitur culter fuit, ut accepimus, non materiæ res raritate mira est, sed ad explicandum nulla subtilitas satis est, perinde ut si constaret, vitulum in aëre genitum esse: ut igi-*

tur, ajunt, hi, parva, communia, & quæ frequenter fiunt meteora, à vago habituum in aere motum nihil significant prope inolitum, h signiora, rariora, maiora, significantia sunt. Ita de monstris sentiunt, in quibus status corporis admodum distortus & absonus. Nam & his convenit, monstri nomen proprei, ut à monstrando dicantur & τέρατα, cætera posterius. Hæc ut ex parte verissime dicuntur, ita quævis, & quomodocunque orta, quosvis eventus significare, non facile recipi potest: Quid enim divini aut mystiri insit turpissimis illis monstris ex hominum cum beluis permistione & consuetudine natis, qualia multa edi, & edita esse patet, & nimis verum est. In qualibus cum de re constet, significatio nulla, sed judex quærendus est & parandus ignis.

Quid igitur cætera portendant ita doceamus. Primum assumamus hoc esse verissimum. Quoniam in mundo nihil fit sine lege & autore, monstra non modo ab his in inferioris nostræ causis existere. Sed à primo etiam mundi rectore generationes insolitas certi finis gratia effici, nunc ut stimulos, nunc ut flagella nobis propositas: Quod ut pateat, primum malorum omnium fontem juvat aspicere. Unde enim illa tot & tanta? Materiæ fluxu, naturæ debilitatem, errata, affert? Non satis est. Nam inde hac ipsa? Cur enim debilis natura errat & turbatum in opere.

quan-

quando ita non est condita? Nam si ordinaria Dei potestas est natura, quid illam inhibet? Universali causæ resistit nihil, cujus vis infinita. Si nolit errat... non erunt, si volunt, causa quæratur, cur voluerit... certe ut corruptibilium corporum ita corruptionis prima causa est. ...uo enim tempore primum omnia condita sunt, ... a facta sunt, sine imperfectione, ... ma, vires, ordo & consensus eiusmodi, ut in opere suo aliud ab alio non turbaretur: posita lex ut in honestissima republ. suum cuiq; deberi. Homo imago Dei, integer corpore, purus animo, sapientior cæteris. Dominus cæterorum non illum calor lædebat, nō frigo Sol de die, nō Luna per noctē fuit molesta. Non potuit hac œconomia universi ab ullo nisi ab autore mutari. Hic tacet Philosophia, loquuntur Biblia. Causarum consensum tūm perturbari cœpisse, cum prima stirps generis nostri violata subjectionis lege à priore statu felicitatis decedens. Se suosq; divina gratia exuit. Nam ἀπειθείᾳ illa offensus Dominus, hominis causa naturam ipsi inimicam naturam reddidit, pronunciata maledictione, illi salutari benedictioni opposita. Minatur mortem & quæ mortem accelerant, inferūt, aut aliter affligunt sanitatē corporis. Nō erat moriturus, nisi deliquisset, nō ægrotaturus. A peccato igitur mors, ab ἀσθενείᾳ corruptio, hinc debemus quod morimur, ægrotamus, infeliciter nascimur, tot causis ad interitum nostrum conspirantibus.

Patet ex his omnia adversa ἐπίχειρα esse contumaciæ: Facta separatio Dei & hominis, felicitatis & miseriæ, linguarũ, corporis & animæ. Atq; ut lex iusto nulla est posita, sic nec pœna: Frustra igitur queritur Gellius ita esse à natura traditum, ut satis commodè absq; molestiis perpetuóq; incommodis vivere nequeamus: Vt igitur concessis his [illegible]t, qui in sua aliorumq; morte maledictionem divinam considerat, & iræ signa accipit, ita qui tàm miserè depravatorum in corpore materno imagines intuetur, quid aliud quàm divinæ iustitiæ & severitatis speculum videt Non enim gratiæ hæc finit: Dices: Iu significare hoc, quibus nata sunt monstra domi. Non ob id publice significare clades: Fateor: sed hac ipsa facere publica quid prohibet? Hoc enim pœnarum proprium est, ut dum punitur unus, terreantur & discant cæteri: Furem vides suspendi? A furto abstine, aut idem expecta: Sic si monstra nascantur, publicum hoc esto spectaculum, non minus unius quam omnium. oppresserat paucos turris Siloë: At nisi conversi fuerint, omnes peribunt: Hic idem judicium esto. Nec illa sententia quæ in primos homines lata fuit, ad solos eos attinebat, sed ad universos: De morbis hoc peculiariter scriptum est; Non esse peccandum, ne quid deterius accidat. Tantopere offensus peccato est, ut non modo instigatorem Satanam, sed

eum

eum qui huic obsecutus fuit, punire voluerit: Multiplicabo tibi dolores tuos, & conceptus tuos, cum dolore paries liberos. Significatum doloribus omne id quod offendi gravidæ solent, neq; ipsæ in suo tantum corpore, sed fœtu etiam adhærescente, aut jam edito. Ita Evæ dictum est, quæ est primi quasi humani generis mobile, dictum & omnibus alijs matribus. Opponat [illegible] um fastidia in gestatione & partu naturalia esse, non pro pœnis habenda, quando semper fuit necesse cum dolore parere, à multis quæ tùm fiunt solutionibus, humorum motibus, ruptura divulsioneq; partium, quin & in ijs animalibus, quæ nunquam peccarunt, in cane, in porco: Occurri potest: Ni peccatum intervenisset, dolores aut nullos, aut non tantos futuros adjuvante partus divina virtute, ne periculose & difficulter absolverêtur. Sit commune parere cum bestijs; itemq; difficulter parere, hoc tamen hominis fuisset peculiare ex conditoris gratia donum, ut sicut labor suavior fuisset, ita & partus. Nam idem aliter in diversis fit, ambulat cum dolore æger, sine eo sanus: Est præterea & hoc signum, quod gravius nunc homines pariunt quam bestiæ, quæ è partus molestia raræ moriuntur, fœminæ permultæ: At nulla quidem ex eo casu in innocentiæ statu periisset. Quoties igitur cruciatus, aut infelices partus offeruntur, peccati symbola sint, tanto magis, quo plus

plus doloris & diutius, fœtus ipsi depravati, quam partus ipse solet afferre parentibus: Quæ enim mulier nolit decies parere, quam semel monstrum edere. Patet ex his quomodo monstra in genere iræ Dei signa haberi debeant. Faciunt præterea huc quæ de terræ maledictione ibidem leguntur. Maledicta terra propter te, spinas & tribulos germinabit tibi. Maledictionis vis ex benedictione cognoscitur. In hoc duo sunt: Vnum rerum copia; Alterũ bonitas. Non enim vere fœcundũ est, quòd multa producit, sed vitiosũ. Ergo & in maledictione utrũq. Infœcunditas, et pravitas, & hæc quidẽ inprimis. Quod verò terræ sunt spinæ & tribuli id animãtibus monstrosi partus. Eadẽ enim properatio. Igitur in monstris assurgere animus dicitur, & hæc à nobis alienata Dei argumenta intueri, quæ tanto sunt frequentiora, quo major est peccãdi licentia: Fortaßis eodem pertinere et illud horrendũ fulmen. Visitabo iniquitates patrũ in tertiam & quartam generationẽ. Id enim quoq. vere divinũ iudiciũ est, quod derisit Dion, ut est apud Plutar. in lib. de sera numinis vindicta. Ita autem ratiotinari ex monstris, nihil mali habent: Nec probãdos censeo, qui quidvis inde prædicunt, bella, cædes, mortes, notari vestitus, & similia. Hos superstitiosos vaticinatores sperni volo, & nihil fieri, magis vero illos, quid si quid in dentibus est mõstrosum, ajunt significari famẽ. si pedes abũdãt in fœtu, adventũ & accursum hostiũ. Si quid fœtidum,


tidum, pestem: Si sus humana facie, homines notatari ad beluinã libidinem delapsos. Si gemini connati, dissensiones civ[illegible]um: unde enim id colligunt? Nos, ut dictũ est, [illegible] genere, ad vitæ emen[illegible]ationẽ hæc trahamus, & ad [illegible]dium peccari conci[illegible]endũ, & implorãdã benignitatẽ divinam, quæ [illegible]a potest incommodu à nobis av[illegible]ere qualia [illegible]emus accidere alijs. Ne peccat qui [illegible]medijs torporem sibi excutit & pietatem, orandiq; diligentiam in se excitat. Id quod insignis etiam locꝰ ille 4. Esd. 5. cõfirmat, ubi considerare jubemur, cur qui nunc nascuntur non pares sint prioribus, sed minores, & qui post venturi sint, minores etjam nobis sint futuri. Quod vero illi ajebant, mõstra merè naturalia esse, vereor ut concedi debeat. Atq; ut ita sit, cũ causæ aliæ sint primæ, aliæ secundæ, cur ut illis licet has secundas inferiores ponere, nõ liceat theologo ad primam ascendere, tanquã metaphysico. Præterea hoc sibi assumunt, quod maximè est in controversia in omnibus mõstris causas patere naturales. Nonne de agente causa dubitabat acutißimus Averrhoës? Quis ostẽdet quomodo ex vacca lepus, ex ove leo natus sit, quomodo mulier infixus neutri? Hoc autem quales tandem causas habet? Ova contundens famila quædam, ut in pinguedina frigeret, animadvertit in uno eorum massam humana facie, sed pro pilis serpentes habentem, in mento etiam tres alios:

Albu-

Albumem cum esset feli datum ilico mortuę est. Vnde etiam Ravennatū monstro alæ pennatæ utrinq; & pes qualis rapacū animalium? Qua in mate[illegible] humana est Cacodæmonis figura? Id autem [illegible]ora expositum est. Quibus ab exemplis potes c[illegible]vinci, multa oc[illegible] altiora esse quæ erui per comm[illegible]bile[illegible] modū poßint: Et cū materiæ imbec[illegible] Deo subiecta sit, cur non eantatur ad voluntatis suæ pro arbitrio testificationem, cum fiat id in alijs: Pluere vel non pluere naturale est, utrumq; tamen à se fieri, credi volunt: Accedit quod non pauci ex veteribus theologis angelorum vel diabolorum ministerijs eiusmodi elaborare sibi persuaserint. Quod si hi spiritus quippiam afferunt ad monstrorum ortum, poterimus ne dubitare, quod innuant aliquid, quale nunquam tandem sit? Observatum etiam: Quamdiu vis illa divina in mundano hoc statu, universa administrans consueto ordine naturam progredi inhibeat, omnia usitato cursu ferri: ad legem communem. Sin vero visum fuerit insuetū aliquid agere, novitatem rei indicatione casus cuiusdam singularis praeostendere, attentionem enim novitas creat: Talia multa ubiq; illud eximium in Danielis vaticinijs cum in pariete palaty manus visa est verba quadam scribere, quibus Assyriorum imperij interitus declarabatur. Factum hoc & alias. Sententia autem Synesij ominino

minino probanda est. In lib. de providentia. Rebus magnis, inquit, & apud nos maiores progressiones præmittuntur; & numen illud præsignificat, multis mirabilibus in utramq; partem eventibus. Quod si hoc offendit quempiam, hac iam fœda errata Deo tribui illud Augustini meminerit: Deus omnipotens, nullo modo sivisset mal[illegible] aliquod esse in operibus suis, [illegible] esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Quid significent monstra, dictum est.

F I N I S.












3

MARTINI
Weinrichi
Commentarius
de Ortu
Monstrorum